Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

urn:nbn:de:bsz:31-109179

Visual Library



BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

DES.

ERASMI ROTERODAMI FAMILIARIVM COLLOQVIORVM OPVS:

Ad Auctoris manum recognitum: doctissimis etiam scholiis nunc recens illustratum.

Brevis ejusdem Auctoris vita.

Adjecto rerum & verborum memorabilium Indice locupletissimo.



TYPIS VOEGELINIANIS.

Theophili Vslandi, Cassi Hassi.
Joh. Warmuth.
[um 1615]

gym 2905

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK KARLSRUHE

DES. ERASMVS ROTERODAMUS

Optimæ spei puero

JOAN. ERASMIO FROBENIO

S. D.

VICIT libellus tibi dicatus expectationem nostram, Erasmi mellitissime: Tuum erit videre, ne fallas expectationem nostram. Ille sic adamatur, sic rapitur, sic teritur manibus studiosæ juventutis: ut & patri tuo fuerit subinde typis excudendus, & mihi novis accessionibus identidem locupletandus: dicas & illum Ἐφεσιον quempiam esse, delitiasq; Musarum sacra colentium. Quò magis adnitendum erit, ut tu quoque sis, quod diceris: hoc est, ut literis & morum probitate sis omnibus bonis charissimus. Vehementer autem pudendum fuerit, si quum tam multos hic libellus & latiniores reddiderit, & meliores, tu commiseris, ut ad te ipsum non redierit eadem utilitas, quæ per te pervenerit ad omnes: quumq; tam multi sint adolescentes, qui tibi nomine Colloquiorum gratias agunt; nonne meritò censeatur absurdum, si tua culpâ factum videatur, quò minus mihi possis eodem nomine gratias agere? Accrevit libellus ad justam voluminis magnitudinem: tibi quoque

conandum est, ut quantum accrescit ætas, tantum accedat & honestæ eruditioni, & morum integritati. Sustines non vulgarem expectationem; cui respondere, necessarium, vincere, pulcherrimum fuerit: certè fallere, sine summo dedecore non potes. Nec hoc dico, quòd hactenus pœniteat profectus tui: sed ut currenti calcar addam, quò curras alacrius, præsertim, quum eam ætatem ingressus sis, qua non alia continget felicior ad imbibenda literarum ac pietatis semina. Fac igitur, ut hæc Colloquia verè tua dici possint. Dominus ΙΗΣΥΣ *servet istam ætatem tuam puram ab omnibus inquinamentis, semperq; ad meliora provehat.*

Vale, Basileæ Calend. Augusti.

Anno M. D. XXIV.

Ἐράσμιον, hoc est, amabilem: simul allusum ad nomen auctoris.

FAMI-

FAMILIARIA COLLOQVIA.

In primo congressu.

NON temerè docet quidam, ut salutemus libenter. (a) Comis enim & blanda salutatio sæpè conciliat amicitiam, inimicitiam diluit: certè mutuam benevolentiam alit augetque. Quidam usq; adeò (b) Demeæ sunt, ingenioq; agresti, ut vix salutati resalutent. Nonnullis hoc vitii conciliavit educatio verius, quam natura. Urbanitatis est, salutare obvios, aut eos, qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia: item operis aliquid agentes, cœnantes, oscitantes, singultientes, sternutantes, tussientes. In ructu crepituve ventris salutare, hominis est plus satis urbani. Sed incivilius etiam, eum salutare, qui reddit urinam, aut alvum exonerat. Salve pater, salve matercula, salve mi frater: salve præceptor observande, salve multum mi patrue, salve dulcissime nepos. Urbanum est addere cognationis aut affinitatis titulum, nisi cùm habent aliquid odii: tum enim præstat abuti minus quidem propriis, sed plausibilioribus: veluti, cùm novercam salutamus matrem, privignum filium, vitricum patrem, sororis maritum fratrem, fratris uxorem sororem. Idem in ætatis aut officiorum titulis faciendum. Gratius enim fuerit, si senem, patrem, aut virum

eximium salutes, quàm ætatis cognomine, etiamsi olim honoris causa dicebatur ὦ γέρον. Salve præfecte, salve tribune: non autem, salve caligarie, aut calcearie. Salve adolescens, salve juvenis. Senes, ignotos adolescentulos filiorum cognomento salutant: adolescentes vicissim illos patres aut dominos.

(*a*) Extat in præceptis Catunculi puerorum. (*b*) Solemus enim propriis ex comœdiis aliquando uti pro appellativis: sic *Eucliones* avaros, *Thrasones* glorioſos, *Balliones* lenones appellamus. (*c*) Quod & ab Horatio in Satyris præcipi videmus: *Frater Pater adde, Ut cuiq; est ætas, ita quenq; facetus adopta.* (*d*) Id est, *ô senex*, quod apud Homerum nunquam non est obvium.

BLANDIOR SALVTATIO

Inter amantes.

Salve
- *mea Cornelia.*
- *mea vita.*
- *mea lux.*
- *meum delitium.*
- *meum suavium.*
- *mel meum.*
- *mea voluptas unica.*
- *meum corculum.*
- *mea spes.*
- *meum solatium.*
- *meum decus.*

Honoris gratia aut secus.

Salve here. Ohe, Salve tu quoq; bone vir. Salve vir ornatissime, clarissime. Salve etiam atque etiam, literarum decus. Salve plurimum, amicorum

rum optime. Salve mi Mœcenas. Salve patrone singularis. Salve vir spectatissime. Salve unicum hujus ætatis ornamentum. Salve Germaniæ delitium. Salvete, quotquot estis una salute omnes. Salvete pariter omnes. Salve congerro lepidissime. Salvete belli homunculi. Salve vini pernicies. RE. *Salve & tu gurges helluóque placentarum. Salve multum, virtutis omnis antistes.* RE. *Salve tantundem, totius probitatis exemplar. Salve anicula annos nata quindecim.* RE. *Salve puella annorum octoginta. Bene sit tibi cum tuo calvitio.* RE. *Bene sit tibi cum lacero naso. Ut salutaris, ita resalutaberis: si malè dixeris, pejus audies. Salve iterum atq; iterum.* RE. *Et tu salve perpetuum. Salve plus millies.* RE. *Equidem malim salvere semel. Salve quantum vis.* RE. *Et tu quantum mereris. Salvere te jubeo.* RE. *Quid si nolim? Equidem ægrotare malim, quam tua salute salvere.*

Salva sit tua { *sanctitas, amplitudo, celsitudo, majestas, beatitudo, sublimitas* } *magis vulgo recepta sunt quam probata doctis.*

In tertia persona.

Sapidus Erasmo suo salutem dicit. Sapidus Beatum suum plurima salute impertit.

Alia forma.

Salvus sis Crito. Bene tibi sit vir optime. RE. *Et tibi melius. Pax tibi frater. Christiana salutatio est à Judæis profecta, neq; tamen repudianda. Similis est: Bona vita. Ave præceptor.* RE. *Equidem malim habere, quàm* (a) *avere.* χαῖρε. RE. *Memento te* (b) *Basilea esse, non Athenis. Quur tu igitur audes Romanè loqui, quum Romæ non sis?*

(a) Jocus in ambigua significatione *Vere*, quod & cupere significat. (b) Alludsum est ad id quod refert Cicero ex Lucil. de Scævola vidente Albutium græcissantem Romæ lib. 1. de Finibus.

Bene precandi formulæ.

Et benè precari salutationis genus est.

Gravidæ.

Faxit Deus, ut feliciter parias, Ut maritum pulchra prole facias parentem. Precor, ut hic tumor uteri feliciter subsidat. Velint superi, ut non majore molestia elabatur, quàm illapsum est, quidquid est hoc oneris quod gestas. Donet tibi Deus felix puerperium.

Convivis.

Sit felix convivium. Benè sit universo cœtui. Precor omnia lata vobis omnibus. Deus bene fortunet vestrum convivium.

Sternutanti.

Sit fauſtum ac felix. Servet te Deus. Sit salutiferum. Bene vertat Deus.

Auſpicanti

Auſpicanti quippiam.

Sit felix & fauſtum Reipublicæ. Bono ſit omnibus, quod inſtituis. Bene vertat, quod agis. Bene fortunet Deus tuos labores. Faveant ſuperi tuis conatibus. Quæſo, ut quod inſtituiſti, ſuperis bene fortunantibus, feliciter abſolvas. Bene fortunet Chriſtus Opt. Max. quod in manibus eſt. Feliciter cedat quod inſtituiſti. Feliciter exeat quod aggreſſus es. Rem ſanctam aggreſſus es, precor ut felix ſit exitus, ac proſperum numen aſpiret pulcherrimis cœptis. Chriſtus bene cœpta ſecundet. Proſpere ſuccedat, quod auſpicatus es. Deum Opt. Max. precor, ut iſtud conſilium, quàm eſt honeſtum, tam ſit & felix. Bonis avibus cœpta res, melioribus exeat. Precor, ut bonis avibus Italiam adeas, melioribus redeas. Opto tibi felicem curſum, & recurſum feliciorem. Faxit Deus, ut itinere hoc feliciter peracto, brevi tibi proſperum reditum gratulemur. Contingat tibi, feliciter & navigare & renavigare. Sit iter lætum, reditus lætior. Utinam iſta profectio tibi ſuccedat ex animi tui ſententia. Utinam tibi tam jucunda ſit iſta profectio, quàm nobis erit interim moleſtum tui deſiderium. Bonis auſpiciis ſolvas ancoram. Precor, ut ex utriusque votis ſuccedat hoc iter. Precor, ut hic contractus commodo bonoq; ſit utriusq;. Precor, ut hoc matrimonium voluptati ſit omnibus nobis. Soſpitet te JESUS Opt. Max. Superi propitii te nobis incolumem reſtituant, Servet te Deus, animæ dimidium meæ. Opto tibi reditum incolumem. Precor, ut

hic annus tibi lætis auſpiciis ineat, lætioribus procedat, lætiſſimis exeat, ac ſæpius recurrat ſemper felicior. R. *At ego viciſſim tibi multa ſæcula feliciſſima precor, ne tu gratis ſis nobis bene precatus. Precor, ut hic dies tibi candidus illuxerit. Precor, ut hic ſol tibi felix ſurrexerit.* R. *Tantũdem tibi reprecor. Sit felix exortus hujus diei, & ſit utrique noſtrũm proſperrimus. Opto tibi noctem proſperam, pater. Precor tibi noctem placidam. Contingat tibi felix ſomnus. Det Deus placidam quietem. Det ſomnum abſq; ſomniis. Faxit Deus, ut aut placidè dormias, aut feliciter ſomnies. Sit tibi fauſta nox.* RE. *At ego tibi, quando gaudere ſoles lucro, pro una fauſta, mille precor fauſtiſſimas.*

Vale in digreſſu.

Valete omnes. Bene vale. Cura ut quàm rectiſſimè valeas. Valetudinem tuam cura diligenter. Jubeo te benè valere. Jam me tempus aliò vocat, tu valebis. Valeto quàm optimè. Vale pancraticè, aut, ſi mavis (a) *athleticè. Vale, ut dignus es; Vale, ut meritus. In hoc biduum valebis. Si me dimittis, valebis in craſtinum. Nunquid vis? Eſt aliud quod me velis?* R. *Nihil, niſi ut proſperè valeas. Da operam ut ſis proſpera valetudine. Age curam valetudinis tuæ. Habe curam ſalutis tuæ. Fac ut proximo congreſſu te lætum ac nitidum videamus. Jubeo te curare cuticulam. Cura ut mens ſit ſana in corpore ſano. Da operam ut totus valeas, tum corpore, tum animo.* R. *Dabitur quidem opera.*

opera. Valebis tu quoq;. Tibi vicissim precor prosperam valetudinem.

(a) Id est, optimè & fortissimè. Nam ut Hippocrates ait: Athletarum habitus in summo bonitatis & sanitatis gradu consistit. Vide proverb. pancraticè.

Salutare per alium.

Frobenium jubebis meo nomine salvere plurimùm. Erasmiolum item mea causa salutabis diligenter. Tum matri Gertrudi quàm potes officiosissimè ex me salutem dicito. Dic me omnibus omnia læta precari. Salutabis mihi sodalitatem diligenter. Amicos omnes meis verbis salutato. Uxori salutem ex me annunciabis. Fratri tuo in literis tuis meo nomine salutem ascribes. Mei vice salutabis affinem meum. Num quid tuis mandas per me? R. *Ut rectè valeant. Estne quod velis ad tuos perferri, me nuncio?* R. *Multam salutem omnibus, sed præcipuè patri. Sunt quos per me tuo nomine velis salutatos?* R. *Omnes qui de me percontabuntur. Salutem, quam mihi ab amicis attulisti, illis multo cum fœnore referes. Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omneis mea gratia vicissim salutabis accuratè. In amicis salutandis sis quæso mihi vicarius. Salutassem generum meum per literas: sed tu mihi apud illum epistolæ vice fueris. Heus heus, quò properas?* R. *Rectà Lovanium. Resiste paulisper, est quod tibi mandem.* R. *Atqui pediti non convenit sarcina. Quid rei est?* R. *Ut Goclenium, Rutgerum, Joannem Campensem, totumq;*

totumq; chorum trilinguem mihi salutes. RE. *Si nihil aliud imponis sarcinæ præter salutes, facile perferam.* RE. *At ne gratis istud facias, precor, ut tibi quoq; eunti ac redeunti salus sit comes.*

Reducem quomodo salutari oporteat.

Salvum te advenire gaudemus. Sospitem adesse voluptati est. Te nobis redditum esse, voluptati est. Gratulamur tibi felicem reditum. Gratia superis, quòd nobis incolumis redieris. Quò molestius fuit nobis tui desiderium, hoc reditus conspectus tui jucundior est. Gratulamur & tibi & nobis, quòd vivus ac valens nobis restitutus sis. Hoc reditus tuus est nobis jucundior, quo minus expectatus. RE. *Ego vicissim lætor, quòd incolumis vos incolumes offenderim. Quod te salvum repererim, vehementer gaudeo. Non viderer mihi rediisse salvus, nisi vos salvos reperissem. Nunc demum mihi videor sospes, cum vos incolumes ac pulchrè valentes conspicio.*

Percontandi forma in primo congressu.

GEORGIUS. LIVINUS.

G. *Ex qua tandem corte aut cavea nobis ades?* L. *Quid ita?* G. *Quia malè saginatus. Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Unde prodis?* L. *E collegio Montis acuti.* G. *Ergo ades nobis onustus literis.* L. *Imò pediculis.* G. *Pulchrè comitatus advenis.* L. *Sanè. nec tutum est nunc viatorem ire incomitatum.* G. *Agnosco sodalitium*

dalitium scholasticum. Ecquid novarum rerum adfers è Lutetia? L. *Illud inprimis quod scio tibi videbitur incredibile: Lutetiæ* (a) *Beta sapit, & Quercus concionatur.* G. *Quid tu narras?* L. *Hoc quod audis.* G. *Quid ego audio?* L. *Hoc quod narro.* G. *Monstri simile. Oportet illic fungos & lapides esse auditores, ubi tales concionentur.* L. *Atqui sic res habet. Nec audita narro, sed comperta.* G. *Oportet ergo illic plurimum sapere homines, si sapit Beta & Quercus.* L. *Rectè conjectas.*

(a) Fortassis Natalem Beddam & M. de Quercetotentenariosque Parisienses magistros nostros tangit.

Alia. Colloq. Helv. p. 323.

G. *Valésne?* L. *Contemplare vultum.* G. *Quin potiùs lotium jubes? An me putas medicum? Non rogo, quid valeas; nam facies ipsa loquitur te bellè valere; sed, quomodo tibi placeas.* L. *Corpus quidem bellè habet, sed animo malè est.* G. *At non valet, qui istac parte laborat.* L. *Sic res habent meæ. Corpus valet, sed ægrotat crumena.* G. *Facile isti morbo medebitur mater. Ut valuisti usque?* L. *Variè: ut sunt res mortalium.* G. *Satin' rectè vales? Salvánne res? Satin' salva res? Fuistíne semper prospera valetudine?* L. *Prosperrimâ, gratia superis. Ego Dei beneficio perpetuò bellissimè valui. Semper prospera valetudine sum usus. Hactenus bona valetudine fui, fausta, incolumi, felici, prospera, secunda, integra, basilica, athletica, pancratica valetudine.* G. *Faxint superi, ut istud sit perpetuum ac proprium. Lætus istud audio. Voluptatem*

luptatem mihi nuncias. Est istud mihi auditu perquam jucundum. Sermonem istum ex te audire, supra modum gaudeo. Istud haud invitus audio. Oppidò lætor istud audire ex te. Ut idem semper facias opto. Ut ad istum modum quàm diutissimè valeas, opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Gratia superis. Gratiam habeo superis. L. Equidem pulchrè valeo, si tu vales. G. Nihil interim molestiæ fuit? L. Nihil, nisi quod vestra consuetudine frui non licuit. G. Quo pacto vales? L. Rectè, pulchrè, bellè, perbellè, bellissimè, perpulchrè, feliciter, commodè, minimè malè. Valeo ut volo potius, quàm mereor, (a) basilicè, pancratiè, athleticè. G. Expectabam ut diceres etiam tauricè.

(a) Basilicè, id est, regiè & magnificè seu splendidè: solent siquidem diligentius curare valetudinem reges.

Male valere. Colloq. Helv. p. 326.

G. Rectène vales? L. Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem utcunque valeo. Sic satis. Valeo ut possum, quando, ut volo, non licet. Ut soleo. Ita ut superis visum est. Non optimè sanè. Sic ut antehac pejus nunquam. Valeo ut solitus sum. Valeo ut solent quibus cum medicis res est. G. Ut vales? L. Secus quàm vellem. G. Qua valetudine es? L. Haud sanè commoda, incommoda, perquam incommoda, infelici, parum prospera, parum secunda, mala, adversa, infausta, imbecilli, dubia, mediocri, longè alia quàm vellem, tolerabili, qualem optem hostibus meis. G. Rem mihi sanè quam acerbam narras. Prohibeant superi. Auer-

tat

tat Deus. Bona verba. Hic cupiam te vanum esse. Bono sis animo oportet. Forti, infractoq; sis animo. Multum juvat animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunæ secundioris. Quid morbi est? Quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus? L. Nescio, & hoc laboro periculosius. G. Verum. Nam ad sanitatem gradus est novisse morbum. Nullos ne consuluisti medicos? L. Et quidem permultos. G. Quid respondent? L. Id quod advocati Demiphoni apud Comicum: alias negat, alius ait, alius deliberandum censet. In hoc consentiunt omnes, me miserum esse. G. Quàm pridem habet te hoc mali? Diu est, quòd teneris isto morbo? Quantum temporis est, quòd te malum hoc corripuit? L. Dies plus minus viginti. Fermè mensis est. Jam tertius est mensis. Mihi quidem seculum videtur, quod ægrotare cœpi. G. Adnitendum censeo, ne morbus fiat familiaris. L. Jam nimium assuevit. G. Num est hydrops? L. Negant. G. Num dysenteria. L. Non arbitror. G. Num febris? L. Opinor febris esse speciem, sed novam, ut nunc novi subinde morbi exoriuntur, antehac incogniti. G. At plus satis erat veterum. L. Ita visum est naturæ nimium novercæ. G. Quoto die recurrit dolor? L. Quoto die narras? Imò quotidie, sæpius quàm (a) Euripus. G. Papæ! malum abominandum. Unde contraxisti morbum? Unde suspicaris hoc esse collectum mali? L. Ex inedia. G. At non soles usque adeò superstitiosus esse, ut te jejunio macerares.

L. Non

L. *Non erat religio, sed inopia.* G. *Quænam?* L. *Quia non dabatur cibus. E frigore natum arbitror. E putribus ovis morbum ortum suspicor. E vino plus satis diluto. E crudis malis contracta est stomachi cruditas.* G. *Vide ne ex immodico aut intempestivo studio conciliaris hoc mali, aut ex potatione largiore, aut Venere parum moderata. Quin accersis medicum?* L. *Timeo, ne citius morbum augeat, quàm adimat. Metuo, ne pro remedio det venenum.* G. *Deligendus est igitur, cui tuto fidas.* L. *Si morienduin est, malo semel mori, quam tot pharmacis excarnificatus.* G. *Fac igitur, ut ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, precor ut sit tibi medici vice Deus. Sunt, qui tecti cucullà Dominicali aut Franciscana revaluerunt.* L. *Idem fortassis evenisset, si Leonis pallio tecti fuissent. Verùm ista diffidenti nihil conducunt.* G. *Fide igitur ut reviviscas. Alii morbo levati sunt, nuncupatis alicui divo votis.* L. *At ego cum Divis paciscor.* G. *Proinde tu vel à Christo, cui fidis, pete sanitatis beneficium.* L. *At ego, an beneficium sit nescio.* G. *An non beneficium est, liberari morbo?* L. *Nonnunquam mori felicius est. Ab illo nihil peto, nisi ut quod scit optimum esse, mihi largiatur.* G. *Sume, quod alvum dejiciat.* L. *Jam sua sponte cita est.* G. *Ciendus est alvus. Movendus est alvus.* L. *Imò sistendus est magis. Nam plus satis profluit.*

(a) Euripus pars maris, sæpius in die reciprocans. Vide proverb. Euripus homo.

Alia.

Alia. Colloq. Helv. p. 334.

G. *Fuitne tibi hoc iter fauſtum & commodum?* L. *Sic ſatis, niſi quòd nihil usquam tutum eſt à latronibus.* G. *Hic eſt belli ludus.* L. *Eſt, ſed ſceleratiſſimus.* G. *Pedes advenis, an eques?* L. *Partim pedeſtri itinere, partim vehiculo, partim equo, partim navigio.* G. *Quo in ſtatu ſunt res Gallicæ?* L. *Sanè turbulento. Magnæ bellorum minæ ſunt. Quid mali allaturi ſint hoſtibus, neſcio: certè Galli jam ipſi non dicendis malis affliguntur.* G. *Vnde proficiſcuntur iſti bellorum tumultus?* L. *Vnde, niſi ex ambitione* (a) *Monarcharum?* G. *At horum prudentiâ conveniebat ſedari rerum humanarum tempeſtates.* L. *Sedant illi quidẽ, ſed ut auſter mare. Perſuadent ſibi ſe Deos eſſe, ſuaq; cauſa mundum hunc eſſe conditum.* G. *Imò princeps reipubl. gratia conſtituitur, non reſpublica principis causâ.* L. *Imò non deſunt Theologi, qui* (b) *frigidam ſuffundant, & ad hos tumultus claſſicum canant.* G. *Iſtos ego ſtatuerem in prima acie.* L. *At illi ſibi* (c) *cavent poſt principia.* G. *Iſta publica fatis curanda relinquamus. Tuæ res quo tandem in ſtatu ſunt?* L. *Optimo, felici, mediocri, tolerabili.* G. *Quo pacto ſe res habent tuæ? num ex voto?* L. *Imò ſupra votum, ſupra meritum, ſupra ſpem.* G. *Satin' ex ſententia? Satin' ſalva omnia? Satisne proſpera omnia?* L. *Res in pejore ſtatu eſſe non poteſt. Pejore in loco negotium non poteſt eſſe.* G. *Non cepiſti igitur, quod captabas? Non contigit præda quam venabaris?* L. *Venabar equidem, ſed irata* (d) *Delia.* G. *Nihil reliquum eſt*

spei? L. *Spei permultum, sed rei nihil.* G. *Episcopus nihil ostendit spei?* L. *Tota (e) plaustra, totasq; spei naves: sed praterea nihil.* G. *Nihil adhuc misit?* L. *Promisit quidem largiter, at ne (f) teruncium quidem misit.* G. *Ergo spe alendus est animus.* L. *Sed hac non saginatur venter. Qui spe aluntur, pendent, non vivunt.* G. *Attamen hoc eras ad iter expeditior, quòd nihil esset oneris in (g) zona.* L. *Fateor, atque etiam tutior. Nulla enim sunt arma certiora adversus latrones. Sed ego malim & onus & periculum.* G. *Nihilne tibi ademptum est in via?* L. *Mihine? Quaso quid eripias nudo? Aliis citius periculum erat a me. Licuit mihi (h) vacuo viatori per totum iter canere & esurire. Nunquid vis?* G. *Quo nunc hinc abis?* L. *Recta domum, salutaturus penates jam diu non visos.* G. *Precor, ut illic offendas omnia lata.* L. *Vtinam ita velint superi. Nihil interim extitit novi domi nostræ?* G. *Nihil nisi quòd reperies auctam familiam. nam tua Catulla peperit tibi (i) catulum absenti. Tua gallina peperit tibi ovum.* L. *Benè nuncias. Grata nuncias. At ego tibi pro hoc nuncio polliceor Evangelium.* G. *Quodnam? secundùm Matthæum?* L. *Non, sed secundùm Homerum. En accipe.* G. *Tibi serva tuum evangelium, mihi saxorum satis est domi.* L. *Ne sperne munusculum.* (k) *Ætites est, qui gravidis admotus in nixu, maturat partum.* G. *Quid ais? Est mihi sanè gratissimum. Dispiciam, unde possim hoc donum pensare.* L. *Abundè pensatum puta, si boni consulueris.* G. *Imò nihil accidere potuit magis*

magis in tempore. Nam uxori meæ jam pridem tumet uterus. L. *Illud igitur abs te (l) stipulabor, ut, si masculum ediderit, me susceptorem adsciscas.* G. *Polliceor, ac tuum indetur puero nomen.* L. *Quod utrisq; bene vertat.* G. *Imò nobis omnibus.*

(a) Penes quos solos summa rerum est. (b) Id est, clanculum incitent. (c) Vide prov. Post principia, hoc est, in tuto. (d) Delia, Diana, venationis Dea. (e) Vide Erasmum in Chil. (f) Teruncius, quē Plinius triuncem vocat, numulus in vilitatis proverbium versus, est quarta pars assis. (g) Illic milites gestabant pecuniam. (h) Allusum est vulgato Iuven. Cantabit vacuus coram latrone viator. (i) Iocus est in paronomasia. (k) Ætites lapidis genus, ab aquila nomen habens: vide Plinium lib. 37. cap. 11. (l) Stipulatur, qui promissum accipit.

MAURITIUS, CYPRIANUS.

Colloq. Halv. p. 121.

M. *Redisti nobis obesior solito. Redisti procerior.* C. *At equidem mallem prudentior, aut doctior.* M. *Imberbis abieras, redisti barbatulus. Contraxisti tibi absens nonnihil senii. Quid sibi vult hic pallor? quid macies? quid frons caperata?* C. *Vt est fortuna, sic est corporis habitus.* M. *Num (a) adversa?* C. *nunquam mihi quidem aliàs secunda, sed nunquam, quam nunc, reflavit odiosius.* M. *Doleo vicem tuam. Dolet mihi tua calamitas. Sed quid istuc mali est?* C. *Vniversæ pecuniæ naufragium feci.* M. *In Mari?* C. *Non, sed in littore, nondum navem ingressus.* M. *Vbinam?* C. *In littore Britannico.* M. *Benè habet, quod ipse nobis vivus enatasti. Præstat pecuniæ jacturam facere quàm vitæ. Levius est pecuniæ dispendium, quam famæ.* C.

Vita famaq; incolumi periit pecunia. M. *Vita sarciri nullo pacto potest, fama ægre potest, pecunia facile alicunde sarcietur. Quî malum hoc accidit?* C. *Nescio, nisi quòd sic erat in fatis meis. Sic visum est superis. Sic libuit Genio meo malo.* M. *Vides igitur doctrinam ac virtutem tutissimas esse divitias, quæ nec eripi possunt, nec gravant circumferentem.* C. *Pulchrè tu quidem philosopharis, sed interim ego* (b) *ringor.*

(a) Metaphora ab adversis ventis. (b) Ringor, id est discrucior animo.

Alia. Colloq. Helv. p. 33

CLAUDIUS. BALBUS.

C. *Gratulor tibi reduci, Balbe.* B. *Et ego tibi superstiti, Claudi.* C. *Gratulor tibi in patriam reverso.* B. *Imò gratulare magis è Gallia profugo.* C. *Quid ita?* B. *Quia illic bellis fervent omnia.* C. *Quid Musis cum Marte?* B. *Atque illic ne Musis quidem parcitur.* C. *Tu igitur feliciter elapsus es.* B. *At non sine periculo.* C. *Totus alius nobis redisti.* B. *Quî sic?* C. *Ex Hollando versus es in Gallum.* B. *Quid? an* (a) *capus eram, cum hinc abirem?* C. *Vestis indicat te mutatum ex Batavo in Gallum.* B. *Hanc metamorphosin malim, quàm in Gallinam. Sed ut* (b) *cuculla non facit monachum, ita nec vestis Gallum.* C. *Iamne calles Gallicè?* B. *Sic satis.* C. *Quo pacto didicisti?* B. *A magistris haud quaquam mutis.* C. *Quibus?* B. *A mulierculis quovis turture loquacioribus.* C. *In tali ludo facile discimus loqui. Sonasne probè sermonem Gallicum?*

licum? B. *Imò & latinum sono Gallicè.* C. *Nunquam igitur scribes* (c) *bona carmina.* B. *Cur ita?* C. *Quia periit tibi syllabarum quantitas.* B. *Quid? Qualibus est ne Lutetia immunis à pestilentia?* B. *Non est, sed perpetua non est: aliquando remittit sese, mox recrudescit: nonnunquam intermittitur, deinde recipit sese.* C. *Non sat erat malorum, ubi bellum est?* B. *erat, nisi secus esset visum superis.* C. *Annonæ caritatem istic esse oportet.* B. *Imò penuriam. Omnium rerum illic inopia est, præterquam sceleratorum militum. Bonorum virorum illic est mira vilitas.* C. *Quid accidit Gallis, ut bellum suscipiant cum* (d) *aquila?* B. *Quia movet illos exemplum scarabei, qui non cessit aquilæ. In bello nemo sibi non videtur Hercules.* C. *Non te remorabor diutius. alias largius nugabimur, cùm erit utrique commodum. Nunc alio me vocant negotia quædam.*

(a) Iocus est ex ambigua voce Gallus. (b) Proverbium vulgi. (c) Alluſit ad hoc quod vulgus Gallorum perperam pronunciat accentus. (d) Aquilæ, Imperatorum insignia.

Domestica confabulatio.

PETRUS, MIDA PUER, IODOCUS.

P. *Heus heus puer, nemon' huc prodit?* M. *Hic opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput! Quid adfers, mi Petre?* P. *Meipsum.* M. *Næ tu huc rem haud magni pretii attulisti.* P. *Atqui magno constiti patri meo.* M. *Credo: pluris quam revendi possis.* P. *Cæterum, Iodocus estne*

domi? M. *Incertus sum: sed visam.* P. *Quin tu potius abi, & roga ipsum, an velit nunc esse domi.* M. *Abi tu potius, sisq; tibi ipsi Mercurius.* P. *Heus Jodoce, num es domi?* I. *Non sum.* P. *Impudens, non ego te audio loquentem?* I. *Imò tu impudentior. Nuper* (a) *ancillæ tuæ credidi te non esse domi: & tu non credis mihi ipsi?* P. *Æquum dicis: par pari relatum.* I. *Equidem ut non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi posthac semper ero.* P. *Sed tu mihi videre cochleæ vitam agere.* I. *Quî sic?* P. *Quia perpetuò domi latitas, nec usquam prorepis: non secus atq; (b) claudus sutor jugiter domi desides. Tu tibi situm contrahis.* I. *Est quod agam domi, foris nihil est negotii; Et, si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot à publico cohibuisset.* P. *At nunc sudum est, & invitat ad deambulandum. Vide ut blanditur.* I. *Si prodeambulare lubet, non recuso.* P. *Planè videtur utendum cœlo.* I. *Adsciscendus est unus aut alter congerro.* P. *Fiet, modò dicas quos velis.* I. *Quid si Hugonem?* P. *Haud multum interest inter Hugonem & nugonem.* I. *Agè, placet.* P. *Quid si Alardum?* I. *Homo minimè mutus est. Quod auribus diminutum est, lingua pensat.* P. *Si videtur, Nevium adjungemus.* I. *Siquidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent confabulationes: superest ut locum dispicias amœnum.* P. *Ego verò tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum smaragdinum virorem, nec fontium vivas scatebras desiderabis. Dices dignam Musis sedem.*

I. *Magni-*

I. *Magnificè polliceris.* P. *Nimium assides libris. Immodico studio te maceras.* I. *Malim studio marcescere, quam amore.* P. *At non ideò vivimus, ut studeamus, sed ideò studemus, ut suaviter vivamus.* I. *Mihi verò vel immori chartis dulce est.* P. *Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid voluptati fuit hæc deambulatio?* I. *Me quidem vehementer oblectavit.*

(a) Allusum est ad id quod Cicero refert de Ennio & Nasica. (b) Plautinum est. Vide Chil. 3. Cent. prov. 10.

Alia.

ÆGIDIUS. LEONARDUS.

Æ. *Quò noster Leonardus?* L. *Ad te ibam.* Æ. *Istud quidem facis insolens.* L. *Quamobrem?* Æ. *Quia jam annus est, quòd nos non inviseris.* L. *Malo in hanc peccare partem, ut desiderer, quàm ut obtundam.* Æ. *Imo boni amici nulla est apud me satietas. Imò quò crebrius venies, hoc mihi venies gratior.* L. *Quid interim agitur domi tuæ?* Æ. *Multa sanè, quæ nolim.* L. *Non miror. Sed jámne peperit uxor?* Æ. *Jamdudum, & quidem gemellos.* L. *Quid ego audio?* Æ. *Sic res habet: atq; illi jam denuo tumet uterus.* L. *Istoc pacto solet augeri familia.* Æ. *Sed utinam fortuna sic augeret pecuniam, ut uxor familiam.* L. *Jámne elocasti filiam?* Æ. *Nondum.* L. *Vide ne parum tutum sit virginem tam grandem detineri domi. Quærendus est gener aliquis.* Æ. *Nihil opus. Jam proci complures illam ambiunt sponsam.* L. *Quid igitur superest, nisi ut è multis deligas.*

ligas, qui tibi maximè sit accommodus? Æ. Omnes ejusmodi sunt, ut nesciam, quem cui præferam: sed abhorret à nuptiis filia. L. Quid ais? Atqui, ni fallor, jamdudum nubilis est. Jamdudum est tempestiva viro, matura conjugio. Jampridem est apta viro. Æ. Quid ni? annum egressa jam decimum septimum, Annum jam agens undevigesimum, Annos nata decem & octo. L. Cur abhorret igitur à matrimonio? Æ. Ait se velle Christo nubere. L. Sanè multas habet ille sponsas. An malo genio nupsit, quæ castè vivit cum marito? Æ. Mihi quidem non videtur. L. Quis Deus hunc affectum afflavit filiæ? Æ. Nescio: sed abduci ab hoc proposito nullis rationibus potest. L. Vide ne sint incantatores, qui instigent & allectent. Æ. Novi ego istos (a) plagiarios. Sedulo arceo hoc hominum genus ab ædibus meis. L. Quid igitur est in animo? Morem geres animo puellæ? Æ. Equidem obluctabor, quoad licebit. Nihil non experiar, quò mutem illius sententiam. Quod si pertendet, ut cœpit, non pugnabo cum illius animo, ne fortè videar (b) θεομαχεῖν vel potius (c) μοναχομαχεῖν. L. Religiosè tu quidem loqueris. Sed etiam atq; etiam fac explores virginis constantiam, ne post facti pœniteat, cum mutare non erit integrum. Æ. Equidem adnitar pro mea virili. L. Quid rerum gerunt filii? Æ. Natu maximus jamdudum maritus est, brevi pater futurus. Minimum ablegavi Lutetiam. Nam hic nihil aliud quàm ludebat. L. Quid eò? Æ. Vt magister nobis redeat stultior, quàm exierat. L. Bona verba.

Æ. Medius

Æ. *Medius jam cœpit initiari sacris.* L. *Precor ut bene vertat omnibus.*

(*a*) Plagium furti genus, unde plagiarii dicuntur qui abducunt aliena mancipia, aut liberos etiam. (*b*) Id est cum Deo pugnare. (*c*) cum monachis pugnare. Alludit autem ad vocem μονομαχεῖν, quod est singulari certamine congredi.

Alia. *Colloq. Helv. p. 124.*

MOPSUS. DROMO.

M. *Quid fit? Quid agitur, Dromo?* D. *Sedetur.* M. *Video. Sed quomodo se res habent tuæ?* D. *Vt solent iis, quibus superi sunt parum propitii.* M. *Istud ominis avertat Deus. Quid agis?* D. *Equidem otium ago, Id quod vides, nimirum nihil.* M. *Præstat otiosum esse, quam nihil agere. Ego te fortassis occupatum seriis negotiis interpello.* D. *Imò maximè vacuum. Jam enim me ceperat otii tædium, & congerronem desiderabam.* M. *Fortassis impedio, interrumpo, interturbo tua negotia.* D. *Imò tædium otii discutis.* M. *Da veniam, si te parum in tempore interpellavi.* D. *Imò ipso in tempore advenis. Opportunè te huc attulisti. Optatus ades. Interventus tuus est mihi vehementer gratus.* M. *Fortassis aliquid seriæ rei inter vos agitur, cui nolim esse impedimento.* D. *Imò lupus, quod ajunt, adest in fabula. Nam de te sermo erat.* M. *Facile crediderim. nam mihi huc venienti mirè tinniebat auris.* D. *Vtra?* M. *Læva. Vnde conjicio, nihil magnificè de me fuisse prædicatum.* D. *Imò nihil non honorificum.* M. *Vanum igitur fuerit oportet. Sed quid est bonæ rei?* D. *Ajunt te venatorem*

esse factum. M. *Imò jam intra casses meos est præda, quam venabar.* D. *Quænam?* M. *Lepida puella, quam perendie ducturus sum: vosq; oro, ut meas nuptias vestrâ præsentiâ dignemini honestare.* D. *Quænam est sponsa?* M. *Aloisia, Chremetis filia.* D. *Egregium spectatorem formarum. Tuis oculis adhibuit illa, nigrô capillitio, simis naribus, ore prælargo, ventre prominulo?* M. *Desinite. Mihi eam duxi, non vobis. Non satis est, quod suo regi (a) pulchra est regina? Ita demum illa mihi placebit, si vobis non admodum placeat.*

(a) Vide proverb. Suum cuiq; pulchrum.

Alia.

Syrus. Geta.

S. *Opto tibi multam felicitatem.* G. *Et ego tibi conduplicatum opto, quidquid optas mihi.* S. *Quid agis rei?* G. *Confabulor.* S. *Quid? Confabulare solus?* G. *Vt vides.* S. *Fortasse tecum. Proinde tibi videndum, ut cum homine probo fabuleris.* G. *Imò cum lepidissimo congerrone confabulor.* S. *Quo?* G. *Apulejo.* S. *Istud quidem nunquam non facis: (a) sed amant alterna Camœnæ. Tu perpetuo studes.* G. *Non est ulla studiorum satietas.* S. *Verum: sed est tamen modus quidam. Non omittenda sunt studia, sed tamen intermittenda nonnunquam. Non abjicienda sunt, sed relaxanda. Nihil suave, quod perpetuum.* (b) *Voluptates commendat rarior usus. Tu nihil aliud quàm studes. Perpetuò studes. Continenter incumbis literis. Indesinenter inhæres chartis. Stu-*

tis. Studes noctes ac dies. Nunquam non studes. Assiduus es in studio. Jugiter intentus es libris. Nullum facis studendi finem, intermisces. Nunquam studendi laborem nec intermittis, nec remittis. G. Agè, tuo more facis. Rides me, ut soles. Nunc ludis tu quidem me Salsè me rides. Satyricum agis. Naso me suspendis adunco. Non me fallit tuum scomma. Nunc planè joco mecum agis. Sum tibi risui. Rideor abs te. Pro delectamento me habes. Nunc me ludos delitiasq; facis. Eâdem operâ assue mihi auriculas asini. Ipsi codices pulvere situq; obducti loquuntur, quàm sim immodicus in studio. S. Emoriar, ni loquor ex animo. Dispeream, si quid fingo. Ne vivam, si quid simulo. Loquor id, quod sentio. Quod res est, dico. Seriò loquor. Ex animo loquor. Non secus sentio quam loquor.

(a) Hemistichium Bucolicum. (b) Horatianum est.

Cur non visis ?

G. Quid causæ est, quòd tam diu nos non inviseris? Quid rei est, quòd nos tam rarò visis? Quid accidit, quòd tanto tempore nos non adieris? Quare tam rarus es salutator? Quid sibi vult, quòd nos tamdiu non conveneris? Quid obstitit, quò minus visas nos frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus jamdiu feceris nobis tui videndi copiam?

Non licuit per occupationes.

S. Non licuit per otium. Volui quidem, at non licuit mihi per mea negotia. Hactenus non sinebant mea

mea negotia, ut te viserem. Non patiebantur (a) vndæ negotiorum, quibus involvebar, ut te salutarem. Occupatiõr fui quàm ut potuerim. Tam variis distringebar curis, ut non fuerit liberum adire ad te. Vix ipsi mihi fuit copia mei: sic me totum molesta quædam negotia possidebant. Negotiis meis imputabis, non mihi. Non defuit voluntas, sed vetuit necessitas. Hactenus non vacavit. Hactenus non contigit otium. Hactenus non fuit vacuum. Non licuit per valetudinem. Non licuit per tempestatem. G. *Equidem accipio tuam excusationem, sed hac lege ne sæpius utaris. Excusatio tua justior est, quàm vellem, siquidem valetudo fuit in causa. Hac lege mihi purgatus eris, si quod cessatum est, officio sarcias, si superiorem cessationem crebra visitatione pensες.* S. *Tu nihil moraris istiusmodi officia nimium vulgaria. Amicitia nostra firmior est, quàm ut sit officiis istis vulgaribus alenda. Satis crebro visit, qui constanter amat.* G. *Malè sit istis curis, quæ te nobis adimunt. Quid imprecer istis negotiis, quæ talem amicum nobis invident? Pessimè sit isti febri, quæ nos tam gravi desiderio torsit tui. Malè pereat ista febris, te quidem incolumi.*

(a) Vndæ negotiorum, ut undæ curarum, apud Catullum pro immensis curis & negotiis.

Mandandi ac pollicendi.

Iacobvs. Sapidvs.

I. *Quæso ut hæc res tibi cordi sit. Etiam atq; etiam rogo, ut hoc negotium tibi sit curæ. Hac in re velim,*

velim, ut totum Sapidum exeras. Si me amas, causam hanc tractabis diligenter. Hac in re quæso, ut advigiles. Curabis hanc rem mea causa diligenter. Si verè is es, quem semper esse te mihi persuasi, fac ut sentiam, hac in causa, quanti me facias. S. *Desine; ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Eventum præstare non possum: illud polliceor, mihi nec fidem, nec studium defuturum. Curabo diligentius, quàm si mea res ageretur: quanquam meam esse duco, quæ sit amici. Faciam, ut in me quidvis desideres citiùs, quàm fidem ac diligentiam. Tu fac in utramq; (a) dormias aurem: ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto: ad me recipio provinciam omnem. Gaudeo mihi datam occasionem, qua declarem animum in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, sed re præstabo, quicquid est amici sinceri, & ex animo benevolentis. Nolim te lactare vana spe. Illud efficiam, ut dicas hoc negotii mandatum amico.*

(a) Vide proverb. in utranq; aurem dormire.

Successus.

S. *Res successit opinione melius. Fortuna votis utriusque favit. Si fortuna tibi nupsisset, non potuisset esse obsequentior. Res tua, & ventis, & amne secundo processit. Vicit etiam vota nostra fortunæ faventis afflatus: opinor te litasse (a) Rhamusiæ, cui sic ex sententia cadunt omnia. Plus impetravi, quàm fuissem ausus optare. Ventis per omnia secundis hic cursus nobis peractus est. Res*

omnis

omnis cecidit ex sententia. Pulchrè nobis cecidit hæc alea. Opinor (b) *volasse noctuam; adeò feliciter exiit nobis parum sapienter institutum.*

(a) Fortunæ cognomentum est à loco: quemadmodum dicimus Paphiam & Cypridem. Litat autem non quisquis sacrificat, sed cuius sacrum Deo placuit. (b) Vide Proverb. Noctua volavit.

Gratiarum Actio.

J. *Equidem gratiam & habeo, & habiturus sum, quoad vivam maximam. Pro isto tuo in me beneficio pares agere gratias vix possim: referre nequaquam. Video quantum debeam tuo in me studio. Nihil miror: neque enim tu quicquam novi feceris, & hoc magis debeo. De isthoc tuo in me officio amo te, mi Sapide, ut par est, maximè. Quod hac in causa præstiteris amicum minimè* (a) *aulicum, & habetur à me gratia, & semper habebitur. Quòd meum negotium tibi cordi fuerit, amo te & habeo gratiam. Isthoc officio gratiam inisti apud me maximam. Pergratum est, quòd causam meam egeris bona fide. Ex omnibus officiis, quæ tu plurima in me contuleris, hoc est longe gratissimum. Referre gratiam parem nequaquam possum: agere accuratius, inter nos supervacaneum sit: quod unum possum, habebo, dum vixero. Isthoc beneficio facis tibi me magnopere devinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quàm ut unquam solvendo essè queam. Hoc beneficio arctius me tibi devinxisti, quàm ut possim dissolvere. Obligatiorem me tibi reddidisti, quam ut nomen meum è tuo* (b) *diario possim unquam expun-*

expungere. Hoc officio me sic tuum reddidisti, ut nullum mancipium æquè sit in rebus heri sui. Hac in re me tibi deuinctiorem reddidisti, quàm ut unquam æs alienum possim resolvere. Plurimis nominibus tibi debeo: sed non alio plus, quàm hoc. Pro mediocribus beneficiis agendæ sunt gratiæ: hoc majus est, quam ut conveniat, verbis gratias agere.

(a) Illi enim sua solent curare, non amicorum. (b) Diarium, codicilli sive commentarioli rerum actarum in singulos dies.

Responsio.

S. *Auser mihi ista. Major est nostra necessitudo, quam ut vel tu mihi, vel ego tibi pro ullo officio debeam gratias agere. Non contuli hoc in te beneficium, sed retuli. Mihi quidem abundè relatam gratiam arbitror, si gratum est, quod feci sedulo. Non est, cur mihi gratias agas, si, pro tot tuis in me beneficiis non vulgaribus, hoc officiolum rependi. Equidem nihil laudis mereor, ingratissimus habendus, si defuissem amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea curâ præstari potest, hoc tam tuum esse ducito, quàm id, quod est maximè tuum. Videor mihi beneficium accepisse, quòd nostrum officium boni consulis. Pro tantillo officio mihi tam accurate gratias agis, quasi non multò majora tibi debeam. Sibi benefacit, qui benefacit amico. Qui benè meretur de amico, non dat beneficium, sed fœnerat. Si ex animo probas officium in te meum, fac utare sæpius. Ita credam tibi gratum esse, quod feci, si, quo-*

si, quoties desiderabis operam meam, non roges, sed imperes, quod voles.

Alia in congressu. Colloq. Helv. p. 386.

ARNOLDVS. CORNELIVS.

Salve multum, Corneli, jam toto sæculo desiderate. C. *Salve & tu sodalis exoptatissime.* A. *Jam desperabamus reditum tuum. Vbi tam diu peregrinatus es?* C. *Apud inferos.* A. *Non admodum veri dissimile dicis; adeo nobis redisti squallidus, macilentus, ac pallidus.* C. *Imò ab Hierosolymis adsum tibi, non a (a) profundis manibus.* A. *Quis Deus, aut quis ventus te illuc adegit?* C. *Quæ res adegit alios innumeros?* A. *Stultitia, ni fallor.* C. *Igitur hoc convitii non in me solum competet.* A. *Quid illic venabare?* C. *Vt miser essem.* A. *Istuc licebat domi. Estne illic, quod tu putes spectatu dignum?* C. *Vt ingenuè fatear tibi, propemodum nihil. Ostenduntur quædam monumenta vetustatis, quorum mihi nihil non videbatur commentitium, & excogitatum ad alliciendos simplices & credulos. Imò nec hoc arbitror illos certò scire, quo loco sita fuerit olim Hierosolyma.* A. *Quid igitur vidisti?* C. *Magnam ubique Barbariem.* A. *Nihilo sanctior redis?* C. *Imo multis partibus deterior.* A. *Nummatior ergo?* C. *Imò nudior (b) Leberide.* A. *An non pœnitet igitur tam longinquæ peregrinationis frustra susceptæ?* C. *Nec pudet, quia tam multos habeo meæ stultitiæ sodales: nec pœnitet, quia frustra jam sit pœnitere.* A. *Nihil ergo fructus refers ex tam difficili peregri-*

peregrinatione? C. Multùm. A. Quid tandem? C. Quia posthac vivam suavius. A. An quia jucundum est meminisse (c) laborum actorum? C. Est istuc quidem nonnihil, sed non in hoc sunt omnia. A. Est ne aliud præmium? C. Est sanè. A. Quod? effare. C. Magna voluptate, quoties libebit, & ipse me adsiciam & alios, mentiendo, quoties itinerarium meum recitabo in conciliabulis aut in conviviis. A. Profectò non tam procul aberras à scopo. C. Deinde non minus capiam voluptatis, cùm alios audiam mentientes de rebus, quas nec audierunt unquam, nec viderunt, idq; faciunt tanta confidentia, ut quum narrent (d) Siculis gerris vaniora, tamen sibi etiam persuadeant se vera loqui. A. Mira voluptas. Non omnino tibi periit (e) oleum & opera, quod aiunt. C. Imò hoc arbitror aliquantò consultiùs, quàm quod faciunt isti, qui paulo pecuniæ conducti proficiscuntur in militiam, omnium scelerum scholam. A. Sed illiberalis est voluptas, ex mendaciis voluptatem capere. C. Verùm hoc aliquantò liberalius, quàm obtrectatione & delectare, vel delectari, aut aleâ tempus & rem perdere. A. Cogor quidem pedibus in tuam ire sententiam. C. Verùm est & alius fructus. A. Quis? C. Si quis erit amicus egregiè charus, affinis huic insaniæ, eum admonebo domi maneat: ut nautæ solent ejecti naufragio monere navigaturos, quid periculi sit vitandum. A. Vtinam mihi monitor adfuisses in tempore. C. Quid? num similis morbus te quoque corripuit? Num afflavit & te hujus mali contagium? A. Vis

Romam & Compostellam. C. *Deum immortalem! quanto mihi solatio est, te contigisse stultitiæ meæ socium? Quæ (f) Pallas illud tibi misit in mentem?* A. *Non Pallas, sed ipsa Moria: præsertim quum domi haberem uxorem integra adhuc ætate, liberos aliquot, & familiam, quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alitur.* C. *Oportuit fuisse igitur seriæ rei quippiam, quod te à charissimis tuis distraxerit. Narra obsecro.* A. *Pudet dicere.* C. *non apud me, qui, ut scis, eodem tenear malo.* A. *Compotabamus aliquot vicini. Ubi vino incaluerat animus, erat, qui prædicabat sibi esse in animo salutare divum Iacobum: erat alter, qui divum Petrum: ilicò non defuit unus aut alter, qui sponderent, se comites fore. Tandem visum est, ut omnes irent simul Ego, ne viderer parum commodus cõpotor, pollicitus sum & ipse. Mox agitari cæptum, utrò potiùs iremus, Romam an Compostellam. Factum est senatusconsultum, ut bonis auspiciis utrôque postridie proficisceremur omnes.* C. *O grave decretum, dignius quod vino inscriberetur, quam æri!* A. *Ac mox ingens obambulat patera, quam ubi suo quisq; ordine ebibisset, votum factum est inviolabile.* C. *Nova religio. sed num omnibus contigit reditus incolumis?* A. *Omnibus, præterquam tribus: quorum unus in profectione moriens, mandavit nobis, ut suis verbis salutem diceremus Petro, & Iacobo; Alter periit Romæ, jussitq;, ut suo nomine salutaremus uxorem ac liberos; Tertium reliquimus Florentiæ, valetudinis plane deploratæ. Opinor jam esse apud*

superos.

superos. C. Adeone pius erat? A. Imò nugator maximus. C. Unde igitur istud suspicare? A. Quia peram habebat indulgentiis largissimis distentam. C. Audio: sed iter est longum in cœlum, nec satis, ut audio, tutum ob latrunculos, qui obsident regionem aeris mediam. A. Verum: sed ille sat erat munitus diplomatibus. C. Quâ linguâ descriptis? A. Romanâ. C. In tuto est igitur? A. Est, nisi fortè incidat in genium aliquem, qui Latinè nesciat: tum esset illi redeundum Romam, & novum diploma impetrandum. C. Bullæ venduntur illic & mortuis? A. Maximè. C. Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantiùs. Jam enim (g) Coryceis plena sunt omnia. A. Ego verò nihil elevo indulgentias: sed combibonis mei stultitiam rideo, qui, quum esset alioqui nugator nugacissimus, salutis suæ (h) proram, ut ajunt, ac puppim in membranâ collocarit potius, quam in correctis affectibus. Sed quando fruemur illa voluptate, quam modò prædicabas? C. Cum erit commodum, adornabimus compotatiunculam aliquam, vocabimus nostri ordinis homines: ibi certabimus mentiendo, nosq; affatim mutuis mendaciis oblectabimus. A. Age fiat.

(a) Alluſit ad primum Euripidis tragœdiæ, cui titulus Hecuba, ubi ſic loquitur Polydorus: Adſum profectus è profundis manibus, id eſt, ab inferis. (b) Nudior Leberide. Vide Chiliades. (c) Vide proverb. Acti labores. (d) Vide Chil. (f) Alluſit ad Hom. qui ſæpe Palladem facit huic aut illi ſuggerentem quid facto ſit opus. (g) id eſt, obſervatoribus proverb. (h) Vide proverb. proram ac puppim.

Alia. Colloq. Helv. p. 84.

Cocles. Pamphagvs.

C. *Aut parum prospiciunt oculi, aut Pamphagum veterem compotorem meum video.* P. *Imo nihil te fallunt oculi tui, vides sodalem ex animo tuum.* C. *Nulla cuiquam erat spes reditus tui, qui tot annos abfueris, ignaris omnibus, quæ te terrarum haberet regio. Sed unde? dic quæso.* P. *Ab antipodibus.* C. *Imò ab insulis, opinor, fortunatis.* P. *Gaudeo, quòd agnoveris sodalem tuum: nam verebar, ne sic domum redirem, quemadmodum rediit Vlysses.* C. *Quonam pacto rediit ille?* P. *Nec ab uxore est agnitus. Solus canis vetulus motâ caudâ dominum agnovit.* C. *Quot annos ille domo abfuerat?* P. *Viginti.* C. *Tu plures abfuisti, nec tamen fefellit me tua facies. Sed quis istuc narrat de Vlysse?* P. *Homerus.* C. *Oh? ille, ut ajunt, pater est omnium fabularum. Fortassis uxor interim asciverat* (a) *taurum alium, & idcircò non agnovit Vlyssem suum.* P. *Imo nihil illâ castius: sed Pallas addiderat Vlyssi senium, ne posset agnosci.* C. *Qui tandem agnitus est?* P. *E tuberculo, quod habebat in digito pedis: id animadvertit nutrix jam admodum anus, dum illi pedes lavat.* C. *O curiosam* (b) *lamiam! Et tu miraris, si ego te agnovi ex isto tam insigni naso?* P. *Nihil me pœnitet hujus nasi.* C. *Nec est cur pœniteat, quum organum tibi sit ad res tam multas utile.* P. *Ad quas?* C. *Primum, ad extinguendas lucernas erit cornu vice.* P. *Perge.* C. *Deinde, si quid hauriendum erit è cavo profundiore, fuerit loco*

pro-

promuscidis. P. Papæ! C. Si manus erunt occupatæ, licebit uti vice paxilli. P. Etiámne amplius? C. Conducet excitando foculo, si defuerit follis. P. Bellè narras. Quid præterea? C. Si lumen officiat scribenti, præbebit umbraculum. P. Ha ha hæ est præterea quod dicas? C. In bello navali præbebit usum (c) harpagonis. P. Quid in bello terrestri? C. Erit loco clypei. P. Quid deinde? C. Findendis lignis erit cuneus. P. Probe. C. Si præconem agas, erit tuba: si classicum canas, cornu: si fodias, ligo: si metas, falx: si naviges, ancora: in popina fuerit, fuscina: in piscando, hamus. P. O me felicem! nesciebam me circumferre tam ad multa conducibilem supellectilem. C. Sed quis interim terrarum angulus te habuit? P. Roma. C. Atqui fieri potuit, ut in tanta luce nemo te sciret vivum? P. Imò nusquam magis latent boni viri, adeò ut sæpè clarissimâ luce neminem videas in frequenti foro. C. Redis igitur nobis onustus sacerdotiis? P. Venatus equidem sum sedulo. at parum favit Delia. Nam complures illic piscantur hamo, quod dici solet, aureo. C. Stultum piscandi genus. P. Et tamen pulchrè succedit nonnullis. Sed non omnibus feliciter cadit hæc alea. C. An non insigniter stulti sunt, qui plumbum commutant auro? P. Sed non intelligis, in plumbo sacro venas auri subesse. C. Quid igitur? rediisti nobis nihil aliud, quàm Pamphagus? P. Non. C. Quid igitur? P. Lupus (d) hians. C. Felicius redeunt, qui asini redeunt, sacerdotiorum sarcinâ graves. Cur mavis sacerdotium quàm uxorem? P. Quia mihi placet otium.

Arridet Epicurea vita. C. At mea sententiâ suavius vivunt, quibus est lepida puella domi, quam complectantur quoties libet. P. Sed adde, nonnunquam cum non libet. Amo voluptatem perpetuam. Qui ducit uxorem, uno mense felix est. cui contigit opimum sacerdotium, in omnem usq; vitam fruitur gaudio. C. Sed tristis est solitudo, adeò ut nec Adam suaviter victurus fuerit in paradiso, nisi Deus illi adjunxisset Evam. P. Non deerit Eva, cui sit opulentum sacerdotium. C. Sed voluptas non est voluptas, quæ cum malâ famâ malâque conscientiâ conjuncta est. P. Verum dicis, & idcirco mihi in animo est, confabulatione librorum solitudinis tædium fallere. C. Istis quidem sodalibus nihil jucundius. Sed redis ne ad tuam piscationem? P. Redeo, si liceat parare novam escam. C. Aureámne an argenteam? P. Utramlibet. C. Bono animo es, pater suppeditabit. P. Nihil illo tenacius. Nec crediturus est denuo, cum intellexerit, mihi sortem etiam periisse. C. Verum ista lex est aleæ. P. Sed ille non delectatur hac aleâ. C. Si pernegabit ille, commonstrabo tibi, unde possis, quantum voles, pecuniæ sumere. P. Tu vero mihi voluptatem narras: agè monstra, jam cor mihi salit. C. In promptu est. P. Nactus es Thesaurum aliquem? C. Si nactus essem, mihi nactus essem, non tibi. P. Si queam corradere centum ducatos, revixerit spes. C. At ego tibi commonstrabo, unde possis haurire centum millia. P. Quin tu igitur me beas? Ne diutius eneca. Dic, unde? C. Ex asse Budæi. Illic reperies innumeras myriades, sive auream

auream malis monetam, sive argenteam. P. Ab quo dignus es cum tuo joco. Illinc tibi resolvam, quod debuero pecuniæ. C. Resolves, sed quod illinc tibi numeraro. P. Age, novi nasum tuum. C. At mihi præter nasus est nullus. Imò te nihil nasutius. Nihil es nisi nasus. C. Ludis in re seriâ. Hac in re (c) ringi possim citius, quam ridere. Res gravior est quam ut ridere liceat. Tu si hic esses, non luderes. P. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, & illudis me. Joco me tractas in re neutiquam jocosa. C. Minimè rideo. id quod res est dico. Non rideo quidem, imò rem ipsam dico. Seriò loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. Vera loquor. P. Ita tibi semper (f) stet in capite pileum, ut ista tu simpliciter loqueris. Sed cesso abire domum, cogniturus quo in statu sint illic omnia. C. Offendes nova permulta. P. Credo, sed utinam omnia ex animi sententia. C. Istud optare licet omnibus, sed hactenus obtigit nemini. P. Hoc quoque commoditatis adfert utrique nostrûm sua peregrinatio, quòd dulcior erit posthac domus. C. Nescio. nam video quosdam septies illo recurrere. Adeò scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel invaserit.

(a) Taurum, id est, adulterum. Hor. Quærenti Taurum monstravit inertem: sic appellat maritum, qui nimium diu abfuit. Nam Vlyssem reducem nullus agnovit præter canem. (b) Lamiæ, maleficæ mulieres quæ oculos habent, cùm foris sunt, quibus perspiciunt omnia, domi cæcutiunt. (c) Harpagones, instrumenta, quibus injectis attrahunt navem commissuri bellum. (d) Vide Chiliad. & allusum est ad nomen Pamphagus, quod Græcis sonat omnia comedentem.

dentem. (e) Ringitur iratus, non ridet. Rictus igitur est diductio, sed præ dolore quum risus sit ex gaudio. (f) Proverbium in eos, qui diversum sentiunt ab iis, quæ dicunt. Ita, id est, præpostere stet pileum.

Militaria. Colloq. Helv. p. 375.

HANNO. (a) THRASIMACHVS.

H. *Unde redis nobis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras?* T. *Quos Vulcanos aut quos Mercurios mihi narras?* H. *Quia alatus videbare cùm abires, nunc claudicas.* T. *Sic à bello rediri solet.* H. *Quid tibi cum bello, homo quovis damâ fugacior?* T. *Spes prædæ reddiderat fortem.* H. *Multum igitur refers (c) manubiarum?* T. *Imò (d) zonam inanem.* H. *Tanto minus gravare sarcinâ.* T. *Atqui sceleribus onustus redeo.* H. *Gravis profectò sarcina, si verum dicit Propheta, qui peccatum appellat plumbum.* T. *Plus illic scelerum & vidi, & patravi, quàm unquam antehac in omni vita.* H. *Ecquid igitur arridet vita militaris?* T. *Nihil neq; scelestius, neq; calamitosius.* H. *Quid igitur in mentem venit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis currunt ad bellum, non aliter, quam ad convivium?* T. *Ego nihil aliud conjectare possim, quàm illos agi malis furiis, seseq; totos malo dæmoni ac miseriæ devovisse, nec aliud, quàm hîc manes suos anticipare.* H. *Ita quidem videtur. Nam ad res honestas vix ullo pretio conduci queant. Sed expone nobis, quomodo gestum sit prælium, & utrò sese inclinarit victoria.* T. *Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuum tonitrua, hinnitu-*

tus equorum, clamor virorum, ut neq; videre potuerim, quid gereretur, adeò ut vix scirem ubi essem ipse. H. Unde igitur cæteri, qui ex bello veniunt, sic depingunt singula, quid quisq; dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent otiosi spectatores? T. Ego credo istos mentiri splendide. In tentorio meo quid gestum sit scio, quid in prælio, prorsus ignoro. H. An ne hoc quidem scis, unde tibi venerit claudicatio? T. Vix, ita me Mavors posthac malè amet. suspicor, aut saxo, aut equi calce læsum genu. H. At ego scio. T. Scis? an tibi narravit aliquis? H. Non, sed divino. T. Dic igitur. H. Cum fugeres pavidus, collapsus humi offendisti in silicem. T. Dispeream, nisi rem acu tetigisti. adeò verisimile est, quod divinasti. H. Abi domum, & uxori narra tuas victorias. T. Illa mihi occinet haud suave (e) encomium, qui nudus redeam. H. Sed unde restitues quod rapuisti? T. Jampridem restitui. H. Cui? T. Scortis, (f) œnopolis, & iis qui me viceruns alea. H. Satis militariter. par est, ut quod malè partum est, pejus dispereat. Verùm à sacrilegiis, opinor, temperatum est. T. Imò illic erat (g) sacrum nihil. Nec profanis parcitum est nec sanis. H. Quo pacto sarcies? T. Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit: jure fit, quod illic fit. H. Jure belli fortassis. T. Tenes. H. At istud jus summa est injuria. Te non patria pietas, sed præda spes pertraxit in bellum. T. Fateor, & arbitror, paucos illuc ire sanctiore proposito. H. Est aliquid insanire cum multis. T. Concionator è suggestu pro-

nunciavit, bellum esse justum. H. *Suggestum illud non solet mentiri. Sed ut justum sit principi, non continuò justum est tibi.* T. *Audivi ex* (h) *Rabinis, quod licet sua cuiq; arte vivere.* H. *Præclara ars, incendere domos, diripere templa, violare sacras virgines, spoliare miseros, occidere innoxios.* T. *Lanii conducuntur ad mactandum bovem: quur nostra ars reprehenditur, quòd conducimur ad mactandos homines?* H. *Non eras solicitus, quonam esset migratura anima tua, si contigisset in bello cadere?* T. *Non admodum. Bona spes habebat animum meum. Nam divæ Barbaræ me semel commendaram.* H. *Receperat illa tutelam tui?* T. *Sic mihi visa est annuere capite aliquantulum.* H. *Quando istuc tibi visum est? mane?* T. *Non, sed à cœna.* H. *Sed tum ut arbitror, etiam arbores tibi visæ sunt ambulare.* T. *Ut hic divinat omnia? Sed præcipua spes erat in divo* (i) *Christophoro, cujus imaginem quotidie contemplabar.* H. *In tentoriis? Unde illic divi?* T. *Carbone pinxeramus illum in velo.* H. *Nimirum haudquaquam* (k) *siculnum, ut ajunt, præsidium erat Carbonarius ille Christophorus. Sed extra jocum, non video qui possis expiari à tantis flagitiis, nisi te conferas Romam.* T. *Imò novi viam breviorem.* H. *Quam?* T. *Ibo ad Dominicales: illic paulò transigam cum commissariis.* H. *Etiam de sacrilegiis?* T. *Etiamsi Christum ipsum spoliassem, ac decollassem etiam: tam largas habent indulgentias, & auctoritatem componendi.* H. *Benè habet, si vestram compositionem Deus ratam habuerit*

buerit. T. *Imò magis metuo, ne Diabolus non habeat ratam. Nam Deus naturâ placabilis est*. H. *Quem tibi sacerdotem deliges?* T. *Cui cognovero quam minimum esse frontis ac bonæ mentis*. H. *Ne non habeant similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus dominicum?* T. *Quidni? posteaquam semel effudero sentinam in illius cucullam, ego me exoneravero sarcina: ipse viderit, qui absolvit*. H. *Qui scis an absolvat?* T. *Scio*. H. *Quonam indicio?* T. *Quia manum imponit capiti, admurmurans nescio quid*. H. *Quid si reddat tibi omnia peccata tua, cum manum imponit, hæc admurmurans? Absolvo te ab omnibus benefactis, quæ nulla in te comperio: & restituo te tuis moribus, talemq; dimitto, qualem accepi*. T. *Viderit ille, quid dicat: mihi satis est, quod me credo absolutum*. H. *Sed istud tuo periculo credis. Fortasse non fuerit satis Deo, cui debes*. T. *Unde tu mihi obvius, qui mihi conscientiam è serena nubilam redderes?* H. *Felix occursus. Bona avis est obvius amicus, qui benè moneat*. T. *Nescio quam bona, certò parum suavis*.

(*a*) Thrasimachus, id est, audax in pugna, nomen aptum militi. (*b*) Vulcanus fingitur claudus, Mercurius alatus. (*c*) Manubiæ pecunia è spoliis collecta. (*d*) Vide prov. Zonam perdidi. (*e*) Solent encomio laudari, qui fortiter se gessissent in bello. (*f*) œnopolis, id est, vinorum venditoribus, cauponibus. (*g*) Allusum ad proverb. Nihil sacrum, aut sanum; tametsi deflexit in alium sensum. (*h*) Rabinos vocant Hebræi, quos nostri magistros nostros. (*i*) Allusum est vulgi opinioni: unde plerunq; Christophoros cum hoc districho pictus videas: Christophori sancti faciem qui-

quicunque tuetur, illo nempe die non morte mala morietur. (k) Ficulnum præsidium id est, parum vtile & validum. Vide Chil.

Herilia. Coll. Helv. p. 19.

RABINVS. SYRVS.

R. *Heus heus furcifer, jamdudum rauceſco clamore, nec tu tamen expergiſceris: videre mihi vel cum gliribus certare poſſe. At ocyus ſurge, aut ego tibi fuſte ſomnum iſtum excutiam. Quando crapulam heſternam edormieris? Non pudet ſomnium hominis, in multam lucem ſtertere? Qui frugi ſunt famuli, ſolent exortum ſolis anteuertere, curareq;, ut herus ſurgens reperiat omnia parata. Vt egre divellitur à nido tepefacto cuculus? Dum ſcalpit caput, dum diſtendit nervos, dum oſcitat, tota abit hora.* S. *Vix dum diluxit.* R. *Credo tibi. Nam tuis oculis adhuc multa nox eſt. Tibi nox eſt adhuc concubia.* S. *Quid me jubes facere?* R. *Fac ut luceat foculus: verre pileum ac pallium: exterge calceos & crepidas. Inverſas caligas primum intus purga ſcopis, mox foris: Deinde ſuffitum aliquem facito purgando aëri. Accende lucernam. Muta mihi lineum induſium, ac ad ignem fumi expertem ſicca lotum.* S. *Fiet.* R. *Atqui move te ocyus. Jam hac feciſſe oportuit.* S. *Moveo.* R. *Video, ſed nihil promoves. Vt incedit teſtudo?* S. *Non poſſum ſimul ſorbere & flare.* R. *Etiam ſententias loqueris, carnifex? Tolle matulam. Compone lecti ſtragulas revolve cortinas. Verre pavimentũ. Verre ſolũ cubiculi. Adfer aquam lavandis manib. Quid ceſſas aſine?*

asine? Annus est, priusquam accendas candelam. S. Vix reperio scintillam ignis. R. Sic heri condidisti. S. Nec follem habeo. R. Vt respondat nebulo? quasi qui te habeat, careat folle. Sy. Quàm imperiosum habeo dominum? vix hujus jussis decem expediti famuli fecerint satis. Ra. Quid ais, cessator? Sy. Nihil. omnia rectè. R. Non ego te audio murmurantem? S. Equidem precor. Credo, pater noster inuersum; Precationem, opinor, Dominicam præpostere. Quid gannis de imperio? Sy. Precor tibi, ut tu fias imperator. R. Et ego tibi, ut fias homo ex caudice. Sequere me ad templum vsq; mox domũ recurrito, lectos concinnato. Hæc confusa, suo quæque loco digerito. Fac ut niteat tota domus. Matulam defricato. Hæc sordida dimoveto ab oculis. Fortassis invisent me quidam aulici. Si quid sensero prætermissum, vapulabis largiter. S. Hic sanè novi benignitatem tuam. R. Proinde cave, si sapis. Syr. At interim de prandio nulla mentio. Ra. Vah! ut hic mentem habet furcifer? Non prandeo domi, itaque sub horam decimam ad me transcurrito, deducturus me eò, vbi sum pransurus. Sy. Tibi quidem prospectum. R. Sed hic interim nihil est quod edas? est quod esurias. Sy. Nemo fit esuriendo satur. Ra. Est panis. Sy. Est, sed ater & furfuraceus. Ra. Delitias hominis. Te quidem fœnum esse oportuit, si pabulum detur te dignum. An postulas, ut te asinum tantum placentis saginem? Si fastidis panem citra obsonium, adde porrum, aut si mavis, cepe.

Alia

Colloq. Helv. p. 24. Alia.

R. Est tibi abeundum in forum. S. Tam procul? R. Non sunt nisi sex passus, tibi pigro sunt bis mille: consulam autem tuæ pigritiæ. Eadem legatione multa conficies negotia: tu supputa in digitos, ut memineris. Primum deflectes ad vestiarium, ac thoracem (a) undulatum, si jam perfectus est, ab eo recipies. Hinc quæres Cornelium (b veredarium). Is plerunq; est in Cervo, ibi potitat: rogabis, si quid habet literarum ad me, & ad quem diem sit profecturus. Deinde convenies mercatorem pannarium: rogabis meis verbis, ne quid sollicitus sit, quod pecuniam non miserim ad diem præscriptum: numerabitur propediem. S. Quando? ad Calendas Græcas? R. Rides ganeo? Imò ante Calendas Martias. In reditu deflectes ad levam, & ex bibliopolis disces, si quid advectum sit novorum libellorum è Germania. Cognosce qui sint, & quanti venales. Post hæc rogabis Colenium, ut mihi dignetur esse conviva, alioqui cœnaturo soli. S. Etiam convivas vocas? non habens domi, unde vel murem pascas. R. Proinde tu, confectis cæteris, abi ad macellum, & eme nobis armum ovillum: eum curabis diligenter assum. Audin' hæc? S. Plura quam vellem. R. At vide ut memineris. S. Vix potero dimidium. R. Etiam hic stas, cessator? Jam redisse oportuit. S. Quis possit unus tot rebus obeundis sufficere? Deduco ac reduco: sum illi à scopis, à matula, à pedibus, à manibus, à poculis, à libellis, à rationibus, à jurgiis, à legationibus. Postremò, non videor illi sat occupatus, nisi sim & coquus.

(a) Vulgò

(a) Vulgò Chamelot. (b) Veredarius, quem vulgò curſorem aut poſtam vocant.

Alia. Colloq. Helv. p. 241.

R. *Profer ocreas: nam equitandum eſt.* S. *En adſunt.* R. *Probè equidem abs te curatæ, totæ albent ſitu. Opinor nec exterſas, nec unctas hoc anno; adeò rigent præ ſiccitate. Exterge ſubuvido panno, mox unge ad ignem diligenter, ac macera, donec molleſcant.* S. *Curabitur.* R. *Ubi calcaria?* S. *Adſunt.* R. *Verum, ſed obducta rubigine. Ubi frenum & ephippia?* S. *Sunt in promptu.* R. *Vide ne quid deſit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum, ne quid nobis ſit in mora, cùm erimus in curſu. Propera ad ſellarium, & hoc lorum cura ſarciendum. Reverſus inſpice ſoleas ſive calceos equorum, num qui clavi deſint, aut vacillent. Quam macilenti ſunt equi, quamq; ſtrigoſi? Quoties abſtergis, aut pectis illos in anno?* S. *Imo quotidie.* R. *Nimirum res ipſa loquitur. Jejunant, opinor, nonnunquam totum triduum.* S. *Minimè.* R. *Negas tu quidem: ſed aliud dicturi ſint equi, ſi loqui liceat. Quanquam ſatis loquuntur ipsâ macie.* S. *Curo ſedulò.* R. *Cur igitur tu habitior equis?* S. *Quia non paſcor fœno.* R. *Hoc igitur reſtat. Adorna manticam celeriter.* S. *Fiet.*

Monita Pædagogica. Colloq. Helv. p. 36.

PÆDAGOGVS. PVER.

P. *Tu mihi videre non in aula natus, ſed in caula: adeò moribus es agreſtibus. Puerum ingenuum*

decent

decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiã, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statũ: aperi caput. Vultus sit, nec tristis, torvus, nec impudens, nec protervus, nec instabilis: sed hilari modestia temperatus, & verecundi, semper intenti in eum, cui loqueris: iuncti pedes: quietæ manus: Nec vacilles alternis tibiis: nec sint gesticulosæ manus: nec mordeto labrum: nec scabito caput: nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur, ut totus cultus, vultus, gestus, & habitus corporis, ingenuam modestiam & verecundam indolem præ se ferat. Pu. Quid si mediter? Pæ. Fac. Pv. Siccine satis est? Pæ. Nondum. Pv. Quid si sic? Pæ. Propemodum. Pu. Quid si sic? Pæ. Hem satis est. Istud tene, ne sis inepte loquax, aut præceps. Nec vagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis ac prudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomento honoris gratia: atq; identidem modicè flectas alterum genu, præsertim vbi responsum absolveris. Nec abeas nisi præfatus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age, specimen aliquod huius rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti à maternis ædibus? P. Iam sex fermè menses. Pæ. Addendum erat, Domine. Pu. Iam sex fermè menses, domine. Pæ. Non tangeris desiderio matris? P. Nonnunquam sane. Pæ. Cupis eam revisere? Pu. Cupio domine, si id pace liceat tua. Pæ. Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Cùm loqueris, cave ne præcipites sermonem,

Aut

aut hæsites linguâ, aut palato immurmures: sed distinctè, clarè, articulatè consuescito proferre verba tua. Si quem præteribis natu grandem, magistratum, sacerdotem, doctorem, aut alioqui virum gravem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito, cum præteribis ædem sacram aut imaginem crucis. In convivio sic te præbebis hilarem, ut semper memineris, quid deceat ætatem tuam: postremus omnium admoveto manum patinæ. Si quid datur lautius, recusato modestè: si instabitur, accipe, & age gratias. Mox decerptâ portiunculâ, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proximè accumbenti. Si quis præbibet, hilariter illi bene precator: sed ipse bibito modicè. Si non sitis, tamen admoveto cyathum labiis. Arride loquentibus: ipse ne quid loquaris, nisi rogatus. Si quid obscœni dicetur, ne arride: sed cõpone vultum, quasi non intelligas. Ne cui obtrectato: ne cui temet anteponito: ne tua jactato: ne aliena despicito. Esto comis etiam erga tenuis fortunæ sodales. Neminem deferto. Nec sis lingua futili. Ita fiet, ut sine invidia laudem invenias, & amicos pares. Si videris convivium esse prolixius, precatus veniam, ac salutatis convivis, subducito te à mensa. Vide ut horum memineris. Pu. Dabitur opera, mi præceptor. Nunquid aliud vis? Pæ. Adito nunc libros tuos. Pu. Fiet.

De Lusu. Colloq. Helv. p. 94.

NICOLAVS. HIERONYMVS. COCLES. PÆDAGOGVS.

N. *Iamdudum & animus & cælum & dies invitant ad ludendum*. H. *Invitant quidem hæc omnia: sed solus præceptor non invitat*. N. *Subornandus orator quispiam, qui veniam extorqueat*. H. *Apte quidem dictum, Extorqueat. Nam citius clavam extorseris è manu Herculis, quàm ab hoc ludendi veniam. At olim illo nemo fuit ludendi avidior*. N. *Verum: sed jam olim ille oblitus est, se fuisse puerum. Ad verbera facilimus est, & liberalis: hic parcissimus, idemq; difficilimus*. H. *Attamen protrudendus est aliquis legatus non admodum* (a) *verecundæ frontis, quem non illico* (b) *protelet suis sævis dictis*. N. *Eat, qui volet. ego carere malo quàm rogare*. H. *Nemo magis accommodus ad hanc legationem quàm Cocles*. N. *Nemo profecto. Nam perfrictæ frontis est, ac bene linguax. Deinde sensum hominis pulchrè callet*. H. *I Cocles, ab omnibus nobis magnam initurus gratiam*. C. *Equidem experiar sedulo. Verum si non successerit, ne conferte culpam in oratorem vestrum*. H. *Bene ominare. si te satis novimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator*. C. *Eo. Bene fortunet legationem meam* (c) *Mercurius. Salve præceptor*. P. *Quid sibi vult nugamentum hominis?* C. *Salve præceptor observande*. P. *Insidiosa civilitas. Satis jam salveo. Dic quid*

quid velis. C. Totus discipulorum tuorum grex orat ludendi veniam. P. Nihil aliud quàm luditis, etiam absque venia. C. Scit tua prudentia, vigorem ingeniorum excitari moderato lusu, quemadmodum nos docuisti ex Quintiliano. P. Sanè ut istud tenes, quod pro te facit? Laxamento opus est iis, qui vehementer laborant; vobis, qui segniter studetis, & acriter luditis, freno magis opus est, quam laxatis habenis. C. Adnitimur pro viribus: Et, si quid hactenus cessatum est, post diligentiâ sarcietur. P. Oh sartores! Quis erit fidejussor aut sponsor, istud futurum? C. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor. P. Imò culi periculo potius. Scio quam non sit tutum tibi credere: tamen hic periculum faciam, quam sis bonæ fidei. Si dederis verba, posthac nequicquam mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. Ne divertant ad compotationes, aut alia nequiora. Maturè se recipiant domum antè solis occubitum. C. Fiet. exoravi, quanquam ægre. H. O lepidum caput! omnes amamus te plurimum. C. Sed interim cavendum, ne quid peccemus: alioqui de meo tergo dependendum foret: fidejussi vestro omnium nomine. Quòd si quid accidat, non est quòd me posthac utamini legato. H. Cavebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet? C. De hoc in campo consultabimus.

(a) Vide proverbium, Perfrictæ frontis. (b) Protelare est abigere, & longe propellere. Item exagitare significat & perturbare. Terent. in Phormio. act. 1. sc. 4. (c) Mercurius, id est nuncius, quia præses est nunciorum.

Pila. Colloq. Helv. p. 98.

N. *Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quam pila palmaria, sed aptior hyemi quam æstati.* H. *Nullum anni tempus nobis parum accommodum est ad ludendum.* N. *Minus sudabitur, si ludamus reticulo.* H. *Imò reticulum piscatoribus relinquamus: elegantius est palma uti.* N. *Agè nihil moror: sed quanti certabimus?* H. *Talitro. sic parcetur pecuniæ.* N. *At ego malo fronti parci, quàm pecuniæ.* H. *Et mihi frons charior est pecuniâ. Aliquo periculo certandum est, alioqui friget ludus.* N. *Sic res habet, ut dicis.* H. *Utra pars prior evicerit tres lusus, ei victa pendet sextam drachmæ partem, sed hac lege, ut quidquid è victoriis collectum fuerit, insumatur in convivium, ad quod pariter vocentur omnes.* N. *Placet lex, & rata esto. Superest igitur, ut sortiamur partes. Nam sumus fermè pares omnes, ut non admodum referat, quis cui conjungatur.* H. *Tu tamen me longè peritior es.* N. *Ut sim, sed tu felicior.* H. *Etiam hic valet fortuna?* N. *Illa nusquam non regnat.* H. *Agè, fiat sortitio. Euge bene cecidit; contigêre quos volebam.* N. *Et nos nostræ sodalitatis non pœnitet.* H. *Agedum, simus viri. Amat victoria curam. Suum quisque locum gnaviter tueatur. Tu mihi consiste à tergo, excepturus pilam, si me transvolet. Tu istic observa, repulsurus huc ab adversariis revolantem.* N. *Ne musca quidem hac prætervolarit impunè.* H. *Agite bonis avibus, mittite pilam in tectum. Qui miserit nihil præfatus, frustra miserit.*

serit. N. *Hem. accipe igitur.* H. *mittito. Si miseris extra lineas, aut infra, supráve tectum, vestro damno fuerit, aut certè nobis fraudi esse nolim. Tu sane parum commodè mittis.* N. *Tibi quidem: at nobis commodè.* H. *Vt miseris, ita remittam. Par pari referam. Sed præstat ingenuè legitimeq; ludere.* N. *In ludo pulchrum est, arte vincere.* H. *Fateor, atque etiam in bello. Sed habet utraque pars suas leges. Et sunt artes illiberales.* N. *Credo plures septem. Signa terminum testulâ, aut rudere, aut si mavis, pileo tuo.* H. *Tuo malim.* N. *Rursus accipe pilam.* H. *Mitte. Pone notam.* N. *Habemus duos terminos satis longinquos.* H. *Vtcunque, sed tamen vincibiles.* N. *Plane vincibiles, si nemo repugnet.* H. *Euge priorem metam prætercurrimus: vicimus quindecim. Heus præbetè vos viros: viceramus & hîc, si tu tuo constitisses loco. Sumus igitur pares.* N. *Non diu futuri. Vicimus triginta: vicimus quadragintaquinque.* H. *Sestertia?* N. *Non.* H. *Quid igitur?* N. *Numeros.* H. *Quò pertinent numeri, si nihil est quod numeres?* N. *Noster hic ludus est.* H. *Præproperè tu quidem ante victoriam canis triumphum. Vidi qui vincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est, ut Martis, ita lusus alea. Habemus triginta. Iam rursum pares sumus.* N. *Nunc seria res agitur. Euge successit, habemus potiores.* H. *Non diu habituri. Dixin? Rursum æquali fortunâ sumus.* N. *Diu nutat fortuna velut anceps, utris velit addicere victoriam. O sors fortuna, si nobis faveris, dabimus tibi maritum.*

Euge, audivit votum. Penes nos est hujus certaminis victoria. Pone notam cretaceam, ne excidat. Iam (a) appetit vespera, & sudatum est satis; praestat a ludendo desistere, ne quid nimis. Supputemus lucrum. N. *Nos evicimus tres drachmas, vos duas. Restat igitur una ad compotatiunculam. Sed interim quis solvet pretium pilarum?* H. *Omnes ex aequo, pro sua quisq; portione. Nam lucrum exilius est, quàm ut inde possit aliquid decidi.*

(a) Appetit vespera, pro instat, cùm est verbū neutrale.

Ludus globorum missilium. Colloq. Hebr. p. 104.

ADOLPHVS. BERNHARDVS.

A. *Tu toties apud me gloriatus es, te mirumquendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age libet experiri, qui vir sies.* B. *Nihil detrecto, huc, si quid libet. Nunc tu planè, quod dici solet, (a) in planiciem provocas equum.* A. *Et tu senties, me non esse asinum.* B. *Placétne (b) monomachia, ut unus cum uno congrediatur, an mavis adjungi socios periculi?* A. *Malo μονομαχεῖν, ne qua pars victoriæ decidatur alteri.* B. *Istud & ipse malo, ut laus in solidum sit mea.* A. *Hi spectatores erunt, & arbitri.* B. *Recipio. sed quod erit victori bravium, aut quæ victo pœna?* A. *Quid si victo amputetur auricula?* B. *Imò testium alter execetur potius. Non est magnificum, certare pro pecunia. Tu Germanus es, & ego Gallus: decertemus pro sua uterque gentis gloria. Si vicero, tu ter exclamabis: Floreat Gallia: si victus, quod absit, fuero, totidem verbis*

celebrabo

celebrabo tuam Germaniam. A. *Agè, placet conditio.* B. *Adsit fortuna. Quando periclitantur hoc ludo duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ.* A. *Nosti saxum illud prominens haud procul à porta?* B. *Novi.* A. *Ea erit meta, & hæc linea.* B. *Esto, sed sint inquam pares globi.* A. *Minus discernas ovum ab ovo, aut ficum à ficu. Sed mea non refert, utrum malis, elige.* B. *Mitte.* A. *Heus tu mihi non brachium sed balistam habere videris, ita torques globum.* B. *Satis momordisti labrum, satis rotasti brachium, tandem mitte. O vires Herculeas! sed tamen vinco.* A. *Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præverti[illegible]te.* B. *Consiste in sphæra tuæ vestigio.* A. *Non utar dolo malo. Cupio virtute non fraude vincere: quandoquidem de gloria certamen est. Bene vertat.* B. *Ingens profectò jactus.* A. *Ne ride prius quàm viceris. Adhuc penè sumus pares.* B. *Nunc res agitur. Uter prior metam contigerit, is vicerit.* A. *Vici: canta.* B. *Sed definiendum erat, quoto ludo constaret victoria. Nam primo nondum incaluerant vires.* A. *Definiant arbitri.* AR. *Tertio.* B. *Placet.* A. *Quid ais? agnoscisne victorem?* B. *Tibi fortuna magis aspiravit: viribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronunciaverint, id sequar.* AR. *Germanus vicit, & hoc glorioſior est victoria, quòd talem artificem vicerit.* A. *Nunc canta Galle.* B. *Sum (c) raucus.* A. *Hoc Gallis novum non est: sed tamen coccyssa.* B. *Floreat Germania ter.* A. *Imò ter hoc erat canendum.* B. *Contraximus siticulam: eamus ad compotatiunculam, ibi perfi-*

cietur cantio. A. *Non recuso, si ita videtur arbitris*. B. *Ita commodius est. Melius canit Gallus (d) colluto gutture.*

(*a*) In planitiem, vide proverbium. (*b*) Monomachia, singulare certamen. (*c*) Alluſit ad Gallos gallinaceos, quibus naturâ adeſt vox rauca, qui proprie dicuntur coccyſſare. Vnde & Galli, vulgò vocant gallum coco. (*d*) Ita colluere guttur apud Perſium. Solet autem medicamentis vox fieri mollior, quod hîc fit vino.

Ludus ſphæræ per annulum ferreum. Colloq. Helv. p. 109.

GASPAR. ERASMVS.

G. *Agè, nos auſpicabimur. Victo ſuccedet Marcolphus*. E. *Sed quod erit victori præmium?* G. *Victus ex tempore faciet & recitabit diſtichon in laudem victoris*. E. *Accipio legem*. G. *Visne ſortiamur, uter prior incipiat?* E. *Eſto tu Prior, ſi libet, ego malim eſſe Abbas*. G. *Hoc tua conditio potior eſt, quod tibi nota eſt area*. E. *Verſaris in tuâ harenâ*. G. *In hac exercitatior ſum, quam in libris. Tamen iſtud perquam exigui momenti eſt*. E. *Æquum eſt, ut tantus artifex in hoc certamine mihi largiare nonnihil*. G. *Imò iſtud abs te peterem juſtius: ſed parum eſt honeſta, precaria victoria. Is demum vincit, qui ſuo marte vincit. Ita ſumus pares, ut non melius commiſſus fuerit olim cum Bitho Bacchius*. E. *Tua ſphæra commodior eſt mea*. G. *Et tua vola vincit meam*. E. *Ludito legitimè, absque technis ac dolo malo*. G. *Dices tibi rem eſſe cum homine probo*. E. *Sed prius audire*

cupio

cupio hujus (a) sphæristerii plebiscita. G. Quaternio ludum absolvit. Qui hanc lineam præterierit, in damno est; reliquos limites si transilias, sine fraude fiet. Qui globum suo loco moverit, perdit jus feriendi. E. Intelligo. G. En occlusi tibi portam. E. Sed isthinc te excutiam. G. Id si feceris, cedam tibi hujus certaminis palmam. E. Bona fide? G. Optimâ. Non enim potes alia via: nisi sic mittas sphæram tuam in parietem, ut resiliat in meam. E. Id experiar. Quid ais bone vir? Nonne depulsus es? G. Fateor, utinam tam sapiens esses, quam es felix: sed istud centies tentanti, vix semel successerit. E. Imò si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoq; experimento successerit, vinces. Sed interim redde pactum præmium. G. Quodnam? E. Distichon. G. Reddam, & quidem ex tempore. E. Quid arrodis unguem? G. Habeo. E. Recita clarè. G. Clarissime.

Plaudite victori juvenes hìc quotquot adestis.
Nam me qui vicit, doctior est (b) nebulo.

Nonnè distichon habes? E. Habeo, sed quale ab te allatum est, tale tibi referetur.

(a) Sphæristerium, locus in quo sphæris luditur. (b) Philosophus quidam apud Laertium, videns quendam lasciva saltatione gestientem, quo melius (inquit) feceris, hoc deterius facies; in re malâ quò melior es artifex, hoc es vir pejor.

Saltus. Colloq. Helv. p. 113.

VINCENTIVS. LAVRENTIVS.

V. Libétne decertare saltu? L. Ludus iste non

convenit pransis. V. Quamobrem? L. Quia ventris (a) saburra gravat corpus. V. Non admodum sanè, qui pransi sint in pædagogio. Nam hi plerunq; cœnaturiunt prius, quam absolverint prandium. L. Quod igitur saliendi genus placet? V. Auspicemur ab eo, quod est simplicissimum, à saltu locustarum, sive mavis, ranarum; utraq; tibia, sed junctis pedibus, qui longissimè promoverit cingulum, coronam feret. Hujus ubi erit satietas, aliud atq; aliud genus experiemur. L. Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum: nolim mihi rem esse cum chirurgis. V. Quid si certemus unica tibia? L. Iste ludus est (b) Empusæ, valeat. V. Hastæ innixum salire, cumprimis est elegans. L. Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Virgilium proposuit & Aeneas. V. Verum, sed idem proposuit & cæstuum certamen, quo non delector. L. Designa stadium. Hoc loco sit carcer: quercus ista sit meta. V. Sed utinam adesset (c) Æneas, qui proponat & præmia victori. L. Victori abundè magnum præmium est gloria. V. Victo potius dandum erat præmium, solatii gratiâ. L. Sit igitur victo præmiũ, ut lappâ coronatus redeat in urbem. V. Equidem non recusarim, si tu præeedas tibiâ canens. L. Est ingens æstus. V. Nec mirũ, quum sit solstitium æstivum. L. Præstiterat natare. V. Vbi non placet ranarum vita. Animal sum terrestre, non (d) amphibion. L. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cumprimis habebatur liberale. V. Imò etiam utile. L. Ad quid? V. Si fugiendum

dum sit in bello, ibi potissimum valent, qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt. L. *Artem narras haudquaquam aspernandam. Neque enim minus laudis est aliquando bene fugere, quam fortiter pugnare.* V. *Sum planè rudis & imperitus natandi: nec sine periculo versamur in alieno elemẽto.* L. *Sed assuescere oportet: nemo nascitur artifex.* V. *At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse.* L. *Experieris primum innixus* (e) *suberi.* V. *Nec suberi fido magis quam pedib. si vobis cordi est natatio, spectator esse malo quam certator.*

(*a*) Saburra, onus navis, quo libratur adversus fluctus. Et Plautus Saburratas vocat saturas. (*b*) Empusæ, Spectrum est apud Aristophanem, quod apparet unica tibia, unde & Græci nomen dedere. (*c*) Apud Virgilium lib. 6. (*d*) Amphibia dicuntur, quæ simul & in aqua vivunt & in terra, ut crocodilus, anates, & similia. (*e*) Corticis genus semper fluitans: unde qui discunt natare, subjiciunt pectori. Hor. Nabis sine cortice.

Confabulatio pia.

Erasmvs. Gaspar.

E. Vnde nobis prodis? è popina quapiam? G. Bona verba. E. è sphæristerio? G. Ne hoc quidem. E. Ex œnopolio? G. Nequaquam. E. Quando non assequor divinando, dic ipse. G. Ex ade Virgini matri sacrâ. E. Quid illic tibi negotii est? G. Salutem dixi nonnullis. E. Quibus? G. Christo, ac divis aliquot. E. Religiosior tu quidem es quam pro ætate. G. Imò nullam ætatem non decet religio. E. Si cupiam esse religiosus, patiar mihi injici cucullam. G. Atque ego idem facerem, si quantum caloris adfert,

adfert, tantundem pietatis adferret cuculla. E. Ajunt vulgò pueros angelicos in Satanam verti, ubi consenuerint. G. Sed ego proverbium istud ab autore Satana natum arbitror. Imò vix existimo senem esse verè pium, nisi qui à teneris annis assueverit. Nihil facilius discitur, quàm quod ab ipsa statim pueritia discitur. E. Quid igitur est religio? G. Est purus cultus numinis, & observatio præceptorum illius. E. Quæ sunt illa? G. Longum est: sed ut in summa dicam, in rebus quatuor est sita. E. In quibus? G. Primum, ut rectè pieq; sentiamus de Deo, de scripturis divinis: atque ut illum non vereamur modo tanquam dominum, verùm etiam amemus ex intimis affectibus, ut patrem beneficentissimum. Secundum, ut summa cura tueamur innocentiam; ea est, ne quem lædamus. Tertium, ut teneamus charitatem, hoc est, ut de omnibus, quantum datur, bene mereamur. Quartum, ut servemus patientiam. Ea præstat, ut mala nobis illata, si mederi nequeamus, patienter toleremus, non ulciscentes, nec malum malo referentes. E. Næ tu probus es concionator. Sed præstas ista, quæ doces? G. Equidem adnitor pro meâ virili. E. Qui potes pro virili, quum sis puer? G. Meditor pro viribus, & quotidie mecum ineo (a) rationem: si quid cessatum fuerit, corrigo: illud præter decorum, hoc dictum petulantius, hoc factum incircumspectius: hoc taceri præstiterat, illud omissum. E. Quando subducitur ista ratio? G. Fermè sub noctem, aut si quando magis vacat. E. Sed agè, die

dic mihi, quibus studiis totum transigis diem? G. Nihil celabo tam fidum sodalem. Manè simul atque sum expergefactus (id fere fit ad sextam, aut quintam) pollice signum crucis pingo in fronte & in pectore. E. Quid deinde? G. Auspicor initium diei in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. E. Piè sanè. G. Mox paucis saluto Christum. E. Quid illi narras? G. Ago gratias, quòd eam noctem mihi voluerit esse prosperam, precorque, ut diem itidem illum totum mihi bene fortunet, ad ipsius gloriam, & animæ meæ salutem, utq; is, qui est vera lux, occasum nesciens, sol æternus omnia vivificans, alens, exhilarans, dignetur illucescere menti meæ, ne usquam impingam in ullum peccatum, sed ipsius ductu perveniam ad vitam æternam. E. Haud inauspicatum diei exordium. G. Deinde salutatis parentibus, quibus secundum Deum primam debeo pietatem, cum tempus est, confero me ad ludum literarium: sed ut per templum, si commodum est, sit mihi transitus. E. Quid illic? G. Rursus tribus verbis saluto Iesum, ac divos divasq; omnes, sed nominatim virginem matrem, tum eos, quos habeo mihi peculiares. E. Nè tu mihi probè legisse videris illud Catonis, salutā libenter. Non sat erat mane salutasse, nisi mox denuo salutares? Annon vereris, ne molestus sis immodico officio? G. Amat Christus subinde appellari. E. Sed ineptum videtur alloqui, quem non vides. G. Nec eam mei partem video, quâ illi loquor. E. Quâ? G. Animo. E. Sed otiosum est salutare

non

non resalutantem. G. Resalutat frequenter arcano afflatu. Denique abundè resalutat, qui dat quod petitur. E. Quid hîc ab illo flagitas? Nam video tuas salutationes esse petaces, cujusmodi ferè sunt mendicorum. G. Sanè non procul aberras à scopo. Precor enim ut qui puer duodecim annos natus, sedens in templo docuit ipsos doctores: cuiq; pater cœlitus emissa voce dedit authoritatem docendi mortalium genus, cùm diceret; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite; quiq; est æterna sapientia summi patris: illustrare dignetur ingenium meum ad perdiscendas honestas literas, quibus utar ad ipsius gloriam. E. Quos autem habes divos tibi peculiares? G. Ex apostolis, Paulum: ex martyribus, Cyprianum: ex doctoribus, Hieronymum: è virginibus, Agnetem. E. Quæ res illos tibi conciliavit? electio, an casus? G. Sortito obvenerunt. E. Atqui istos nihil aliud quàm salutas? An ab his quoq; mendicas aliquid? G. Precor, ut me suis suffragiis Christo commendent, efficiantq;, ut illius munere aliquando contingat, in ipsorum venire contubernium. E. Sane rem non vulgarem petis. Quid tum postea? G. Ad ludum propero, & quod is locus postulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Christi præsidium, quasi citra illius opem nihil efficiat nostrum studium; sic studeo, quasi ille nihil auxilii sit laturus, nisi enaviter laboranti. Ac modis omnibus do operam, ne meritò vapulem, ne quid dicto, factóve, vel præceptorem offendam, vel sodales meos. E. Probus es,

cum

cùm ista cogitas. G. Cum dimissus à ludo domum propero, rursus, si licet, per ædem sacram iter facio, rursusq; tribus verbis saluto Iesum. Si quid est obsequii præstandum parentibus, obeo. Quod si quid etiam superest temporis: mecum, aut cum sodali repeto, quod prælectum est in schola. E. Næ tu perparcus es temporis. G. Nec mirum, si parcus sum rei, ut multò pretiosissimæ, ita irrecuperabilis. E. At Hesiodus docet, in medio parcendum esse, in principio præproperam, in fine seram esse parsimoniam. G. Recte Hesiodus de vino: sed ætatis nulla est intempestiva parsimonia. Dolium si sinas, non exhauritur. At ætas nunquam non defluit, sive dormias, sive vigiles. E. Fateor: sed quid deinde geritur? G. Adornatâ parentibus mensâ, recito consecrationem: deinde prandentibus ministro, donec jubeor & ipse prandium sumere. Actis gratiis, si quid vacat, lusu quopiam honesto laxo animum cum sodalibus, donec hora revocat in ludum a lusu. E. Ac rursum salutatur Iesus? G. Salutatur, si commodum est. Sin est cur non vacet, aut non sit tempestivum, tamen prætereiens templum, cogitatiunculâ saluto. Rursus in ludo totis viribus hoc agitur, quod locus postulat. Domum reversus, idem agò quod ante prandium. A cœna suavibus fabulis memet obiecto, mox properam noctem precatus parentibus ac familiæ, maturè me confero ad nidum: illic flexis ante lectum genibus, mecum, ut dixi, reputo, quibus studiis is dies peractus sit. Si quid est gravioris admissi,

Christi

Christi clementiam imploro, ut ignoscat, polliceorq́; meliora: si nihil est, ago gratias illius beneficentiæ, quod me servavit ab omni vitio. Deinde me totum illi toto pectore commendo, ut me protegat ab insidiis mali genii, & ab obscœnis somnis. His factis lectum ingressus, frontem ac pectus signo crucis imagine, ac me compono ad somnum. E. *Quo pacto te componis?* G. *Nec pronus cubo, nec supinus: sed primum lateri dextro innitens, brachiis ita transversim seu decussatim complicatis, ut pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, læva dextro; Ita dormio suaviter, donec expergiscar ipse, aut exciter.* E. *Sanctulus es, qui ista possis.* G. *Imò stultulus es, qui ista dicas.* E. *Laudo institutum, si queam assequi.* G. *Velis tantummodo. Nam ubi assueveris pauculos menses, erunt hæc etiam suavia; adeò vertentur in naturam.* E. *Sed nihil audio de sacris.* G. *Nec hac parte mihi desum diebus præcipuè festis.* E. *In his quomodo te geris?* G. *Primum omnium excutio meipsum, num qua labe peccati sit animus contaminatus.* E. *Id si comperias, quid tum? subducis te ab altari?* G. *Nequaquam corpore, sed animo me submoveo, ac veluti procul stans, nec audens attollere oculos, ad Patrem Deum, quem offendi, tundo pectus meum, dicens illud ex Evangelio cum publicano: Domine propitius esto mihi peccatori. Deinde si sensero, quempiam offensum à me, eum curo placandum è vestigio, si licet: sin minus, statuo in animo mihi, cum primum licebit, reconciliare proximum.*

mum. Si quis offendit me, remitto vindictam, doq; operam, ut qui læsit, agnoscat errorem suum & resipiscat. Sin ejus rei nulla spes est, vindictam omnem Deo relinquo. E. Istud durum est. G. An hoc durum, condonare levem noxam fratri tuo, cujus ignoscentia tibi mutua sit frequenter opus, cùm Christus omnia commissa nostra nobis semel condonarit, & quotidie condonet? Imò mihi videtur hæc non esse liberalitas in proximum, sed fœneratio apud Deum: perinde quasi conservus ex pacto remittat conservo tres drachmas, ut ipsi dominus condonet talenta decem. E. Perpulchrè tu quidem philosopharis, si modò certum sit, quod ais. G. An postulas aliquid certius evangelicâ cautione? E. Non est æquum. Sed sunt qui se non credant esse Christianos, nisi quotidie missam, ut appellant, audierint. G. Horum institutum equidem non damno, præsertim in his qui abundant otio, quive totos dies occupantur profanis negotiis. Tantum illos non approbo, qui superstitiosè sibi persuaserunt, diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicati à missa: & statim à sacro se conferunt vel ad negociationem, vel ad prædam, vel ad aulam: ubi si quod per fas nefasq; gerunt, successerit, missæ imputant. E. Suntne qui sic desipiant? G. Magna pars hominum. E. Sed redi ad sacrum. G. Si licet, adsto vicinus altari sacro, quò percipere queam ea, quæ sacrificus recitat, præsertim Epistolam & Evangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo: id mecum aliquandiu (b) ru-

mino. E. *Nihil interim oras?* G. *Oro, sed cogitatione magis, quàm strepitu labiorum. Ex his, quæ recitat sacerdos, arripio precandi occasionem*. E. *Dic istud explanatius: nam non satis assequor, quid velis.* G. *Dicam. Finge recitari epistolam: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Ad hæc verba sic mecum loquor Christo: Utinam verè sim azymus purus ab omni fermento malitiæ. Sed tu Domine Iesu, qui solus es ab omni malitia purus ac syncerus, largire, ut indies & ipse magis expurgem vetus fermentum*. *Rursum, si fortè legatur Evangelium de seminante semen suum, sic oro mecum: Felix ille, qui meretur esse terra bona, precorque, ut me ex terra parum frugifera, suâ benignitate faciat terram bonam, sine cujus beneficio nihil omnino bonum est. Sint hæc exempli causâ dicta. Nam singula persequi prolixum sit. Sed si cõtingat sacrificus mutus, quales multos habet Germania, aut non detur adesse propius altari; ferè libellum paro, in quo descriptum sit ejus diei Evangelium & Epistola, inde ipse aut pronuncio, aut oculis lego*. E. *Intelligo. sed quibus cogitationibus potissimum transmittis hoc tempus?* G. *Ago gratias Iesu Christo, pro ineffabili charitate, quod genus humanum suâ morte redimere dignatus est: & oro, ne patiatur suum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fusum esse: sed suo corpore semper pascat animam meam, suo sanguine vivificet spiritum meum, ut paulatim adolescens virtutum auctibus, efficiar idoneum*.

neum membrum corporis illius mystici, quod est Ecclesia: nec unquam deficiam ab illo sanctissimo fœdere, quod in extremâ cœnâ, distributo pane, & porrecto poculo, pepigit cum discipulis suis electis, & per hos cum omnibus, qui per baptismum in societatem illius insiti sunt. Quòd si sensero vagari cogitationem, lego psalmos aliquot, aut aliud quippiam, quod animum meum plus adficiat quàm illa psalmorum recitatio. E. Quid de jejunando? G. Cum jejunio mihi nihil est negotii. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse valetudinem atterendam jejuniis, donec corpus ætate robur justum collegerit. Nondum autem egressus sum annum decimum septimum. Sed tamen, si sensero opus esse, prandeo cœnoque parcius, quò me præbeam alacriorem studiis pietatis per diem festum. E. Postea quam cœpi semel, expiscabor omnia. Quomodo affectus es erga conciones? G. Optimè. Ad has non minus religiosè accedo, quàm ad sacram Synaxin. Et tamen deligo, quos audiam. Sunt enim, quos præstat non audisse. Quòd si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacrâ lectione: lego Evangelium & Epistolam, cum interpretatione Chrysostomi, aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus interpres. E. Sed magis adficit viva vox. G. Fateor, & audire malo, si detur concionator tolerabilis: sed, non videor omnino caruisse concione, si Chrysostomum aut Hieronymum scripto loquentem audiero. E. Non opinor.

Sed quid te delectat confessio? G. magnoperè: nam confiteor quotidie. E. Quotidie? G. Sic est. E. Alendus est igitur tibi proprie sacerdos. G. Sed illi confiteor, qui verè solus remittit peccata, cui est potestas universa. E. Cuinam? G. Christo. E. an istud sat esse putas? G. Mihi quidem sat esset, si sat esset proceribus Ecclesiæ & consuetudini receptæ. E. Sed quos tandem appellas Ecclesiæ proceres? G. Pontifices, Episcopos, Apostolos. E. Et inter hos annumeras Christum? G. Is est omnium sine controversia (c) colophon. E. Et hujus receptæ confessionis autor? G. Is quidem auctor est omnis boni: sed an ipse instituerit hanc confessionem, qualis nunc est in usu Ecclesiæ, Theologis excutiendum relinquo: mihi puero & idiotæ sufficit majorum auctoritas. Hæc est certè præcipua confessio: nec est facile, confiteri Christo. Non confitetur illi, nisi qui ex animo irascitur suo peccato. Apud illum expono deploroq; si quid admisi gravius, clamo, lachrymo, ploro, meipsum execror, illius imploro misericordiam, nec finem facio, donec sensero peccandi affectum penitus expurgatum è medullis animi, & succedere tranquillitatem aliquam & alacritatem, condonati criminis argumentum. Atque ubi tempus invitat, ut adeam sacrosanctam mensam corporis & sanguinis Dominici, confiteor & sacerdoti, sed paucis, & non nisi ea, quæ certo videntur crimina, aut ejusmodi, ut vehemens suspicio sit, crimen esse. Neque vero protinus arbitror esse piaculum, hoc est, enorme crimen, quod admittitur adversus

quas-

quaslibet constitutiones humanas, nisi contemptus accesserit malitiosus. Imò vix arbitror crimen capitale, cui non sit adjuncta malitia, hoc est perversa voluntas. E. Laudo quod sic es religiosus, ut tamen superstitiosus non sis. Hic quoque puto locum esse proverbio: Non omnia, nec passim, nec quibuslibet. G. Deligo mihi sacerdotem, cui credam arcana pectoris. E. Istud est sapere. Sunt enim permulti, quod compertum est, qui, quod accipiunt in confessionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam & imprudentes, qui percontantur a consitente, quæ præstiterat tacuisse. Sunt indocti & stolidi, qui ob sordidum quæstum præbent aurem verius quam animum, quum nec dijudicent inter noxiam & rectè factum, nec docere possint, nec consolari, nec consulere. Hæc sic habere frequenter audivi ex multis, & ipse partim expertus sum. G. Et ego nimium. Proinde deligo mihi virum non indoctum, gravem, spectatæ integritatis, linguæ continentis. E. Profectò felix es, qui ista maturè sapere cœperis. G. Denique illa prima mihi curarum est, ne quid committam, quod cum periculo credam sacerdoti. E. Nihil melius, si quidem possis cavere. G. Nobis quidem difficillimum est, sed, auxiliante Christo, facile est. Primum est, ut adsit bona voluntas. Eam mihi subinde renovo, præsertim diebus dominicis. Deinde subduco meipsum pro viribus ab improborum consortio, & sodalibus integerrimis me adjungo, quorum convictu fiam melior. E. Rectè tibi consulis. Corrumpunt enim mores bonos collo-

quia prava. G. Otium ceu pestem quandam fugio. E. Nec mirum: nam nihil malorum non docet otium. Sed, ut nunc sunt hominum mores, solus vivat oportet, qui velit abesse à malorum consortio. G. Non omnino vanum est, quod dicis. Plures enim mali, ut Græcus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis nonnunquam sodalem reddit meliorem. Vito lusus, qui provocant ad nequitiam: utor innoxiis. Comem me præbeo omnibus; sed familiarem nonnisi bonis. Quòd si quando incidero in malos, aut corrigo blandè monendo, aut dissimulo, toleróque, si videor non profecturus; certè, cum primum licet, memet ab ipsis suffuror. E. Nunquamne titillavit animum tuum libido capiundæ cucullæ? G. Nunquam: sed crebrò solicitatus sum à quibusdam, ab hoc seculo, velut a naufragio, ad portum monasteriorum vocantibus. E. Quid ego audio? Captabant prædam? G. Miris technis adorti sunt & me & parentes. Sed mihi stat sententia, non addicere mè vel matrimonio, vel sacerdotio, vel instituto monachorum, aut ulli vitæ generi, unde pòst me non queam extricare, prius quàm mihi fuero pulchrè notus. E. Quando istuc erit? G. Fortassè nunquam. Sed ante annum vigesimum octavum nihil statuetur. E. Quur ita? G. Quia audio passim tam multos sacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, quòd sese temerè præcipitarint in servitutem. E. Cautus es, qui capi nolis. G. Interim tria mihi curæ sunt. E. Quænam ista? G. Ut proficiam

ficiam in probitate morum. Dein, si id nequeam, certè tuear illibatam innocentiam ac famam. Postremò paro mihi bonas literas ac disciplinas, in quovis vitæ genere futuras usui. E. Sed interim à poëtis abstines? G. Non in totum, sed castissimos quosq; potissimum lego. Quòd si quid inciderit parum verecundum, prætercurro, quemadmodum Vlysses obturatis auribus Sirenas prætervavigavit. E. Sed cui interim studiorum generi te potissimum addicis? Medicinæ, Iuri Cæsario aut Pontificio, aut Theologiæ? Nam linguæ, bonæ literæ, philosophia, pariter conducunt ad omnem professionem. G. Nondum ulli me planè addixi, sed ex omnib. gustum aliquem capio, ne cujusquã planè sim rudis, utq; degustatis singulis certius eligam, cui sim accõmodus. Medicina ubivis terrarum certissimum viaticum est. Iurisprudentia viã aperit ad dignitates. Theologia mihi cum primis placeret, nisi me mores quorundam & morosa inter ipsos contentiones offenderent. E. Nõ facile labitur, qui sic pedetentim incedit. Complures hisce temporibus abstinent à Theologia, quòd vereãtur, ne vacillent in fide Catholica, quum videant nihil non vocari in quæstionẽ. G. Ego quod lego in sacris literis, & in Symbolo, quod dicitur Apostolorum, summa fiducia credo, nec ultrà scrutor. Cætera permitto Theologis disputanda ac definienda, si velint. Si quid tamen receptum est usu populi Christiani, quod non planè pugnet cum sacris literis, hactenus servo, ne cuiquam sim offendiculo. E. Quis (d) Thales te docuit istam philosophiam?

E. *Fuit mihi admodum puero consuetudo domestica cum integerrimo viro Joanne Coleto. Nostin' hominem?* E. *Quid ni? tanquam te.* G. *Is eam ætatem hujusmodi præceptiunculis imbuit.* E. *Non invidebis, si me præbeam æmulum instituti tui?* G. *Imò istoc nomine mihi futurus es multò charior. Scis enim, similitudine morum conglutinari familiaritatem ac benevolentiam.* E. *Verum: sed non inter competitores ejusdem magistratus, quum simili laborent morbo.* G. *Nec inter ejusdem sponsa procos, quum pariter laborent amore.* E. *Sed extra jocum; experiar imitari rationem istam.* G. *Precor, ut tibi vertat quam optimè.* E. *Fortassis adsequar te.* E. *Utinam & præcurras. Sed interim non opperiar te, quin ipse quotidie me ipsum superare contendo: sed tamen adnitere, si potes, ut antevertas.*

(a) Metaphora ducta à calculatoribus. (b) Lepide transfatum à pecoribus ruminantibus. (c) Colophon, præcipuus & caput. (d) Thaleti primas tribuunt inter sapientes.

Venatio. Colloq. Helo. p. 6

PAVLVS. THOMAS. VINCENTIVS. LAVRENTIVS. BARTHOLVS.

P. (a) *Trahit sua quenq; voluptas: mihi placet venatio.* T. *Placet & mihi: sed ubi canes, ubi venabula, ubi casses?* P. *Valeant apri, ursi, cervi, & vulpes: nos insidiabimur cuniculis.* V. *At ego laqueos injiciam locustis. Insidiabor gryllis.* L. *Ego ranas*

ranas captãbo. B. *Ego papiliones venabor.* L. *Difficile est sectari volantia.* B. *Difficile, sed (b) pulchrum; nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos, aut cochleas, quia carent alis.* L. *Equidem malo insidiari piscibus: est mihi hamus elegans.* B. *Sed unde parabis escam?* L. *Lumbricorum ubiq; magna est copia.* B. *Est, si tibi velint prorepere è terra.* L. *At ego mox efficiam, ut multæ myriades prosiliant.* P. *Quo pacto? incantamentis?* L. *Videbis artem. Imple hanc situlam aqua. Hos juglandium summos cortices virentes confractos immittito. Hac aqua perfunde solum. Nunc observa paulisper. Vides emergentes?* B. *Rem prodigiosam video. Sic olim, opinor, exiliebant armati ex satis serpentis dentibus. Sed plerique pisces delicatioris & elegantioris sunt palati, quam ut esca tam vulgari capiantur.* L. *Novi quoddam insecti genus, quo talibus insidiari soleo.* B. *Tu vide, an possis imponere piscibus: ego ranis facessam negotium.* L. *Quomodo? reti?* B. *Non, sed arcu.* L. *Novum piscandi genus.* B. *At non injucundum. Videbis, & fateberis.* V. *Quid si nos duo (c) micemus digitis?* P. *Ignavum est ac rusticum lusus genus. Ad focum desidentibus magis convenit, quam in campo versantibus.* V. *Quid si certemus nucibus?* P. *Nuces admodum pueris relinquamus; nos grandiusculi sumus.* V. *Et tamen nihil aliud adhuc, quam pueri sumus.* P. *Sed quibus decorum est ludere nucibus, iisdem non indecorum est equitare in arundine longa.* V. *Tu igitur præscribito lusus genus, sequar quocunq; vocaris.*

vocaris. P. *At ego futurus sum* (d) *omnium horarum homo.*

(a) Hemistichium Virgilii ex Bucol. (b) Allusum est ad proverb. Difficilia, quæ pulchra. (c) Vide Cic. de divinatione, libr. 2. (d) Vide proverb. Omnium horarum homo.

Euntes in ludum liter.

Sylvius. Ioannes.

S. *Cur adeò curris, Ioannes?* I. *Cur lepus, ut ajunt, præ canibus?* S. *Quid hoc proverbii est?* I. *Quia, nisi adfuero in tempore ante recitatum catalogum, actum est de pelle mea.* S. *Hac quidem ex parte nihil est periculi: modò præterita est quinta; inspice horologium: manus nondum attigit punctum, quod horam ab hora æquis spatiis dirimit.* I. *At ego vix habeo fidem horologiis. Mentiuntur nonnunquam.* S. *At mihi fide, qui campanæ vocem audivi.* I. *Quid loquebatur?* S. *Horam esse quintam.* I. *Sed est & aliud, unde magis etiam timeam. Reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor ut possim.* S. *Commune periculum narras. Nam & ipse vix satis teneo.* I. *Et nosti præceptoris sævitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis parcet nostris natibus, quam si corium esset bubulum.* S. *Verum is non aderit in ludo.* I. *Quem igitur vicarium constituit?* S. *Cornelium.* I. *Strabum illum? Væ nostris natibus. Is vel* (a) *Orbilio plagosior est.* S. *Verum dicis: & ideò non rarò sum illius brachio precatus paralysim.* I. *Non est pium imprecari præceptori. Nobis potius cavendum, ne*

incidamus

incidamus in illius tyranni manus. S. *Reddamus inter nos vicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente.* I. *Pulchrè mones.* S. *Fac præsenti sis animo. Nam metus officit memoriæ.* I. *Facile deponerem pavorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis posset esse securus animo?* S. *Fateor: attamen non agitur de capite, sed de parte diversa.*

(a) Orbilium literatorem Horatius plagosum appellat. Lege Suet. in lib. de clar. gram.

Alia. Colloq. Helv. p. 41.

CORNELIVS. ANDREAS.

C. *Scitè tu quidem pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum.* A. *Quæso ut appares mihi pennam hanc.* C. *Deest mihi gladiolus scriptorius.* A. *En tibi.* C. *Hui quàm obtusus!* A. *Accipe coticulam.* C. *Vtrum amas scribere cuspide duriusculâ, an molliore?* A. *Aitempera ad manum tuam.* C. *Ego molliore soleo.* A. *Quæso ut mihi describas ordine figuras elementorum.* C. *Græcas an Latinas?* A. *Latinas primum conabor imitari.* C. *Suppedita chartam.* A. *Accipe.* C. *Sed meum atramentum dilutius est, subinde infusâ aquâ.* A. *At meum linteolum prorsus exaruit.* C. *Immunge, nisi mavis immejere.* A. *Imò potius rogabo alicunde.* C. *Præstat habere domi, quàm rogare commodatò.* A. *Quid est scholasticus absque calamo & atramento?* C. *Quod miles absque clypeo & gladio.* A. *Vtinam mihi essent articuli*

tam

tam celeres. Equidem non possum dictantis vocem scribendo adsequi. C. *Prima cura sit, ut bene scribas: proxima, ut celeriter. Sat citò, si sat benè.* A. *Belle: sed istam cantionem cane præceptori, cùm dictat; Sat citò, si sat benè.*

Agendi gratias formula.

Petrvs. Christianvs.

P. *Gratum mihi feciſti, quòd aliquoties ad me ſcripſeris. Habeo gratiam, quod ad me crebrius ſcripſiſti. Amo te, quòd interdum ad me literas dare non dedignatus es. Habeo gratiam, quòd crebris literis me viſeris. Ago tibi gratias, qui literarum faſciculis nos oneraris. Maxima tibi à me habetur gratia, qui nos aliquando literis laceſſiveris. Per gratum mihi feciſti, quod nos dignatus ſis tuis literis. Debeo tibi multum pro tuis humaniſſimis ad me literis. Magni beneficii loco duco, quod non es gravatus ad me ſcribere.*

Reſponſio.

C. *Imò meum eſt deprecari culpam impudentiæ, qui non veritus ſim, tibi homini tum occupatiſſimo, tum doctiſſimo, meis illiteratis literis obſtrepere. Agnoſco ſolitam tuam humanitatem, qui meam audaciam boni conſulueris. Verebar ne quid offendiſſent te meæ literæ, quod nihil omnino reſponderes. Non eſt quòd agas gratias: mihi plus ſatis eſt, ſi ſedulitatem meam accepiſti in bonam partem.*

Nova

Nova rogandi forma.

P. *Nihilne novarum rerum adfertur è patria? Nuncquid novi de nostratibus accepisti? Quid novi? Ecquid novarum rerum adportas? Numquid novi fertur? Num quæ res novæ è patria nunciantur?*

Responsio.

C. *Novi quidem permultum, at nihil veri. Novarum quidem rerum satis, at nihil comperti. Nova permulta, at explorati nihil. Non parum novi, at veri non multum. Nihil adfertur novi. Novarum rerum nihil prorsus accepi. Certi nihil, novi nonnihil. Rumores adferuntur permulti, sed dubii. Plurima est fama, at rerum nihil, firmi nihil. Si vana te capiunt, adfero tota plaustra mendaciorum. Fabularum totos modios apporto. Tantum mendaciorum adfero, quantum vix una navis vehat.* P. *Exonera te quamprimum, ne succumbas tanto oneri.* C. *Nihil habeo præter ea, quæ jactantur in tonstrinis, in vehiculis, & in navibus.*

An accepisti literas? formula.

P. *Nihilne literarum accepisti? Num aliquas è patria recepisti literas? nullæ tibi sunt redditæ literæ? Numquid scriptorum accepisti? Num quas accepisti epistolas? Ecquas ab amiculis accepisti literas? Nihil epistolarum advolavit è Gallia?*

Responsio.

C. *Literarum nihil accepi. Ne pilum quidem literarum accepi. Ne tantulum quidem adfertur literarum.*

literarum. Nemo literam ad me. Ne verbum quidem à quoquam redditur. Tantum literarum accepi jam diu, quantum vides in oculo meo. Equidem pecunias quam literas malim. Argentum accipere malim, quàm epistolas. Nummos recipere malim quàm epistolia. Nihil moror literas, modò veniat argentum. Equidem numerari malo mihi, quàm scribi.

Credo, formula.

P. *Facile credo. Haud difficile creditu est. Credi istud perfacile potest. Istud tibi quis non credat? Admodum incredulus fuerit, qui hoc tibi non credat. Profecto habeo tibi fidem. Istius rei mihi facilè fidem facis. Credo tibi vel injurato. Verisimile dicis. Adferunt tamen nonnihil solatii literæ. At ego alterutrum malim, quam neutrum.*

Vtilitatis formula.

C. *Quorsum spectant literæ sine pecunia? Ad quid tandem inanes conducunt literæ? Quorsum valent, ad quid conferunt, faciunt, prosunt, proficiunt literæ vacuæ? Cui gratæ, cui acceptæ literæ sine nummis? Quid emolumenti adferunt literæ innanes? Cui bono sunt otiosæ literæ? Quid juvant? cui sunt usui? Ad quid conducibiles sunt? Quid secum adferunt momenti? Cui rei sunt utiles inanes epistolæ?*

Responsio.

P. *Podici tergendo utiles, idoneæ, accommodæ. Conducit natibus tergendis. Si usum nescis earum,*

ad anum

ad anum expurgandum valent, ad nates tergendas, ad posticum expurgandum. Conferunt ad eam corporis partem mundandam, quæ semet (a) identidem inquinat. Valent convestiendis (b) scombris. Involvendo thuri sunt accommodæ.

(*a*) Identidem, id est, subinde. alluſit ad proverbium: τὸ πρωκτὸ ψεζγνομένυ.

(*b*) Horat. nec scombros metuentia carmina, nec thus.

Bene precandi.

P. *Quid? valentne amiculi? Quid uxor agit tua?* C. *Rectè eam apud matrem reliqui, & quidem prægnantem.* P. *Bene & tibi & illi vertat, tibi quod pater, illi, quòd mater futura sit. Adsit Deus. Ut utrique vestrûm faustum felixque sit, precor optóque. Quæso, oro, superos omnes, ut incolumis prolem nobis dignam pariat & faciat pulchra te prole parentem. Laudo te, quòd virum te præstiteris. Gaudeo te virum præstitisse.* (a) *Gallum te esse declarasti, at non Cybeles. Abi, virum te judico.* C. *Ludis, idq; facis tuo more. Age age, est tibi jus apud me loquendi quælibet.*

(*a*) Qui, ut inquit Catullus, corpus evirat, Veneris nimio odio. Cybeles sacerdotes, Gallos vocari notum est.

Audio te patriam nuper revisisse. P. *Sic est factum. Nam diutiuscule jam abfueram: non ferebam tam diuturnum patriæ desiderium. Non poteram à parentum conspectu abesse diutius. Torquebat me diutinum amicorum desiderium.* C. *Piè feciſti: humanus es, qui ista cogites. Duci-*

mur

mur enim omnes admirabili quodam amore ejus regionis, quæ nos aluit atq; edidit: Et

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Dic quæso, quonam in loco illic offendisti omnia?

Nova omnia, formula.

P. *Nihil non novum. Mutata omnia. Novata singula. Vniversa nova. Vide, quam repente tempus res mutat humanas? Videbar mihi in alium venire mundum. Vix dum decennium abfueram, & non secus omnia admirabar, quam Epimenides somniatorum princeps vix tandem expergefactus.* C. *Quænam ista est fabula?* P. *Dicam equidem, si vacat.* C. *Nihil fuerit jucundius.* P. *Stellam igitur una cum pulvino mihi poni jube.* C. *Rectè admones: nam sedens commodiùs mentieris.* P. *Fabulantur historici de Epimenide quodam Cretensi, qui deambulandi gratia solus urbem egressus, cum subita pluviæ vi compellente in quandam speluncam ingressus obdormisset, quadraginta septem perpetuos annos somnum continuarit.*

Non credo, formula.

C. *Quid narras incredibile dictu? Non verisimile dicis. Somnium mihi narras. Non fit mihi simile veri. Monstri simile narras. Non pudet tam improbæ vanitatis? Digna fabula, quæ addatur veris narrationibus Luciani.* P. *Imò rem narro à gravissimis proditam authoribus, nisi fortè tibi parum spectatæ fidei est Aulus Gellius.* C. *Mihi verò, quæ*

rò, quæ scribit ille, folia Sybillæ sunt omnia. P. Quid tandem Theologum tot annos somniasse reris? Nam Theologum fuisse proditum est. C. Audire gestio.

Responsio.

P. Quid aliud quam quæ postea prodidit Scotus, & hujus farinæ sodales? Sed benè cum Epimenide actum est, qui vel tandem ad se redierit. Multi Theologi nunquam expergiscuntur a suis somniis. C. Agè, facis, ut poëta dignum est: sed perge mentiri. P. Epimenides igitur somno solutus è spelunca prodit, circumspicit, mutata videt omnia, silvas, ripas, flumina, arbores, agros: breviter, nihil non novum. Accedit ad urbem, percontatur, manet illic aliquandiu, neq; novit quenquam, neque à quoquam agnitus est. Alius hominum cultus, nec idem vultus, mutatus sermo, diversi mores. Nec miror hoc Epimenidi post tantum annorum evenisse, quum mihi idem propemodum evenerit, qui pauculos annos abfuissem. C. Quid uterq; parens, vivúntne? P. Vivunt ambo, & valent, utcunq; senio, morbo, denique bellorum calamitate confecti. C. Hæc est humanæ vitæ comœdia. Hæc est fatorum lex inevitabilis: P. Cœnabis hodie domi? C. Foris cœnaturus sum. Foris cœnandum est mihi. P. Apud quem? C. Apud socerum meum, apud nurum meam, apud affinem meum. P. Quinam dicuntur affines? C. Qui non sanguinis, sed matrimonii conjunctione copulati sunt. P. Quæ sunt igitur usitata vocabula affinitatum? C. Maritus & uxor, nota sunt nomina. Socer, uxoris meæ pa-

ter est mihi. Gener, filiæ meæ maritus. Socrus, uxoris meæ mater. Nurus, filii mei uxor. Levir mariti frater. Levir dicitur ab uxore: ut Helena Hectorem Levirum vocat, quòd esset nupta Paridi. Fratria, fratris mei uxor. Glos, mariti soror. Vitricus, matris meæ maritus. Noverca, patris mei uxor. Privignus, uxoris ac mariti filius. Privigna, filia alterutrius. Rivalis, qui amat eandem. Pellex, quæ amat eundem: ut, Thraso rivalis est Phædriæ, & Europe pellex est Iunoni.

Cras mecum prandeas.

P. Ago gratias. C. Laudo te. P. In crastinum igitur te ad cœnam voco. Cras ergo ut mecum cœnes oro. Cras igitur mecum prandeas rogo. Cras igitur te mihi convivam volo.

Timeo ne non possim.

C. At vereor, ne non licuerit. Ut possim metuo. Veniam, si quidem licebit. At metuo, ne non queam.

Quare.

P. Cur non licebit? Qui sic? Quid ita? Quamobrem? Quo pacto? Quid causæ? Quid obstiterit, quò minus possis?

Domi me esse oportet.

C. Tum quidem mihi domi manendum est. Ut domi nocte sim, necesse est. Tum certè foris esse non licebit. Cras mihi quopiam ire foras, liberum non erit. A prandio abesse mihi integrum non erit. Aliquot ipse convivas eo die operior. Aliquot amiculi consti-

constituêre ea nocte domi nostræ cœnare. Ipsi mihi convivæ sunt ea nocte tractandi; alioqui lubens venirem. Ni id esset, haud gravatim facerem. Quod ni esset, haud me tibi difficilem præberem. Non excusarem si liceret. Non paterer bis rogari, si queam. Parcè rogarer, vel invocatus adessem, si quo pacto liceret. Haud gravatè tibi obsequerer, si possim. Frustrà rogas eum cui non est liberum, frustra item rogaturus, si liberum esset. Nunc, ut maximè cupiam, non possum: tunc supervacaneum esset rogare volentem. P. Vel perendie apud me sis oportet. Saltem perendino die ad cœnam venias, necesse est. Quarto ab hinc die non gravaberis te mihi præbere convivam. Die Iovis proximo non potes effugere, quin venias.

Non possum promittere.

C. Non possum polliceri. Affirmare istud tibi non possum. Promittere certum nequeo. Veniam, ubi utrique nostrûm videbitur commodissimum.

Diem dicere debes.

P. Diem igitur mihi constituas volo, ad quem mecum sis cœnaturus. Diem igitur assignes oportet. Diem igitur promittas, necesse est. Diem certum mihi præfiniri, præscribi, præstitui, constitui cupio. Ad certum diem condicito. Diem mihi dicas velim.

Nolo te præscire.

C. Equidem non soleo dicere (a) diem amicis. Cum quibus mihi parum convenit, iis soleo diem dicere. Præscium te esse nolim. Præscire te nolim.

De improviso te opprimam. Inopinatò te opprimam. Te nec opinantem oppressero. Te nihil suspicantem oppressurus sum. Non expectatus adfuero. Adoriar te nec opinantem. Veniam ultroneus & insperatus conviva.

(a) Iocus est in ambigua significatione. Nam illis diem dicimus, quos in jus vocamus.

Præscire volo.

P. *Biduum præscire volo, Biduum præscius esse cupio. Præmoneto biduo priusquàm venias. Fac me biduo antè certiorem.* C. *Si me urges dico tibi diem Sybariticum, ne desit apparandi spatium.* P. *Quid hoc verbi est?* C. *Sybaritæ convivas invitabant in annum proximum, ut utrinque esset justus apparatus.* P. *Valeant (a) Sybaritæ cum suis molestis conviviis: ego congerronem voco, non satrapam.*

(a) Vide proverbium Sybaritica mensa.

Tuo malo optas.

C. *Equidem tuo detrimento, tuopte quidem malo, in damnum tuum istud optas. Incommodo istud precaris tuo.* P. *Quid ita? Quamobrem?* C. *Ego instructus accedam. Ego munitus veniam. Aggrediar te paratus. Instructus multa fame accedam: tu vide, ut vulturem expleveris. Parabo ventrem, ac dentes exacuam: tu vide, quibus modis lupum exatures.* P. *Agè ad hoc certamen te provoco. Agè fac pro viribus, pro virili: si quid potes.* C. *Veniam, sed non incomitatus.* P. *Tantò venies gratior. Sed quo comite venies?* C. (a) *Umbra.* P. *Nec*

secus

secus possis, si modò luce venias. C. *Sed umbram adducturus sum dentatam unam atque alteram, ne tu me vocaris impunè.* P. *Agè ut libet, modò ne larvas adducas. Sed explana si lubet, quid sibi velit umbræ vocabulum.* C. *Apud eruditos umbræ vocantur, qui ipsi non vocati comitantur eum, qui vocatus est ad convivium.* P. *Talium umbrarum adduc, quantum voles.*

(a) Vmbra, id est, comite. Lege proverbium. Vmbra.

Ea lege promitto.

C. *Veniam quidem, at hac lege, ut tu postridie ejus diei vicissim apud me cœnes. Faciam eo quidem pacto, ut deinde mihi quoq; sis conviva. Ea lege cœnam condico, ut tu rursum mihi sis conviva. Spondeo futurum, sed hac exceptione, si tu postero die itidem apud me sis. Recipio tibi facturum me. Do fidem futurum, his quidem legibus, ut tu mecum postridie prandeas.* P. *Agè fiat, Esto. Sit ita, ut vis. Si jubes, faciam. Novi Gallorum magnificentiam. Non vis gratis apud me cœnare, nisi vices retuleris. At isto quidem pacto redire solent in orbem convivia. Sic nascitur conviviorum longa (a) periodus. Hac vicissitudine fiunt sine fine reciproca convivia.* C. *Nihil suavius si minimum accedat apparatui quotidiano.*

Cæterùm ego te detineo, aliò fortassis iturum. P. *Imò ego te, opinor. Sed cras latiùs & familiarius confabulabimur. Verùm crastino die plura nugabimur. Interim fac valeas. Interim cura, ut benè valeas. Interim valebis.*

(a) Periodus, id est circumductio.

Quo is? formula.

C. *Quò tu nunc abis? Quò tu nunc properas? Quò tu tam celeri gradu tendis? Quonam te confers? Quò nunc iter est?*

Eo domum, formula.

P. *Domum me recipio. Domum revertor. Domum repeto. Domum me confero. Viso quid domi agatur. Accerso medicum. Rus hinc concedo. Constitui ad hanc horam cum viro quodam gravissimo colloqui. Statui hac hora congredi cum viro gravissimo.* C. *Quonam?* P. *Cum Curione multiloquo.* C. *Precor igitur tibi præsentem Mercurium.* P. *Quid opus Mercurio favente?* C. *Quia res erit cum linguaci.* P. *Atqui hac gratia magis conveniebat mihi memoriam precari propitiam.* C. *Quid ita?* P. *Quia patientissimis auribus opus erit potius quàm strenua lingua. At auris* (a) *Memoriæ dicata est.* C. *Quánam iturus es? Quà ibis?* P. *Hac ad sinistram, hac, illàc, per forum.* C. *Comitabor igitur te, adsectabor, ac deducam te ad diverticulum usq;.* P. *Non patiar te circumagi. Nolim te tantum laboris mea causa capere. Istud officii serva, cum erit usus; nunc nihil opus est. Ne mea gratiâ facias viæ tuæ dispendium.* C. *Mihi quidem compendium est, frui tantisper amico. Nihil habeo quod agam, & non sum piger, ni tibi sum molestus comes.* P. *Nemo jucundior assecla. At non sinam, ut mihi claudas lævum latus; non admittam, ut mihi sinister ambules.* C. *Hic te superis*

commen-

commendo. P. *Nolo te longius comitem: ulterius nolo me comiteris.*

(a) Memoriam hîc pro Dea posuit memoriæ.

Commendandi formula.

C. *Tu me Curioni magnoperè commendato. Fac me Curioni multiloquo quam commendatissimum facias. Me Curioni commendatum quam diligentissimè curato. Iube ut me sibi commendatissimum habeat. Ego me illi per te commendatum facio. Me tibi etiam atq; etiam commendo. Me tuæ humanitati quam possum diligentissimè commendo. (Recommendo, pro commendo, barbaris relinquito.) Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo sis pauciloquus.*

Obsequii.

P. *Vis me tibi morem gerere? Vis me tibi obsequi? Vis tibi obsecundem? Te igitur imitari me jubes? Quandoquidem ita vis, faciam libentissimè. Ne sis mihi diutius in mora, imò ne uterq; alteri.*

C. *Sed priusquam abeas, quæso te, ne graveris me docere, quo pacto his sit utendum: In mora, in causa, in culpa: qui soles elegantiæ studiosus esse. Quare agè, doce obsecro, dissere amabo.*

In Culpa, in Causa, in Mora.

P. *Mos gerendus est tibi. Non est culpa in me, non est culpa in te. Mora est in te. In te causa est, grammaticè quidem dicitur, at multò elegantius,*

In culpa.

Non sum in culpa. Culpa non est mea. Vaco

culpa. Quòd nihil proficis, tua desidia in causa fuit, non præceptor, non pater tuus. In culpa omnes estis. Utrique in culpa estis. Utrique culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis. Incidisti in morbum tuo ipsius vitio, tuâ ipsius culpâ. Itidem dicuntur in vitio esse, quibus culpa debet imputari, & in crimine esse, qui culpandi sunt, & in damno esse, qui damno afficiuntur. Hoc genus sermonis non temerè licet invertere: Damnum in illo est, vitium in illo est.

In causa.

Quòminus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quòd rarius ad te scripserim, mea negotia in causâ fuerunt, non negligentia. Quid in causâ fuit? Quid causæ fuit? Ego non sum in causâ. Quòd nullas à me literas acceperis, tabellarius in causâ fuit. Quòd tam macilentus es, amor, non studium in causa est. Hoc est causæ.

In mora.

Non ero tibi in mora. Quidnam vobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas: tuum est memoriæ insculpere. Habes assectatiunculæ tuæ præmium. Vale mi Christiane. C. Vale in crastinum & tu mi Petre.

In occursu. Colloq. Hebr. p. 127

CHRISTIANVS. AVGVSTINVS.

C. Salve multùm, jucundissime Augustine. A. Salve tantundem, mi humanissime Christiane. Felix sit

lix sit tibi hujus diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandem agitur? C. Suaviter, ut nunc res nostræ sunt. Et cupio omnia, quæ vis. A. Meritò te amo. Amo te. Amandus es. Benignè dicis. Comis es. Habeo gratiam.

Irascor tibi.

C. At ego nonnihil tibi succenseo. At ego tibi subirascor. Verùm ego tibi sum subiratus. Atqui ego sum in te stomachosior. Atqui nonnihil est, vel habeo, quod tibi succenseam.

Qua causa?

A. Quidnam est istud obsecro? quid ita? quamobrem tandem oro? quid admisi sceleris? quid commerui? promereor bona, aut laudem: commereor mala, aut pœnam: illud in bonam, hoc in malam partem sumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus obnoxium.

Quia non curas me.

C. Quòd nulla mei tibi cura sit. Quòd nil nos respicis. Quòd tam rarò nos revisas. Quòd nihil nos cures. Quòd me planè negligis. Quòd nostri curam videris abiecisse.

A. At nihil est causæ cur succenseas. At præter meritum meum. At immeritò succenses. Neque enim meâ culpâ accidit, quòd te rariùs visam. Dabis veniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties quoties cupio te revisere. C. Ita demum tibi ignoscam, si hodie apud me cœnes. Ea conditione purgatus mihi eris, si vesperi ad cœnam venias. A. Haud iniquas pacis leges præscribis

Christiane, quare haud invitus faciam. Equidem faciam volens. Istud quidem fecero perlibenter. Haud gravatè faciam. Hìc sanè me non præbebo difficilem. Nihil hac re fecero libentius. Animo faciam lubenti. C. *Laudo tuam facilitatem, & hac in re, & in cæteris omnibus.* A. *Sic soleo amicis obsequi, præsertim non iniqua petentibus. Ridiculum: an tu me recusaturum putabas oblatum, quod ultrò etiam erat rogandum?*

Ne fallas me, formula.

C. *Agè, at cave ne me deluseris. Cave fallas. Cave spem frustrà foveam. Cave luseris expectantem. Cave mihi verba dederis. Vide, ne me frustrà habeas. Vide, ne me vana spe lactes.* A. *Nihil opus jurejurando. In cæteris, in aliis time perfidiam, hac in re non fallam.*

Sed heus tu, cave quicquam paraveris præter quotidiana: meâ causâ diem festum nolo. Scis me convivam minimè edacem, bibacem multò minus. Nosti enim me convivam non multi cibi, sed joci plurimi. C. *Curabitur diligenter. Ego te (a) Pythagoricâ cœnâ excipiam, aut fortasse frugaliore.* A. *Imò Diogenicâ, si me delectare voles.* C. *Certè Platonicâ cœnâ te excipiam, in qua multum sit literatarum fabularum, cibi minimum: cujus voluptas duret etiam in posterum diem: alioqui, qui prolixè fuerit acceptus, fortassis eo die suaviter asficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui cœnabat, unam voluptatem capiebat ex apparatu facili, fabulisq; philo-*

sophicis;

sophicis; alteram postridie, quòd nec capitis gravedinem, nec stomachi cruditatem sentiret. Ita prandebat etiam suaviter ex condimento cœnæ pridianæ. Placet, fiat ut mones.

C. Tu vide omnes curas tuas ac rugas etiam istas domi relinquas. Huc præter nugas & risum nihil adferas. Et, ut inquit Iuvenalis:

Protinus ante meum, quicquid dolet, exuè limen.

A. Quid? literas mecum venire non vis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes. C. Tetricas Musas una cum negotiis domi claudas. Blandas Camœnas omnes, deinde sales tuos, dicteria, scommata, facetias, lepores, ridicula omnia tecum adducito. A. Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Genialiter cœnabimus. Epicureos agemus. Bonum vultum faciemus, & erimus boni socii. inelegantium elegantiæ sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem. NB

C. Quò nunc properas? A. Ad generum meum. C. Quid illuc? quid eo? quid illo? A. Audio nescio quid turbæ inter eos natum, ut redigam eos in in gratiam, ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam. C. Benignè facis, quanquam nihil te opus esse arbitror. Nam ipsi inter se melius hoc bellum composuerint. A. Fortassis & induciæ jam indictæ sunt; noctu de pacis legibus agetur. Sed nunquid me aliud vis? C. Vocabo te per puerum meum. A. Vbi voles, domi ero. Bene vale. C. Bene sit tibi.

sit tibi. Fac hìc ad quintam horam adsis. Heus Petre, accerse ad cœnam Augustinum, qui mihi hodie, ut scis, cœnam (b) condixit. P. *Eo.*

Salve poëta. cœna jamdudum parata est: te herus expectat domi: Vbi voles, accedas. A. *Venio.*

Colloq. Helv. p. 134.

CONVIVIVM PROFANVM.

AVGVSTINVS. CHRISTIANVS. PVER.

A. *Salve mi Christiane.* C. *Bene factum, quòd venisti. Gaudeo te advenisse. Gratulor mihi quòd venisti.* A. *Nondum quinta sonuit credo.* P. *Imò jamdudum præterita est. Haud longè sexta abest. Instat hora sexta. Mox sextam audies.* A. *Parvi refert, an post quintam venerim, nec ne, modò ne post cœnam. Nam post festum venire, miserum est.*

At quorsum tantus apparatus? Quorsum tot epulæ? Num me lupum existimas? Num tibi lupus videor? Num me vulturem putas? C. *Non vulturem, sed tamen nec cicadam, ut (c) rore vivas. Nihil est luxus. Mundicies mihi semper placuit: sordes detestor. Nec Apicius mihi placet, nec Diogenes. Præstat aliquid superesse quàm deesse. Si præter cicer nihil apponeretur, & fuligo fortè illapsa in ollam conderet legumen, quid tum ederetur? Nec omnia sapiunt omnibus. Itaq; mihi placet moderata varietas.* A. *Nõ tu metuis leges (d) sumptuarias?* C. *Imò peccavi frequenter in diversum. Nihil nobis opus lege Fannia. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas.* A. *Haud ita convenerat. Longè aliter*

pollicitus

pollicitus es. C. Agè inepte, nec ipse conventa servas. Convenerat enim, ne quid præter nugas inferres. Quin hæc missa faciamus. Lavemus ac discumbamus. Heus tu puer, cape guttum, ac patinam: linteum ex humero suspende: ministra aquam: quid cessas?

Lava Augustine. A. Lava tu prior. C. Bona verba. Hoc anno perpetuò illotus cœnare mallem. A. Ridiculum. non honoratiori, sed turpiori ante alios lavandum est: lava igitur ut immundior. C. Tu urbanus plus satis. Es urbanior quàm sat sit, quàm par est. Quorsum attinet ista urbanitas? Hujusmodi cæremonias ineptas mulierculis relinquamus, quæ nunc & ab aulicis fastidiuntur, unde tamen olim profectæ sunt. Lavetis terni aut quaterni simul, ne teramus tempus hujusmodi moris. Ego nulli designabo locum: sumat sibi quisq; quem volet. Qui delectatur igni, hîc commodius accumbet. Qui offenditur luce, deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus, hic sedeat. Agitè, satis moratum. Accumbite. Ego domi sum, vel stans cœnabo, si lubeat, vel obambulans. Cessatis? At interim cœna corrumpitur.

Augustt. Vivamus nunc, curemus cuticulam. Simus nunc Epicurei. Nihil nobis cum fronte Stoica, valeant curæ. Absit omnis livor: exulet obtrectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo lepidus. C. Quinam sunt isti Stoici atque Epicurei, Augustine? A. Stoici philosophorum quoddam genus est triste, severum, jejunum, qui hominis summum bonum

num honesto, nescio quo, metiuntur. Epicurei his longè diversi, felicitatem hominis voluptate terminant. C. Tu igitur cujas es tandem, Stoicus an Epicureus? A. Zenonem laudo: at Epicurum vivo. C. Quod tu joco dicis, Augustine, id seriò factitant hodie non pauci, pallio tantùm & barbâ philosophi. A. Imò isti vel (e) Asotos superant luxu.

C. Heus Dromo, ades huc. Tuo munere fungere: consecra cœnam. P. Quicquid appositum est, & quicquid apponetur, fœlix ac sacrum esse jubeat, qui suâ benignitate pascit universa. Amen.

C. Appone epulas. Quid cunctamur capum hunc discerpere? quid trepidamus hunc gallum lacerare? A. Ego Herculem præstabo, ac beluam hanc conficiam. Vtrum mavis de alâ, an de poplitibus? C. Vtrum vis, nihil mea refert. A. In hoc genere, alis primæ partes tribuuntur: in cæteris poplites lautiores putat vulgus. C. Tu multum laboris, meâ causâ capis. Tu permultum laborem meâ causâ sumis. Tu omnibus ministras, ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo, at eâ lege, ut dimidium mihi restituas. A. Itane agitur? At istud est tibi ministrare, non mihi. Tibi serva. ego enim sum impudentior, quam cui ministrari quicquam debeat. C. Probè, facias. A. Eho, tu lupo cibum ministras. Vulturem invitas. C. At jejunas, non cœnas. A. Imò me uno nihil edacius. C. Imò mendacius nihil. Proinde agito, ac si domi sis tuæ. A. Istud jam planè mihi persuasi. Istud jam in animum induxi. Sic stat sententia. Consilium est, istud facere.

C. Quid

C. *Quid tibi hoc vinum placet? Quid hoc villi delectat?* A. *Mihi quidem perplacet. Me certè vehementer juvat. Me satis delectat. Me non mediocriter juvat.* C. *Virum mavis rubrum, an candidum?*

(a) Quando Pythagorici oleribus & bellariis tantùm vescebantur, factum, ut tenuem impendio cœnam Pythagoricam vocaremus. (b) Condicere cœnam, quod vulgo addicere. (c) Vide proverb. Rore pascitur. (d) De legibus sumptuariis lege Gellium. lib. 2. cap. 24. Fest. Pom in dictione Centenariæ cœnæ. Ph. lib. 10. cap. 50. Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 17. (e) Iste populus luxu perditus, ex re nomen habens. Græcis enim Asotus dicitur intemperans, parumque sobrius.

Non refert, quo sit colore.

Colloq. Helv. p. 141.

A. *Equidem utroq; juxta delector. Nihil refert, quo sit colore, modò sapor placeat. Non laboro, quantum in oculis placeat vinum, modò palatum juvet. Nihil me movet aspectus, si sapor placeat. Parvi refert, quo sit colore, quem habeat colorem, si sapiat bene. Non cupio oculos pascere, si palato satisfacere queat: modò palatum juvare possit. Nihil moror colorem, modò gratus sit sapor.* C. *Credo. Atqui sunt (a) cœnaticæ philosophiæ cumprimis periti, qui negant vinum esse probandum, nisi quod placeat quatuor sensibus: oculis, colore: naribus, odore: palato, sapore: auribus, fama & nomine.* A. *Ridiculum; quid fama conducit ad potum?* C. *Tantum, ut multi non stupidi palati vehementer probarint villum Lovanio vernaculum, cùm crederent esse (b) Belnense.* A. *Fortasse jam larga potatione*

tatione palatum obfurduerat. C. *Imò nondum attigerant poculum. Tamen judicium tuum audire cupio, hominis his in rebus perititsimi.* A. *Album noſtrates rubro præferunt, quòd rubrum paulò ſit acerbius, & alterum exilius quidem, ſed illud mitius, &, ut arbitror, ſalubrius.* C. *Habemus & ſubrubrum, & flavum, & purpureum. Hoc muſtum eſt* (c) *hornum. Hoc bimum eſt, ſi quem capit vetuſtas. Habemus & quadrimum. Sed jam vapeſcit, ac deſipiſcit ſenio. Ætate vigor evanuit.* A. *Luculli divitias audio.* C. *Heus puer, ubi ceſſas? Nos hic planè negligis? Non vides, quanta ſit hic ſiccitas? Quid ſi hoc rerum ſtatu incendium contingeret, quo reſtingueremus? Dato ſingulis plenos cyathos. Auguſtine, quid habes, quòd parum es hilaris? Quid accidit tibi, quòd ſedes triſtior? Quid eſt tibi, quòd minimè gaudes? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chryſippum agis. Meliſſa tibi opus eſt.* A. *Quam hic mihi fabulam narrat?* C. *Chryſippus adeo fertur intentus fuiſſe ſuis argutiis logicis, ut ad menſam etiam fame periturus fuerit, niſi ancilla Meliſſa cibum in os ingeſſiſſet.* A. *Ille verò indignus erat, qui ſervaretur. Sed ſi te offendit taciturnitas, placetq; convivium vocalius, eſt quo id efficias.* A. *Memini. Rectè admones: liberalius bibendum: largius, copioſius, meracius oportet bibere.*

(a) Catius inducitur apud Horat. cœnaticæ philoſophiæ ad unguem doctus. (b) Belnenſe. Vulgò beanum vocant. (c) Hornum, hujus anni.

Rem

Rem attigisti. Colloq. Helv. p. 145.

A. *Rem acu tetigisti. Rectè judicas. Scopum attigisti. Nam,*

Fœcundi calices, quem non fecêre disertum?

C. *Perdoctè tu quidem, Augustine, ut omnia, sed quoniam in sermonem vinarium, quando in mentionem incidimus vinorum, libet interrogare, quonam consilio veteres illi Bacchum, quem vini authorem videri volebant, poëtarum deum dixerint. Quid enim illi temulento deo cum poëtis, Musarum virginum cultoribus?* A. *Quæstio, ita me Bacchus amet, poculis digna: verum quorsum tua quæstiones spectent, satis intelligo.* C. *Quorsum amabo?* A. *Astutè de vino disputationem injicis Gallica techna, quam didicisse Parisiis te suspicor: nimirum quò minus interim absumatur vini. Abi, virum te judico: non frustrà in tantâ scholâ versatus es.* C. *Accipio tua dicta: referam paria scommata, ubi erit commodum. Sed ad rem.* A. *Dissolvam, ubi bibero. Siquidem absurdum fuerit, sicco palato de quæstione vinosâ disputare. Præbibo tibi Christiane. Propino tibi hunc scyphum dimidiatum.* C. *Accipio abs te libenter. Sit saluti. Prosit.* A. *Iam accingor, ut me missum facias. Ego meo more præpostere faciam. Quod Baccho pueritiæ effigiem tribuerint, id habet mysterii, quòd vinum potum & curas & solicitudines animis nostris eximit, hilaritatemq; quandam inducit. Quare senibus quoque ipsis juventam quandam reddere videtur, dum & hilariores facit, & formosiores. Id quod*

Horatius cùm multis in locis, tum præcipuè his versibus apertè testatur.

Admare cùm veni, generosum & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumq; meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.

Nam quòd huic poëtas dicarunt Deo, id significatum voluisse suspicor, quòd vinum & ingenium excitat, & facundiam ministrat: quæ duo poëtæ sunt aptissima. Unde frigent carmina, quæ scribuntur aquæ potoribus. Est quidem igneus suapte natura Bacchus: sed adhibitis (a) Nymphis redditur temperatior. Habes quod quærebas? C. *Nihil unquam audivi verisimilius dici ab homine poëta. dignus es qui bibas gemmâ.*

Heus puer, tolle hanc patinam, atq; appone cætera. A. *Puerum habes admodum inurbanum.* C. *Est veterator nequissimus.* A. *Cur non instituis alio pacto?* C. *Difficile est, canem vetulum loris adsuescere. Difficilimum est veteratoris mutare mores. Vetulus canis non facilè adsuescit loro. Me quidem dignus est. Dignum patellâ operculum.*

(a) Adhibitis Nymphis, hoc est dilutus.

Si cognoscerem quid te oblectet, tibi ministrarem: formulæ.

Colloq. Halop. 149

A. *Decerperem tibi quippiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi, si gula tua mihi satis cognita esset. Apponerem tibi, si, quid potissimum juvaret, scirem. Si nossem ingenium palati tui, essem tibi structor. Equidem tantundè palato, quantum*

tum animo sapio. C. Palatum habes eruditissimum. Nihil tuo palato doctius. Nec eo te puto inferiorem, de cujus singulari peritia testatur Satyricus:

Ostrea callebat primo deprendere morsu,
Et semel adspecti dicebat littus echini.

A. Et tu mihi, Christiane, ut par pari referam, ipsum audivisse Epicurum, aut in schola (a) Catiana institutus videris. Quid enim tuâ gulâ aut sapientius, aut fastidiosius? C. Si oratoriam æquè artem, ut culinariam callerem, nec Cicero ipse me vinceret. A. Equidem, si alterutra carendum esset, culinariam quàm Rhetoricam mallem. C. Subscribo tuo judicio: graviter, acutè, veréque judicas. Quid enim oratorum confert loquacitas, nisi quod aures otiosas inani voluptate demulcet? Culinaria tum palatum, tum ventrem, tum totum hominem, quantus est, pascit ac reficit. Concedat laurea linguæ, inquit Cicero: at utraque concedat culinæ. Nunquam mihi Stoici illi magnoperè placuerunt, qui omnia ad suum nescio quod honestum referentes, cutis ac palati nullam rationem habendam putant. Dici non potest, quanto Diogene sapientior Aristippus mihi fuisse videtur. A. Ego Stoicos cum suis jejuniis contemno. Epicurum magis laudo ac probo quàm Diogenem illum Cynicum, qui crudis oleribus, ac simplici aquâ victitabat. Quare nihil miror, si Alexander Rex fortunatissimus, se Alexandrum, quàm Diogenẽ esse maluit. C. Nec ego sanè, quamlibet vilis homuncio, cum Diogene meam philoso-

phiam commutarem : Fortassis & Catius tuus facere recusaret. Melius nostri temporis philosophi sentiunt, qui contenti Stoicorum more disputare, vivendo ipsum etiam Epicurum vincunt. A. *Ego quidem rem inprimis præclaram, philosophiam puto, si parcè adhibeatur. Nimium philosophari non laudo. Est enim res perquàm jejuna, sterilis atque tristis. Ubi in calamitatem aut ægritudinem incidi, tum demum ad philosophiam, tanquam ad medicam confugio. Ubi convalui, rursum illi vale renuncio.* A. *Tuam rationem probo. Belle philosopharis. salve igitur philosophe non è* (b) *Stoa, sed è culina.* C. *Quid tandem habes, Erasme, quòd parum sis hilaris? Quid sibi vult corrugata frons? Quid silentium? An mihi succenses, quòd te frugaliore cœnâ acceperim?* Eras. *Imò tibi sum iratus, quòd tantum impendii meâ causâ sit factum. Interminatus erat Augustinus, ne sua causa diem festum faceres: vis nos posthac redire nunquam. Nam talem cœnam dare solent ii, qui unam duntaxat dare constituissent. Quos tandem convivas videris accepisse? Non amiculis, sed satrapis cœnam parasse videris. An nos helluones esse credis? Hoc non est dare cœnam, sed triduanam saturitatem.* C. *Etiam tu pergis esse Demea? Cras, ut lubet, disputa: hodie Mitionem te præbeas, oro. De impendio cras sobrii disputabimus: nunc nil nisi meras nugas audire libet.* A. *Christiane, utrum de bubulis, an de ovillis carnibus mavis?* C. *Bubulis quidem magis delector: at ovillas magis salutares arbitror.*

Ita

Ita ingenium est hominum, ut perniciosissima quæque appetant vehementissimè. A. *Galli suillas carnes mirum in modum amant.* C. *Galli amant, quæ parvo constant.* A. *Hac unâ in re Iudæus sum. nam nihil æquè odi atq; carnes suillas.* C. *Nec injuria. quid enim insalubrius? Ego in hoc non cum Gallis, sed cum Iudæis sentio.* E. *At ego ovillas pariter amo, & suillas, sed diversa ratione. Nam ovillis, quod amem, libenter vescor, suillas præ amore non attingo, ne quid offendam.* C. *Bellus homo es, Erasme, ac festivus. Equidem mirari mecum soleo, unde tanta in palatis humanis diversitas. Nam, ut Horatiano illo carmine utar,*

Tres mihi convivæ propè dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.

E. *Quanquam, ut ait Comicus, quot homines, tot sententiæ, & suus cuiq; mos: tamen nemo me adduxerit, ut credam plus ingeniis inesse varietatis, quam palatis. Ita vix duos reperias, quos eadem juvent. Permultos vidi, qui butyri ac casei ne olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nauseæ sint: alius elixis, alius assis abstinet. Multi aquam vino præferunt. Et quod incredibile est, vidi hominem, qui nec pane nec vino uteretur.* C. *Et quibus tandem miser ille victitabat? Quibus vescebatur?* E. *Caterorum nihil fastidiebat, non carnes, non pisces, non olera, non poma.* C. *Credo: at eâ lege, ut vicissim mihi mentienti fidem sis habiturus.* E. *Agè faciam, modo verecundè mentiaris.* C. *Quasi vero sit quicquam tuo commento impu-*

dentius. E. Quid dicet frons tua, si hominem tibi commonstrem? C. Macilentum quempiam ac (c) monogrammum esse oportet. E. Imò diceres athletam. C. Polyphemum potius. E. Hoc tibi mirum videri demiror, quum multi sint, quibus pisces vento durati sint panis loco: nonnullis hoc præstent herbarum radices, quod nobis panis. C. Credo: sed perge mentiri. E. Quendam in Italia, cùm illic agerem, videre memini, qui nullo neq; cibo, neq; potu adjutus, somno saginabatur. C. Ut nihil pudet? Non possum illud Satyricum non dicere.

Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.
Tu poëtaris. Tu nunc poëtam agis. Nam, mentiris dicere, mihi religio est. E. Mentiar, si non Plinius autor certissimus scripsit, ursum quatuordecim dies solo somno mirum in modum saginari: quo tamen ita altè premitur, ut ne vulneribus quidem queat excitari. Imò quò magis mireris, addam quod Theophrastus scribit, per id tempus ursorum carnes coctas quoq; si adserventur, revivisscere. C. Vereor, ne Pármeno ille Terentianus ista non contineat: mihi facile fidem facis. Ministrarem tibi de cervinis carnibus, si satis essem urbanus. E. Unde tibi nunc venatio? Unde ferina? C. Midas homo hominum, qui vivunt, liberalissimus, nostriq; amantissimus, mihi misit dono: dono quidem, sed sic, ut ego minoris emam sæpenumero. E. Qui sic? C. Quia famulis plus dandum, quàm daretur in macello vendenti. E. Qua res cogit hæc facere? C. Tyrannus omnium violentissimus. E. Quis iste?

C. Mos.

C. Mos. E. Profectò tyrannus iste frequenter iniquissimas leges obtrudit mortalibus. C. Idem suo more nudiustertius hunc cervum venatus est. Quid tu, qui soleas istius studii esse amantissimus? A. Equidem hoc studio planè relicto, jam præter literas nihil venor. E. At mihi videtur literæ quovis cervo fugaciores. A. Duobus tamen potissimum canibus adsequimur, admiratione scilicet, atque improbitate laboris. Nam & admirari plurimum discendi ardorem ministrat, & ut facundissimus poëta scripsit,

Labor omnia vincit
Improbus.

C. Amanter admones Augustine, ut soles. propterea non desistam, non conquiescam, non defatigabor, donec consequar. A. Carnes cervinæ sunt nunc admodum tempestivæ. Meminit Plinius de hoc animante quiddam admirabile. C. Quidnam obsecro? A. Quoties arrexêre aures, acerrimi esse auditus: at contrà, cum remisêre, surdos. C. Istud ipsi mihi sæpenumero evenit. Nam si quando fiat sermo de recipiendis aureis, nihil tam auritum. Hic enim cum Pamphilo illo Terentiano aures arrigo. Vbi de numerando verba fiunt, illicò demitto. A. Laudo te, facis ut te decet. C. Vis de his leporinis clunibus? A. Tibi sumito. C. An de tergo mavis? A. Hoc animal præter ilia & clunes nihil habet appetendum. C. Vidisti ne unquam leporem candidum? A. Sæpenumero. Plinius in Alpibus candidos reperiri scribit, quibus hybernis mensibus ni-

vem pro cibo esse sit creditum. An verum sit, Plinius ipse viderit. Quòd si leporis cutem candidam reddit nix, stomachum habeat candidum necesse est. C. Mihi verisimile non fit. A. Accipe magis admirandum, at fortasse tibi non inauditum. Idem utrumq; vim singulis inesse testatur maris & fœminæ, ac femellas sine mare æquè gignere. Istud ipsum multi adseverant, præsertim venandi studiosi. C. Est ita, ut dicis. Sed hos cuniculos, si placet, tentemus, quia pinguiusculi sunt ac tenelli. Ministrarem illi Nymphæ, si propius assiderem. Augustine, istius tibi vicinæ curam age, si libet: calles enim, quo gestu sit ministrandum istis Veneribus. A. Teneo, quid dicas, nasute. C. Quid te anserinæ carnes delectant? A. Me quidem non mediocriter juvant, ut sum minimè fastidiosus. At hic anser, nescio quo pacto nihil me juvat: nil enim invita vidi siccius: siccior est pumice, aut etiam novercâ Furii illius, in quem (d) Catullus multum jocatur. Ligneus mihi videtur. Et me hercule quantum suspicor, veteranus miles immodicis excubiis sese macerávit. Ajunt enim anserem inter omnia animalia longè esse vigilantissimum. Et profecto, nisi conjecturâ fallor, hic anser ex eorum numero est, qui canibus una cum excubitoribus somno sopitis, Romanum olim Capitolium defenderunt. C. Verisimile (ita me Deus amet) dicis. nam ex eo seculo relictum arbitror. A. Hæc quoq; gallina aut parcũ saginatorem habuit, aut amavit, aut certè Zelotypa vixit: quo quidem morbo hoc animãtis

genus

genus maximè laborat. Hic capus longè melius pinguit. Vide, curæ quid faciant. Quod si ex Theodorico nostro Gallo faceremus capum, multò citius pingueſceret. Th. Non ſum Gallus. A. Fateor; non es gallus Cybeles, neq; Gallus gallinaceus, at forte Gallus galliceus. C. Quid hoc verbi eſt? A. Hoc ænigma tibi conjectandum relinquo; ego Sphingem præſtiti, tu Oedipus eſto. C. Dic mihi bona fide Auguſtine, nulla tibi cum Gallis unquam fuit neceſſitudo? Nihilne affinitatis tibi cum Gallis contraxiſti? nullum fuit commercium? A. Nihil ſanè. C. Tantò es nequior. A. Sed cum Gallabus nonnihil. C. Libéne de [c]jecore anſerino, quod apud veteres in delitiis cumprimis habebatur? A. Non ſum rejecturus, quod a tua manu venerit. C. Non eſt, quòd expectes Romanas delitias. A. Quas? C. Carduos, cochleas, teſtudines, colubros, fungos, boletos, tubera. A. Iſtis omnibus ego vel rapam præferam, liberalis es, benignus es, Chriſtiane! C. Has perdices nemo attingit, ne columbos quidem. Cras eſt dies jejunii ab Eccleſia indicti: adverſus hanc eſuriem munite vos. Onerate ſaburrà navim, adverſus imminentem tempeſtatem. Bellum inſtat, inſtruite ventrem commeatu. A. Utinam iſtud verbi tacuiſſes, hilariores ſurrexiſſemus a cœna. Miſeros nos reddis ante tempus. C. Quid ita? A. Quia minus anguem odi quam piſces. C. At non tu ſolus. A. Quis hoc tædii nobis invexit? C. Quis commonſtravit aloen, abſynthium, & ſcammonium dare in remediis? A. Sed iſta dantur ægrotis. C. Sic

hæc dantur nimium rectè valentibus. Aliquando præstat ægrotare, quàm plus satis valere. A. At mihi videtur minus oneris olim impositum Judæis. Equidem ab anguillis & porcis facile temperarim, modo liceat capis & perdicibus expleri. C. In plerisq; non res, sed animus nos discernit à Iudæis: illi manum abstinebant à certis cibis, velut ab immundis, & animum inquinaturis: Nos, quum intelligamus omnia munda esse mundis, tamen carni lascivienti, velut equo ferocienti, pabulum subducimus, quò magis dicto sit audiens spiritui. Nonnunquam immoderatum suavium rerum usum, abstinentiæ molestiâ castigamus. A. Audio: sed eadem opera defendi posset circumcisio præputii. Moderatur & illa coitus pruritum, & cruciatum adfert. Si omnes itidem abhorrerent à piscibus, atque ego, vix à parricida tam atrox supplicium exigerem. C. Quorundam palato gratior est piscium, quàm carnium esus. A. Congruunt igitur his, qui gulæ serviunt, non valetudini. C. Equidem audivi quondam apud (ſ) Æsopos & Apicios præcipuum luxum in piscibus fuisse. A. Quî conveniunt igitur delitiæ cum supplicio? C. Non omnibus sunt murenæ aut scari, aut accipenseres. A. Ergo tenues soli discruciantur, quibus satis male est, etiam cum vesci licet carnibus. Fit enim non rarò, ut cum licet vesci per Ecclesiam, non liceat per crumenam. C. Durum mehercule interdictum. A. Quod si interdictus carnium esus divitibus vertitur in delitias, & si pauperibus sæpe non licet vesci carnibus, et-

bus, etiam cùm licet, ac ne piscibus quidem, qui ferè carius emuntur, cui igitur bono erit interdictum? C. Omnibus. Nam tenuibus, cochleis aut ranis licebit vesci, aut cepe porrúmve arrodere. Mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsoniis. Quod si quid divites delitiabuntur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent Ecclesiæ constitutionem. A. Pulchrè dixti. Sed interim a tenuibus, qui summis sudoribus alunt familiam, & procul absunt ab amnibus ac lacubus, exigere carnium abstinentiam, est indicere famem, aut (g) Ἑλιμίαν magis. Atqui, si quid Homero credimus, longe miserrimum mortis genus est, perire fame. C. Sic visum est (h) Homero cæco: at apud Christianos miser non est, qui bene moritur. A. Esto sanè; sed tamen durum est à quoquam exigere ut moriatur. C. Nec hoc animo pontifices interdicunt esum carnium, ut intereant homines, sed ut vel affligantur moderatè, si deliquerunt, vel, subducto latiore pabulo, corpora minus ferociant, adversus spiritum. A. Istuc ipsum efficiet moderatus carnium esus. C. Sed in tantâ corporum varietate certus carnium modus præscribi non potest, cibi genus potest. A. Sunt & pisces, qui multum addant alimenti: sunt carnes, quæ minimum. C. Sed in genere plus alunt carnes. A. Agè, dic mihi, si quo tibi foret iter, utrum malles equum alacriorem ac sublascivum, an morbidum, qui subinde collabens, sessorem dejiciat in terram? C. Quorsum istud? A. Quia pi-

scium

scium esus corruptis humoribus, corpora nostra reddit magnis morbis obnoxia, ut jam spiritui non possint subservire. C. *Quibus morbis?* A. *Podagræ, febri, lepræ, morbo regio.* C. *Quî scis?* A. *Credo medicis: id malim, quàm experiri.* C. *Id fortassè in paucis accidit.* A. *Equidem arbitror in pluribus. Porrò, quoniam animus agit per organa materialia corporis, quæ malis aut bonis humoribus adficiuntur; vitiatis instrumentis, non potest, ut vult, exercere vim suam.* C. *Scio medicis magnopere damnatum esse piscium esum: sed secus visum est majoribus nostris, quibus obtemperare religiosum est.* A. *Religiosum erat, & olim, non violare sabbatum, sed prius erat, servare hominem sabbato.* C. *Suæ quisq; saluti consulat.* A. *Imò, si D. Paulo volumus auscultare, nemo quæ sua sunt quærat, sed quisque quæ alterius.* C. *Sed unde hic novus theologus in convivio? Unde novus hic ac subitus Magister noster?* A. *Quia mihi malè convenit cum piscibus.* C. *Quid igitur? Annon abstines à carnibus?* A. *Abstineo, sed obmurmurans, nec sine meo magno malo.* C. *Charitas omnia suffert.* A. *Verum: sed eadem quamminimum exigit. Si suffert omnia, quur non ferunt nos his vesci cibis, quos indulsit libertas Evangelica? Quur hi, à quibus Christus toties amorem sui stipulatus est, patiuntur tot hominum & corpora periclitari morbis capitalibus, & animas æternæ damnationis periculo, ob rem, nec interdictam à Christo, nec per se necessariam?* C. *Ubi aliud suadet necessitas, cessat humana*

manæ constitutionis vigor, cessat & voluntas nomotheta. A. At non cessat offendiculum infirmorum. Non cessat scrupulus meticulosæ conscientiæ. Postremò, non satis constat, quibus limitibus finiatur ista necessitas. An cùm cœperit (k) ichtyophagus agere animam? Serò morienti porriguntur carnes. An cum totum corpus habet (l) epialis? Non tanti erat ciborum delectus. C. Quid igitur tu velles præscribi? A. Scio, si quis mihi crederet ecclesiasticæ rei dictaturam. C. Quid istuc verbi est? A. Si summus essem Pontifex, hortarer omneis ad perpetuam vitæ sobrietatem, sed præcipuè sub diem festum. Cæterum jus facerem cuique vescendi quibus vellet pro corporis salubritate, dum moderatè & cum gratiarum actione; daremq; operam, uti hoc, quod detraheretur observationibus hujusmodi carnalibus, accresceret ad studium veræ pietatis. C. Nimirum istud meâ quidem sententiâ tanti est, ut te faciamus Pontificem. A. Rides: sed tamen cervix hæc sufficeret vel triplici coronæ sustinendæ. C. At interim vide, ne ista scribantur inter articulos Parisiensium. A. Imò quicquid dictum est, scribetur in vino, sicuti par est dicta inter pocula. Sed satis jam Theologiæ in convivio. In cœna simus, non in (m) Sorbona. C. Quid vetat dici Sorbonam, ubi benè sorbetur? A. Sorbeamus igitur, non disputemus, ne nobis à sorbis dicatur Sorbona, non a sorbendo. :)

CHRI-

CHRISTIANVS. CONVIVÆ. MIDA. ERASMVS. PVER. AVGVSTINVS.

Colloq. Helv. p. 164

C. Agite hospites humanissimi, quæso ut cœnulam nostram, licet tenuem, æqui bonique consulatis. Præbete vos hilares ac lubentes, quamvis convivium tenue sit & frugale; ego vestrâ facilitate fretus, familiariter vos vocare sum ausus. Est sanè vester mihi adventus conspectúsque non modò gratissimus verum etiam jucundissimus. CONVIVAE. Cœna tua, Christiane optime, multis modis elegans lautáque nobis videtur. Quòd excusas, id unum habet accusandum. nam magnificentior fuit quàm sat est. Siquidem hoc convivium opiparum inprimis ac lautum judicarim, quod primum simplicibus epulis, deinde hilaritate, risu, jocis, salibus sit conditum: quæ omnia nostro convivio non defuerunt. (n) C. Verum de convivarum numero hic mihi quiddam in mentem venit, quos neque pauciores tribus, neque plures novem esse oportere scripsit Varro. Tres enim sunt Charites, id est, gratiæ, humanitatis ac benevolentiæ præsides: & novem sunt Musæ, honestiorum studiorum duces. At hîc decem convivas esse video, virginibus exceptis. A. Nihil convenientius accidere potuit. Nos sumus Varrone ipso paulò sapientiores. Nam tres puellas lepidissimas, tauquam tres Charites adhibuimus. Deinde, quia a novem Musarum choro Apollo abesse nunquam credendus est, jure decimum adjecimus

jecimus convivam. C. Poëticè dixisti. Si mihi laurus adesset, laureâ corona caput tuum cingerem, fieresque Poëta laureatus. A. Si malva coronatus essem, malvatus. Tantum honoris mihi non arrogo. Honor hic major est, quàm ut mihi conveniat. Haud equidem tali me dignor honore. C. Vultisne singuli tantundem mea causa facere, quantum vestra sum facturus? Co. Volumus, ac lubentes quidem. C. Ebibetis igitur ordine suum quisq; calicem: à me exemplum capietis. Tibi hoc primum propino, Mida. M. Accipio abs te libenter. Pro quo vulgus, Præstolor, dicit. Equidem non recuso. Nihil tua causa recusabo. C. Tu deinde cæteris propina. M. Erasme, prœbibo tibi dimidiatam pateram. E. Precor, ut sit tibi bono. Sit tibi bonum atque commodum. Prosit tibi. Proficiat, durius dicitur. C. Sed cur cessat patera? Cur non obambulat? P. Defecit nos vinum. C. Ubi sunt oculi tui furcifer? Vola, adfer ejusdem generis sextarios duos. P. Erasme salve, quidam pro foribus te conventum expetit. E. Quisnam est? P. Mori famulum se dicit: herum ejus ex Britannia advenisse, cupere ut se visas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam. E. Christiane, subducatur ratio: nam mihi quidem abeundū. C. Rationem, Erasme doctissime, hujus cœnæ ego confecero. Non est quòd calculum frustra teras; gratiam habeo, qui dignatus sis nostro adesse convivio. Sed avocari te molestum est, nondum peracta fabula. E. Quid superest, nisi ut dicam? Valete & plaudite.

C. Agè

C. *Agè boni consulemus, quando tu non ab equo ad asinos, sed ab amicis ad amicissimos properas.* E. *Ego pariter tibi gratias ago, quod pro tua humanitate ad hoc convivium longe suavissimum me vocaris. Valete sodales optimi. Bibite non segniter, & vivite suaviter.* C. *Heus Dromo. Sedetis jamdudum otiosi omnes. Libétne cuiquam quicquam amplius?* CONVIVAE. *Nihil omnino. Strenuè munus nostrum administravimus.* C. *Tolle igitur hæc, ac bellaria appone. Muta quadrulas atq; orbes. Tolle cultrum meum, qui humi decidit. Pira vino perfunde. Adsunt mora præcoqua etiam domi nostræ nata.* C. *Tanto erunt suaviora, quòd vernacula.* C. *En pruna cerea, en* (o) *Damascena, rarum apud nos spectaculum. En mitia mala. En mali novum genus, cujus matrem ego hisce manibus consevi, nuces castaneæ, omne delitiarum, quas horti nostri benignè effundunt genus.* A. *Sed flosculi desunt.* C. *Isti Gallici sunt apparatus, qui magnificentiam eam potissimum amant, quæ minimo constat. Nobis non est ea mens, aut ingenium.* A. *Non apud Gallos tantum reperies, quibus ea placent, quæ minimo constant.* C. *Sed heus tu, Augustine, num tu credis te hic immunem bibisse? Egone te meis immunem tinxero poculis? At interim propinatori tuo dimidium scyphi debes.* A. *Is jamdudum me missum fecit. Is mihi hujus debiti gratiam fecit.* C. *Unde ille sibi vindicat tantum authoritatis? Vix Romanus Pontifex hoc vinculi relaxaret. Nosti priscam conviviorum*

legem

legem (p) ἢ πίδι ἢ ἄπιδι. A. *Remittendi jurisjurandi jus habet, cui factum est, & cujus intererat servari.* C. *Sed omnium convivarum interest servari leges inviolabiles.* A. *Agè quando hæc est Germanorum* (q) *religio, exorbebo quod reliquum est. Sed quid tibi rei mecum est?*

CHRISTIANVS. AVGVSTINVS.

C. *Impendium reddas oportet unus nomine omnium. Quid expalluisti? ne verere, perfacile poteris. Fac quod sæpè feceristi, ut aliquâ elegantiâ doctiores à cœna surgamus. Neq; enim clam te est, veteres illos in secundis mensis hilariora quædam disputare solitos. Agè igitur, quibus & quot modis hæc oratio potest enunciari: Indignum auditu.*

(a) Catius, Epicureus fuit, & cœnarum autor. vide Horatium. libr. 2. Sermon. (b) Stoa, porticus Athenis, Vnde dicti Stoici. (c) Monogrammi dicuntur homines prætenues ac pusilli, à picturis, in quibus unica lineâ notantur homunculi, velut procul apparentes. (d) In epigrammate cujus initium: Furi cui neque servus. (e) De jecore anserino. vide Plinium lib. 10. cap. 22. (f) Æsopi & Apicii luxus multorum literis nobilitatus est. festiviter autem mutato numero, luxuriosos vocat Æsopos & Apicios, quemadmodum effœminatos dicimus Sardanapalos. (g) Id est, ingens fames. λίμος enim fames, & ὸς syllaba auget, quasi totos boves esuriat aliquis. (h) Homero, Odyss. 12. (i) Nomothetæ id est legis autoris. (k) Ichthyophagus, id est, qui vescitur piscibus. est populus nomen inde habens. (l) Epialus, febris genus vehemens, omnis causos sic dicta Epialus, quasi placide assiliens. (m) Sorbona gymnasium Parisiense. Sorbum pomi genus acerbitate constringens fauces, ut quædam occidant etiam. (n) Vide Gel. lib. 13. cap. 11. de numero convivarum. (o) A Damasceno

monte, non ab oppido: græcis brabyla etiam dicuntur. (p) Id est, aut bibe, aut abi. (q) Religio, mos religiosè observatus.

Indignum auditu; formulæ.

A. *Dixti pulchrè per posterius supinum. Auditu minime est dignum: Indignum est audiri. Haud dignum est, quod audiatur. Est, ut audiatur, indignum. Levius est, quam quod audiri debeat. Vix operæ pretium est referre. Non tanti est, ut audiatur. Ineptius est, quàm quod audiatur. Non est operæ pretium narrare.* C. *Quot modis hæc sententia verti potest? Magno mihi constat.*

Magno mihi constat.

A. *His verbis, impendo, insumo, impertio, constat: ut, Multum in te docendo insumpsi laboris. Plurimum eâ in re operæ insumpsi. Non minus pecuniæ, quam curæ in eam rem impendi. Non parum insumpsi pecuniæ, temporis permultum, laboris plurimum, ingenii nonnihil. Multum lucubrationis impendi. Multis vigiliis hæc res mihi constat, multo sudore, multâ opera, plurimo labore, sumptu ingenti, pecunia magna. Pluris mihi constat, quàm credas. Minoris mihi constat uxor, quam equus meus.* C. *At quid sibi vult Augustine, quod verbo isti, Constat, modò ablativum, modò genitivum casum apponis?* A. *Quæstionem perutilem, ac latè patentem movisti. Verum, ne convivas mea loquacitate premam, paucissimis absolvam. Sed cupio singulorum hac de re audire sententiam, ne cuiquam, ut dixi, sim molestus.*

molestus. C. Quidni cupiant idem vel puellæ? A. Illæ sanè nihil aliud quàm audient. Accingar igitur Grammatica benè fortunante. Scis verba emendi ac vendendi aliàq; esse consimili significatu, quibus adponantur hi genitivi {solidi tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantivis, quanticunq;: at ita, si substantiva non adponantur: quæ si accedant, utraque in ablativum casum vertuntur. Quòd si pretium certum apponatur, pones in ablativo. Si per adjectivum substantivè positum, in ablativo pones: nisi per adverbia loqui malis. C. Quænam verba sunt, de quibus præcipis? A. Hæc ferè sunt, emo, mercor, redimo, (id est, aut captum, aut perditum emo) vendo, venundo, revendo, id est, rursus vendo quod mihi venditum erat. Veneo, id est, vendor, cujus præteritum venivi, vel venii, supinum venum: hinc venalis. Ab illo, id est, vendo, vendibilis manat. Mereo, pro inservio & stipendium facio. Comparo, id est, emo vel commuto, muto, permuto. Cambire penitus Barbarum in hoc sensu. Æstimo, taxo, judico, pro æstimo, censeo. Liceor liceris: Licitor licitaris. addico. Distrahor, id est, circumferor, ut veneam. Metior pro æstimo, aut taxo. Constat, pro emitur. Conducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciscor, pactus sum. Pango pepigi, id est, pactum facio. C. Da exemplum.

Emendi & vendendi formulæ. Colloq. Helv. p. 342.

A. Quanti istum agrum in singulos annos locas? Respondebimus. Vigenis libris Francicis. Hui

nimio locas. Imò locavi olim multò pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, peream. Imò jam vicinus tuus Chremes agrum obtulit ac rogat. Quanti? Tantidem, quantum tu petis, at multò meliorem. Mentiris. Facio ut solent, qui licentur. Tu ipse tanti possides. Quid liceris, vel licituris, quum nihil sis empturus? Quanticunq; addixeris, solvam optima fide.

Alterum exemplum.

Congrum istum Syra quanti vendis? Decem obulis. Nimio, turpissima. Imò minimo: nulla tibi vendet minoris. Emoriar, si non tanti mihi constat, aut certè non multò minoris. Mentiris venefica, quoniam duplo vis vendere, aut triplo. Et centuplo, si queam, sed fatuos non invenio. Quid si liciter teipsam? Quanti æstimas te? Vt lubet. Quanti te liceris? Quanti indicas te? Dic, quanti te taxas? Quanti teipsam inscribis? Decem scutatis. Hui tanti? Eho an tu minoris me æstimas? Ego olim non semel pluris in unam noctem sum conducta? Credo, at nunc non paulò minoris æstimo quam piscem. Abi in malam, rem ganeo; tantidem te æstimo quanti tu me. Qui te (a) teruncio emerit, nimio erit. At pluris emar, aut non vendar. Si magno venire cupis, larvâ tibi opus est: nam rugæ istæ non sinunt, ut carius vendaris. Ei, qui tanti me nolit, non sum venalis. Ego ne culmo quidem te emero. Constiti pluris.

(a) Teruncius ein Pfenning.

Tertium

Tertium exemplum.

Auctioni hodiernæ interfui. Ain' tu? Licitatus sum vectigalia. Quanti tandem? (a) *Decem millibus. Hui tanti? Ne mireris; erant, qui multò pluris licitarentur: pauci, qui minoris. Cui tandem addicta sunt vectigalia? Chremeti, uxoris tuæ summo & maximo amico. Sed divina, quanti sunt addicta. Decem. Imò quindecim. Deus bone! ego mihi hominem ipsum cum tota familia dimidio addictum nolim. At ille uxorem tuam duplo emptam cupit.*

Animadvertistine in his orationibus, ubicunq; adsit substantivum pretii, id in ablativo poni, cæteris aut in genitivo positis, aut in adverbium mutatis. Comparativum nunquam audisti sine substantivis, exceptis illis duobus, pluris & minoris. Sunt & alia verba, de quibus sumus loquuti, non admodum dissimilia: sum, facio, habeo, duco, æstimo, pendo, quæ idem ferè significant: fio, itidem. Junguntur autem his ferè genitivis, multi, parvi, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tanti, quanti, flocci, pili, nihili, nauci, hujus, & si quæ sunt his similia. C. *Da exempla.*

(a) Decem millibus, frequens apud Latinos in numerariis summis defectus. Decem millibus, subaudi nummis, aut denariis, aut simile.

Æstimandi formula. Colloq. Helv. pag. 347.

A. *Scis quanti te semper fecerim? Tanti fies apud homines, quanti virtutem facies. Præceptores meos semper feci plurimi. Aurum hac tempestate magni penditur. Literæ nihili, sive pro nihilo*

ducuntur. Aurum minoris habeo, quàm credas. Tuas minas flocci facio. Promissa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti sapientia penderetur, quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos sit aurum sine sapientia, quam sapientia sine auro. Hoc pluris te habeo, quòd doctus sis. Minoris hìc sies, quòd mentiri minimè calleas. Hìc multi sunt, qui nigrum in candida vertunt. Hoc mihi pluris es, quod literas amas. Tanti apud omnes eris, quantum possidebis. Tanti ubiq; habeberis, quantum habebis. Non quanti habearis, sed quanti sis interest. Tanti Christianum meum facio, quanti alium neminem. Inveniuntur & alia verba cum his genitivis & ablativis, quæ natura sua non significant emtionem aut aliquid simile. Petrus oscŭlum puellæ (a) scutato emit. Sit illi faustum, nolim ego basiare tanti. Quanti luditis? Quanti cœnastis? Quosdam sexcentis sestertiis cœnasse legimus: at Galli sæpenumero liardo cœnitant. Faustus quanti docet? parvo. At pluris quam Delius. Quanti igitur? Vndeviginti aureis. Non discam mentiri tanti. Phædria apud Terentium & rem & seipsum amando perdidit. At nolim ego amare tanti. Quidam magno dormiunt. Demosthenes pluris siluit, quam alii loquebantur. Æqui boniq; consulas oro.

Est & aliud verborum genus, quæ accusativum una cum genitivo aut ablativo casum exigunt, quæ sunt: Accuso, id est, objicio crimen, aut culpo etiam absentem. Incuso, culpo extra judicium. Arguo, reprehendo, insimulo, impingo suspicionem culpæ.

culpæ. Postulo, in jus voco, accerso, defero, damno, condemno, pronuncio illum esse in culpa. Admoneo, commonefacio. C. *Exempli causa.*

(a) Scutatus ein Schildt / numisma inferioris Germaniæ.

Accusandi formula.

A. *Scipio accusatus est ambitus, aut de ambitu. Arguis me impudentiæ, ipse impudentissimus. Lepidus postulatus est repetundarum. Accersitus est capitis. Si hominem insimulabis avaritiæ, malè audies. Admoneto cum pristinæ fortunæ. Mortales ipso vocabulo suæ conditionis admonentur. Commonefacito Lepidum promissi.*

Sunt pleráque quæ accusativum geminum admittant. Doceo te literas. Exorat te veniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuum. Hîc ejus rei mihi admonendus es, quòd in his secundùm accusativum etiam passiva obtinent, in aliis genitivus manet. A. *Doctus est literas. Postulant me furti. Postulor furti. Accusas me sacrilegii. Accusor sacrilegii.*

Scio te nondum expletum. Scio animo tuo nondum esse satisfactum. Quando enim tantus elegantiarum helluo satietur? Sed convivis parcendum est, quos hæc non omnes perinde delectant. A. *A cœna inter deambulandum, id quod rationi deerit persolvemus, nisi quid aliud censes.* C. *Fiat ex tua sententia. Agamus gratias benignitati divinæ, deinde paulisper deambulaturi.* M. *Pulchrè dicis. Nihil enim hoc vespertino cœlo amœnius, nihil salubrius.*

p. 113. Colloq. Hold. p. 172.

lubrius. C. *Petre, adesdum. Tolle suo quæque ordine, ac vinum cyathis infunde.* P. *Jubesne agi gratias?* C. *Agè.* P. *Græcè mavis, an Latinè?* G. *Utroque modo.* P. *Gratias agimus tibi, pater cœlestis, qui tuâ ineffabili potentiâ condidisti omnia, tuâ inscrutabili sapientiâ gubernas universa, tuâ inexhaustâ bonitate cuncta pascis ac vegetas: largire filiis tuis, ut aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promisisti ac præparasti verè diligentibus te, per Jesum Christum. Amen.* C. *Dic eadem Græcè, ne cæteri, quod dicas, intelligant.* P. Εὐχαριστοῦμέν σοι πάτερ ἐράνιε, ὁ τῇ ἀῤῥήτῳ σε δυνάμει κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῇ ἀνεξερευνήτῳ σε σοφίᾳ κυβερνῶν ἅπαξάπαντα, ὁ τῇ ἀνεξαντλήτῳ σε χρηστότητι ἕκαστα τρεφόμενός τε καὶ αὐξάνων· χαρίζου τοῖς υἱοῖς σε, τὸ μετά σε ποτὲ πιεῖν τὸ τῆς ἀθανασίας νέκταρ, ὃ ὑπέσχου καὶ ἡτοίμασας τοῖς ἀληθῶς ἀγαπῶσί σε, διὰ Ιησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, τοῦ μετά σε ζῶντος, καὶ βασιλεύοντος ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύματος ἁγίᾳ, εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. C. *Habeo vobis hospites candidissimi gratiam, qui ad hoc conviviolum venire dignati sitis: oro, æqui boniq; consulatis.* C. *Nos vicissim gratiam referre volumus, non tantum habere. Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potius surgamus, & exspatiemur.* A. *Ducamus nobiscum virgines. nam eò minus molesta erit deambulatio.* C. *Rectè sentis, ne desint nobis floscŭli, si fortè locus flores non habebit. Utrum mavis nostris in hortis more poëtico reptare, an foris ad amnem exspaciari?* A. *Habent quidem*

dem horti tui amœnitatis permultum: verùm eam voluptatem matutinis deambulationibus serva. At sole inclinato omnium aspectus oculos mirum in modum juvat. C. Antecede igitur, Augustine, ut poëta dignum est: latus tuum claudam. A. Bone Deus, quantum comitum, quantam pompam nobiscum ducimus! Dici non potest, Christiane, quantum mihi placeam: Satrapes mihi videor.

C. Age, nunc promissum præsta. Solve quod recepisti. A. Quid me potissimum vis dicere? C. Ego quondam in Pollionis oratione cum multa, tum illud inprimis solebam admirari, quòd tam facilè, tam crebrò, tam venustè orationem verteret; quæ res non modo singularis ingenii, verumetiam multi usus mihi videtur. A. Haud injuria istud in Pollione admiratus es, Christiane. Ille enim tum hac in re divinam quandam vim obtinet, quam quidem illi cum ingenii dexteritate quadam, tum plurimo & dicendi & legendi & scribendi usu contigisse opinor potiùs, quàm ratione aliquâ aut præceptione. C. At ego rationem aliquam istius rei, si fieri potest, expecto. A. Ita, ut dixi, res habet. Verum, quia te tantoperè video velle, quantum potero, morem geram, easque ratiunculas, quas in Pollionis orationibus mihi visus sum animadvertere, ut potero, reddam. C. Age, percupio. p. 128.

Brevis de Copiâ præceptio.

A. Adcingor. Principio res ipsa, puris, electis, ac latinis verbis, efferenda est: quod ipsum posse non mediocris artificis est. Sunt enim permulti,

qui, nescio quomodo, copiam & varietatem orationis adfectant, quum ne semel quidem rem possint aptè explicare. Isti, tanquam semel balbutisse sit parum, balbutiem suam alius atq; aliis modis reddunt balbutiorem, tanquam ipsi secum certamen susceperint, ut quàm barbarissimè dici possit, dicant. Itaque inepti synonyma quædam congerunt, adeò interdum inter se dissidentia, ut ipsi mirentur, quo pacto convenerint. Quid enim absurdius, quam hominem pannosum, cui ne una quidem, quam sine pudore possit induere, sit vestis, eum tamen subinde suos pannos mutare, ac mendicitatem suam pro opibus ostentare? At nihilo minus ridiculi videntur isti varietatis affectatores, qui, cùm barbarè semel dixerint, repetunt idem multò barbarius, demum iterum atq; iterum indoctius. Hoc est, non oratione, sed solœcismis abundare. Inprimis igitur, ut dixi, res ipsa aptis atq; electis verbis est explicanda. Deinde mutatoriis verbis utendum, si qua, quæ idem efficiant, reperiantur: reperiuntur enim permulta. Demum, ubi propria deficient, translatitiis erit utendum, si modo verecunda sit translatio. Ea quoq; ubi deerunt, si per activa dixisti, ad passiva revertendum erit: quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex activis constabant. Postea verba, si licebit, aut in nomina verbalia, aut in participia commutabimus. Postremò, ubi modò adverbia in nomina, modò nomina in alias atque alias partes commutaverimus, per contrarium dicemus: aut affirmativam orationem in negativam commutabimus,

bimus, aut retrorsum, aut certè, quod pronunciativè dictum, per interrogationem efferemus. Nunc exempli causâ hanc sententiam sumamus: Literæ tuæ magnopere me delectarunt.

Literæ.

Epistola, Epistolium, scripta, schedæ, literulæ.

Magnopere.

Mirum in modum, miris modis, majorem in modum, mirandum in modum, supra modum, plurimum, non mediocriter, summopere, maximopere.

Me.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum, Christianum.

Delectarunt.

Voluptate affecerunt, recreaverunt, exhilararunt, voluptati fuerunt, oblectarunt, voluptate perfuderunt, mellitissimæ fuerunt, jucundissimæ, &c.

Habes materiam: tuum erit componere. A. *Experiamur igitur. Faciamus periculum.* C. *Tuæ literæ me magnopere delectarunt. Tua epistola mirificè nos exhilaravit.* A. *Verte activum in passivum, alia erit facies.* C. *Dici non possit, quam tuis sim scriptis exhilaratus.* A. *Item per alia verba idem efficientia.* C. *Tuis ex literis incredibilem capi voluptatem. Ex epistola celsitudinis tuæ plurimum voluptatis accepi. Non mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta, quantus eram, perfuderunt. Hic non ita li-*

ceret

ceret mutare activa in passiva, nisi in illo postremo. Perfusus gaudio, quod usitatè dicitur. Capiebatur à me voluptas. Allatum est gaudium, non perinde usitatè dixeris. A. *Per Officio.* C. *Singulari voluptate literæ tuæ me affecerunt.* A. *Muta in passivum.* C. *Tuis scriptis incredibili sum affectus voluptate. Non parum gaudiorum tuum nobis Epistolium peperit.* A. *Per Sum & nomina adjectiva.* C. *Tuæ mihi literæ multis modis jucundissimæ fuerunt. Fuit tua illa epistola sanè quàm gratissima.* A. *Per nomina substantiva.* C. *Ineffabili voluptati tua nobis epistola fuit. Incredibili jucunditati fuerunt tuæ literæ.* A. *Commuta in negationem.* C. *Tua scripta non mediocri lætitiæ fuêre. Nihil in vitâ tuis literis accidit jucundius.* A. *Quanquam hac ratione aliquoties jam usi sumus, quæ non est negligenter prætereunda. Nam quoties, Multum, plurimum, singulariter significare volumus, per contrarium verbum idem efficiemus: Ut, vehementer te amat Henricus: Haud vulgariter te amat. Multum me juvat vinum: haud parum juvat. Est vir singulari ingenio: Est vir ingenio non vulgari. Est homo doctrina admiranda: Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus: Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit: Non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, non ignobilis, non obscurus. Et id genus similia, quæ nunquam non usu veniunt. Sed admonuisse rem clarissimam, satis est. Nec te lateat bifariam nos hujus-*

hujusmodi orationum genere uti: Modestiæ causâ, præsertim si de nobis ipsis loquamur: Tum etiam amplificandi gratiâ. Nam, Non ingratum pro valde grato, Non vulgariter, pro singulariter, & rectè & venustè dicimus. Modestiæ causa: Ego meis literis nonnullam doctrinæ sum opinionem consecutus. Semper curavi, ut in literariâ gloriâ non postremas partes tenerem. De amplificatione superiora sunt exempla: nunc ad nostra revertamur. C. *Nihil tua epistola unquam evenit gratius. Nulla res majori unquam voluptati fuit, quàm tua scripta. Nulla unquam ex re tantundem cepi voluptatis, quantum ex tuis literis amantissimis.* A. *Quo modo singulæ orationes superiores poterunt variari per interrogationem?* C. *Quid tuis literis in vitâ jucundius esse potuit? Quid epistolâ illa tua nobis evenit dulcius? Quid ita oblectavit unquam, ut proximæ tuæ literæ?* A. *Hoc modo rursum singulas ferè orationes variare licebit.* C. *Quid deinde fiet?* A. *Jam paulo liberius totam orationem vertamus, & unam dictionem pluribus verbis circumloquamur.* C. *Dic exempli causa.* A. *Quod modo per nomen* incredibile, *modò per adverbium* incredibiliter *dictum erat, unam dictionem aliquot verbis commutabimus: Literis consequi nequeam, quantum tuis literis sim delectatus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ jucunditati tua mihi scripta fuerint. Explicare prorsus nequeo quàm sim tuis literis gavisus. Et item in infinitum. Rursum alio pacto. Nam*

hactenus

hactenus & per negationem & per interrogationem, postremo per infinitas orationes variavimus. Nunc per subjunctivas sive conditionales variabimus, hoc modo: Moriar, si unquam quicquam fuit tuis literis aut optatius, aut dulcius. Peream si ulla res majori voluptati fuit, quam tuæ literæ. Ita me Deus amet, ut nihil in vita tuis literis accidit jucundius. Et item alia multa in hunc modum excogitare licebit. C. *Quid deinde?* A. *Nunc ad translationes, similitudines, & exempla fugiendum est. Translatio est in his. Accepi literas tuas, quæ mellitæ fuerunt. Nihil nisi meræ delitiæ tua mihi scripta videntur. Mera voluptas sunt tuæ literæ. Et hujusmodi plurima. Sed cavendum, ne obsoletis, aut durioribus translationibus utamur, quale est illud* (a)

Juppiter hibernas cana nive conspuit Alpes.

Et quale est illud, Cœna tuorum scriptorum me suavissimis epulis refecit.

(a) Apud Furium, de quo Gell. lib. 15. cap. 11.

Comparatio à simili.

Tua scripta omni vel ambrosiâ vel nectare suaviora fuêre. Literæ tuæ quovis melle mihi fuêre dulciores. Epistola humanitatis tuæ, & (a) siliquam omnem & mel Atticum, & saccarum omne, nectar, ambrosiámque deorum longè superavit. Hic quicquid dulcedine nobilitatum est, in medium adduci potest.

(a) Siliquæ fructus prædulcis, sed malus stomacho. Arbor Græcis Comatos, Latinis arbutus vocatur, fructus non

non absimilis quantitate mespilo, sed rubicundus est.

Ab exemplo.

Nunquam adducar, ut credam, Hero Leandri sui literas aut majori voluptate, aut pluribus osculis accepisse, quàm tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionem eversâ Carthagine, aut Paulum Æmilium, capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quàm ego simul ac suavissima tua scripta tuus mihi tabellarius reddidit. Hujusmodi tum ex fabulis, tum ex historiis infinita possunt inveniri. E Physica vero sumuntur rerum similitudines, quarum quam plurimarum naturas memoriter tenere necesse est. Nunc si libet, in alia sententia tentemus.

Nunquam dum vivam tui ero immemor.

Semper dum vivam tui meminero. Quo ad vivam, nunquam me tui capiet oblivio. Prius vivere desinam, quam tui memini.

Per comparationem.

Si umbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit oblivisci. Tui memoriam ne Lethæus quidem (a) amnis poterit abolere.

(a) Quem Poetæ interpretantur omnium oblivionum fontem.

Præterea per ἀδύνατον, id est, quod fieri nequit, aut more poetico per contraria.

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit. Ante leves ergò, &c.

quæ

quæ non est multi negotii excogitare. Verùm, ne immodici videamur, his in præsentia contentissimus. Alias, si voles, copiosius hac de re colloquemur. C. *Ego te, Augustine, jam planè exhaustum putabam. Sed tu præter expectationem novum thesaurum indicasti, quem si pergas explicare, nox ante occupaverit, quam tibi eadem de re desint verba.* A. *Si ego hoc mediocri & doctrina ingenio præsto, quantum Ciceronem ipsum valuisse credis, qui cum* (a) *Roscio histrione certasse legitur?* Sed sol nos relinquit. Humescit cœlum: præstat imitari aviculas, tectoq; ac lecto nos condere. Proinde vale, mi Christiane suavissime, in crastinum. C. *Tu itidem bene valeas, Augustine omnium doctissime.*

p. 121. Colloq. Helv. p. 175.

(a) Lege Macrob. lib. 3. Satur. cap. 14.

CONVIVIVM RELIGIOSVM.

Colloq. Helv. p. 498.

(a) EVSEBIVS. (b) TIMOTHEVS. (c) THEOPHILVS. (d) CHRYSOGLOTTVS. (e) VRANIVS.

(a) Id est, pius. (b) id est, charus Deo, vel charum habens Deum. (c) id est, amans Dei. (d) id est, auream habens linguam. (e) id est, cœlestis.

E. *Quum omnia nunc vernent ac rideant in agris, demiror esse, qui fumosis urbibus delectentur.* T. *Non omnes capiuntur adspectu florum, aut pratorum vernantium, aut fontium amniumve: aut si capiuntur,*

capiuntur, est aliud quod magis juvet. ita voluptas voluptate, veluti clavus clavo pellitur. E. Tu mihi fortasse fœneratores narras, aut his similimos negotiatores avaros. T. Istos quidem, sed non solos, ô bone: imò cum his innumeros alios, usque ad ipsos sacerdotes ac monachos, qui ferè quæstus gratiâ malunt in urbibus, iisque frequentissimis versari, dogma sequuti, non Pythagoricum, aut Platonicum, sed cæci cujusdam mendici, cui dulce erat premi turbis hominum, quod diceret illic esse quæstum, ubi esset populus. E. Valeant cæci cum suo quæstu. Nos philosophi sumus. T. Et Socrates philosophus urbes præferebat agris, quod esset discendi cupidus, & urbes haberet unde disceret: in agris esse quidem arbores & hortos, fontes & amnes, qui pascerent oculos, cæterum nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent. E. Est nonnihil, quod dicit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquam meâ sententiâ, non est muta rerum natura, sed undiquaque loquax est, multáque docet contemplantem, si nacta fuerit hominem attentum & docilem. Quid aliud clamitat illa tam amœna naturæ vernantis facies, quam opificis DEI sapientiam bonitati parem? Sed Socrates in eo secessu quàm multa docet Phædrum suum, ac vicissim ab eo discit? T. Si tales adessent aliquot, nihil esse possit amœnius rusticatione. E. Libet igitur hujus rei periculum facere? Est mihi prædiolum suburbanum non amplum, sed nitidè cultum: eò vos in crastinum diem ad prandium voco.

T. *Plures sumus. Exederemus totum prædium tuum.* E. *Imò totum convivium adponetur herbaceum, ex dapibus, ut inquit* (a) *Flaccus, inemptis apparatum. Vinum ipse locus suppeditat: pepones, melones, ficos, pira, mala, nuces, ipsæ pene arbores porrigunt: quemadmodum sit in Insulis Fortunatis, si* (b) *Luciano credimus. Accedet fortassis è* (c) *corte gallina.* T. *Agè, non recusamus.* E. *At suam quisque umbram secum adducat, quam volet. Ita, cùm sitis quatuor, æquabimus numerum Musarum.* Tim. *Fiet.* E. *Unum illud vos præmonitos volo, sibi quisque condimentum suum adferet. Ego cibos duntaxat adponam.* Tim. *Quod condimentum narras, piper an saccarum?* E. *Imò aliud utilius, sed suavius.* T. *Quodnam?* E. *Famem. Eam dabit hodie cœna tenuis. cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quoque commodi rusculo meo debebitur. Verùm ad quam horam libet prandere?* T. *Ad decimam, priusquam invalescat æstus solis.* E. *Curabitur.* P. *Here adsunt convivæ proforibus.* E. *Bonæ fidei est, quod venistis: sed bis gratum est, quòd venistis maturè una cum umbris vestris longè gratissimis. Sunt enim quidam inciviliter civiles, qui* (d) *convivatorem morâ suâ torquent.* T. *Eò maturius venimus, ut esset otium lustrandi visendiq; regiam istam tuam, quam audimus undiq; miris delitiis variam, nusquam non testari domini sui ingenium.* E. *Regiam spectabitis tali dignam rege. Mihi certè nidulus est, quavis regiâ gratior. Et, si regnat, qui libere vivit ex animi*

animi sui sententiâ, hic planè regno. Sed præstat, opinor, interim dum culinæ præfecta parat holusculum, & adhuc moderatus est solis calor, visere hortos nostros. T. Est alius præter hunc? Nam hic sanè mirè cultus, blandissimo aspectu statim ingredientes salutat, & comiter excipit. E. Hinc igitur decerpat sibi quisq; sioscules ac frondes aliquot, ne quid offendat domus pedor. Non idem odor æquè gratus omnibus. Quare sibi quisque deligat. Ne parcite. Nam quicquid hic nascitur, penè publicum esse patior. Neq; enim unquam clauditur ostium hujus vestibuli, nisi noctu. T. En tibi in ostio Petrus. E. Hunc ego malo janitorem, quàm Mercurios, aliaq; portenta, quæ quidam pingunt in foribus suis. T. Istud homine Christiano dignius est. E. Nec mutum habeo janitorem: duabus linguis alloquitur ingredientem. T. Quid loquitur? E. Quin ipse legis? T. Intervallum aliquantò longius est, quam ut prospectus oculorum adsequatur. E. En tibi perspicillum, quod te vel Lynceum reddet. T. Latina video. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. capite decimonono. E. Nunc lege Græca. Tim. Græca video quidem, at illa non vident me: quare (e) lampadem hanc trado Theophilo, qui nunquam non cantillat Græca. (f) μετανοήσατε, καὶ ἐπιστρέψατε, &c. πρόξεων τῶ τελτω. (g) E. An vobis videtur incomis janitor, qui statim monet, ut avertamur à vitiis, & convertamus nos ad studium pietatis? Deinde vitam non contingere ex operibus Mosaicis, sed per fidem evangeli-

cam. Postremò, servandis evangelicis præceptis iter esse ad immortalem vitam. T. Et ecce mox ad dextram ingressus ostendit sacellum perquàm elegans. In altari IESVS CHRISTVS suspiciens in cœlum ad Patrem & Spiritum sanctum illinc prospicientes, atque eódem dextram porrigens, lævâ velut invitat & allectat prætereuntem. E. Nec is elinguis nos excipit: vides Latina; ego sum via, veritas & vita: Græcè Ἐγώ εἰμι τὸ α, καὶ τὸ ω (h). T. Læto nimirum omine nos salutavit Dominus Iesus. E. Sed ne videamur inciviles, fortassis par est, ut illum resalutemus, precemurque, ut quando ex nobis ipsi nihil possumus, ille sua inæstimabili bonitate non sinat nos unquam aberrare à via salutis; sed abjectis umbris Iudaicis, & hujus mundi præstigiis per veritatem evangelicam perducat nos ad vitam æternam, hoc est, ipse per se trahat nos ad se. T. Æquissimum est, & ipsa loci species invitat ad precandum. E. Multos hospites allicit horti amœnitas, sed ita ferè apud omnes invaluit consuetudo, ut nemo prætereat Iesum insalutatum. Hunc ego vice fœdissimi (i Priapi custodem posui, non solum horti mei, sed omnium quæ possideo, denique corporis pariter atque animi. Adest, ut videtis, fonticulus saluberrimis aquis non inamœnè scatens, utcunque repræsentans unicum illum fontem, qui cœlesti latice refocillat omnes laborantes & oneratos, & ad quem anhelat anima delassata malis hujus mundi, non aliter quàm juxta Psalmistam, cervus æstuans siti, gustatis serpentium

tium carnibus. Hunc gratis haurire licet, quisquis sitit. Nonnulli & religionis gratia sese aspergunt. Quidam etiam bibunt, non sitis sed religionis causa. Video vos invitos avelli ab hoc loco. Sed interim hora monet, ut visamus hunc cultiorem hortum, quem in quadrum cingunt muri regiæ meæ. Si quid erit visendum intus, a prandio spectabitis, cùm solis æstus nos, veluti cochleas, domi cohibebit horis aliquot. T. Papæ! (k) Epicureos hortos mihi videre videor. E. Totus hic locus voluptati dicatus est, sed honestæ, pascendis oculis, recreandis naribus, reficiendis animis. Nihil hîc nascitur præter odoratas herbas, nec eas quaslibet, sed eximias duntaxat. Vnumquodque genus suas habet areas. T. Nec herbæ mutæ sunt apud te, quantum video. E. Probè dicis: alii domos habent opulentas, ego loquacissimam habeo, ne quando solus videri possim: id magis etiam dices, ubi totã videris. Vt herbæ sũt velut in turmas digestæ, ita singulæ turmæ singula habent vexilla cũ inscriptione. Velut (l) Amaracus hic, Abstine, inqt, sus, non tibi spiro. Quũ enim sit suavissimæ fragrantiæ, sues tamen hoc odore vehementer offenduntur. Itidẽ singula genera habent suos titulos, aliquid indicantes, q̃ ad peculiarem ejus herbæ vim pertinet. T. Nihil adhuc vidi hoc foticulo festivius, qui medius velut arridet herbis omnibus, ac refrigeriũ illis pollicetur adversus æstũ. Sed alveolus hic, qui tanta gratia totam aquam ostendit oculis hominũ, hinc atq; hinc æquis spatiis hortum dirimens, in quo sese utrinq; herbæ, velut in speculo, cõtemplari gestiunt,

num marmoreus est? E. *Bona verba, unde huc marmor? è contusis cæmentis, factitium marmor est; coloris candor additus est (m) incrustamento.* T. *Quò tandem sese condit tam amabilis rivus?* E. *Vide incivilitatem humanam. Posteaquam hic satis exhilaravit oculos nostros, proluit culinam, ejusq; sordes secum defert in cloacam.* T. *Crudele, ita me Deus benè amet.* E. *Crudele, ni & in hunc usum paraſſet æterni numinis benignitas. Tum crudeles sumus, cùm fontem divinæ scripturæ longè hoc amœniorem, recreandis simul ac purgandis animis nostris datum, conspurcamus vitiis nostris pravisq; cupiditatibus, abutentes tam ineffabili dono Dei. Nam hac aqua non abutimur, si partimur in varios usus, in quos illam dedit is, qui nihil non affatim suppeditat usibus humanis.* T. *Verissima sunt quæ narras. sed cur tibi virent etiam horti septa manu facta?* E. *Ne quid hic non vireat. Quidam rubra malunt, quòd is color additus virentibus gratiam adjungat. Hic mihi magis arridet, ut est sua cuique sententia etiam in hortis.* T. *Sed horti per se amœnissimi jucunditatem propemodum obscurant ambulacra tria.* E. *In his vel studeo, vel obambulo, confabulans, vel cibum capio, si videtur.* T. *Columnæ paribus intervallis sustinentes ædificium innitens, miraq; colorum varietate blandientes, suntne marmoreæ?* E. *Ex eodem marmore, quo factus est hic alveus.* T. *Lepida profectò impostura: Vel dejeraſſem esse marmor.* E. *Quare cave, ne vel credas, vel dejeres quicquam temerè.*

Non

Non rarò fallit ſpecies. Quod opibus deeſt, arte ſarcimus. T. *Non tibi ſat erat hortus tam nitidus, tam excultus, niſi pingeres inſuper alios hortos?* E. *Non capiebat omnes herbarum ſpecies unus hortus. Præterea bis delectamur, cum pictum florem cum vivo decertantem videmus, & in altero miramur artificium naturæ, in altero pictoris ingenium; in utroq; benignitatem Dei, qui in uſum noſtrum largitur hæc omnia, nulla in re non mirabilis pariter & amabilis. Poſtremò non ſemper viret hortus, non ſemper vivunt floſculi. Hic hortus etiam media bruma viret & abblanditur.* T. *At non ſpirat.* E. *Sed rurſum non eget cultura.* T. *Tantum paſcit oculos.* E. *Verum, ſed hoc perpetuò facit.* T. *Habet ſuum & pictura ſenium.* E. *Habet: nobis tamen eſt vivacior, & illi ferè gratiam addit ætas, quam nobis detrahit.* T. *Vtinam hic vanus eſſes.* E. *In hoc ambulacro, quod ſpectat Occidentem, ſole fruor oriente: in hoc, quod ſpectat Orientem, apricor interdum: in hoc, quod ſpectat Auſtrum, ſed patet ad Septentrionem, recreor ab æſtu ſolis. Obambulabimus, ſi videtur, quò ſpectetis propius. En vernat ipſum etiam ſolum. Habent enim & teſſellæ colorum gratiam, & floſculis pictis adblandiuntur. Hoc nemus, quod videtis hoc toto pariete depictum, exhibet mihi varium ſpectaculum. Primùm, quot videtis arbores, tot videtis arborum genera, ſingulis ad nativam imaginem non peſſimè expreſſis. Quot cernitis aves, tot videtis avium ſpecies, præcipuè ſi*

quæ sint rariores, & insigni re quapiã nobiles. Nam anseres, gallinas, & anates quid attinet pingere? Infernè sunt quadrupedum species, aut earum avium, quæ vivunt humi, more quadrupedum. T. Mira varietas, nec quicquam est ociosum. Nihil est, quod non aut agat, aut loquatur aliquid. Quid nobis narrat noctua, penè latitans sub frondibus? E. Attice loquitur Attica. (n) σωφρόνει, inquit, ὁ πᾶσιν ἵππος μι. jubet nos consultò agere, quod non omnibus feliciter cedat inconsulta temeritas. Hic aquila decerpit leporem, frustra obtestante scarabeo. Adstat (o) scarabeo (p) trochilus, & ipse capitalis inimicus aquilæ. T. Hæc hirundo quid gerit ore? E. Herbam (q) chelidoniam. Nam hac restituit pullis exoculatis visum. Agnoscitis herbæ figuram. T. Quodnam hoc novum lacertæ genus? E. Non lacerta, sed chamæleon. T. Est hic ille longo nomine celebratus chamæleon? belluam esse credidi leone majorem, quem vincit etiam vocabulo. E. Hic ille est semper hians, & semper jejunus (r) chamæleon. hæc arbor est capprificus, apud quam solam sævit, alias innoxius. Nam venenum habet, ne contemnas hiantem bestiolam. T. At non mutat colorem. E. Verum, quia non mutat locum: ubi mutarit locum, videbis & colorem alium. T. Quid hic sibi vult tibicen? E. Nónne vides in proximo camelum saltantem? T. Video novum spectaculum: camelus cinœdus (s) est simius choraules. Sed his singulatim ac per otium contemplandis aliás dabitur vel totum triduum; nunc satis erit, veluti per transennam vidisse. In

hac

hac regione depictum est ad nativam effigiem quicquid est insignium herbarum, quodque jure miremini, hîc venena quantumvis præsentanea, tutò non solùm spectantur, verùm etiam contrectantur. T. En scorpius, rarum in hisce regionibus malum, sed frequens Italiæ. Quanquam color mihi parum respondere videtur in pictura. E. Qui sic? T. Quia magis nigrent apud Italos: iste pallidior est. E. Annon agnoscis herbam, in cujus folium incidit? T. Non satis. E. Nec mirum. Nec enim nascitur in hortis nostratibus. (t) Aconitum est. Ei veneno tanta vis est, ut scorpius ad hujus contactum stupescat pallescátque, seseq; vinci patiatur; sed offensus veneno, a veneno petat remedium. Videtis in propinquo utrumque genus hellebori. Si scorpius potuerit sese explicare à folio aconiti, & album helleborum contingere, recipiet pristinum vigorem, diversi veneni contactu solvente torporem. T. Actum est igitur de isto scorpio. Nam is se nunquam explicabit ab aconiti folio. Etiam loquuntur hîc scorpii? E. Et quidem Græcè. T. Quid ait? E. ἔνεστι θεὸς τὸν ἀλιτρὸν. Hîc præter herbas videtis omne serpentium genus. En vobis basiliscus, oculis igneis, ipsis et nocentissimis venenis formidabilis. T. Et is loqtur aliquid. E. Oderint, inquit, dum metuant. T. Planè regia vox. E. Imò nihil minus regiũ, sed tyrannica vox est. Hîc pugnat lacerta cum vipera. Hîc dipsas insidiatur, tecta putamine ovi Struthiocameli. Hîc videtis politiam totam formicarum, ad quarũ imitationem nos vocat Hebræus ille sapiens, atq; etiam Flaccus noster.

Hic videtis formicas Indicas, quæ aurum egerunt ac servant. T. *Deum immortalem, cui possit obrepere tædium in hoc theatro versanti?* E. *Alias, inquam, licebit vel ad satietatem usq; spectare. Nunc procul tantùm spectate tertium parietem. Is habet lacus, amnes, & maria, & in his quicquid est insignium piscium. Hic est Nilus, in quo Delphinum illum videtis, hominum amatorem, cum Crocodilo depugnantem, quo non alius hostis homini capitalior. In ripis ac littoribus videtis ea, quæ sunt ἀμφίβια, vt cancri, phocæ, fiber. Hic est polypus captator* (x) *captus a concha.* T. *Quid loquitur?* (y) ἀρῶν αἰρόμαι. *Mirè pictor fecit aquam pellucidam.* E. *Aut hoc erat illi faciendum, aut nobis opus erat aliis oculis. In proximo est alter polypus summa æquoris aqua velificans, liburnicarum* (z) *gaudens imagine. Videtis torpedinẽ prostratam in harena concolori, quam hic tutò vel manu contigeris. Sed alio properandum est. Hæc pascunt oculos, at ventrem non explent: properemus ad reliqua.* T. *Etiamne amplius?* E. *Mox videbitis, quid nobis præbeat posticum. Hic videtis hortum satis spacio sum, in duas divisum partes: in altera est, quicquid est herbarum esculentarũ, in qua regnant vxor & famula mea: in altera quicquid est medicarum præsertim insignium. Ad lævam est pratum liberum, præter virorem graminum nihil habens: septum est sepe perpetua & spinis implexis sed vivis contexta. Illic nonnunquam vel ambulo, vel lusito cum sodalibus. Ad*

dexteram

dexteram est pomarium, in quo, cùm erit otium, videbitis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim doceo nostro cœlo assuescere. T. Papæ! næ tu vincis vel ipsũm Alcinoum. E. Hic aviarium est, in confinio adhærens ambulacro superiori, quod videbitis à prandio. videbitis formas varias, variasq; linguas audietis. Nec minus varia sunt ingenia. Inter quasdam cognatio est & mutuus amor, inter nonnullas simultas irreconciliabilis. Sunt autem omnes adeò cicures & mansuetæ, ut, si quando cœno illic aperta fenestra, devolent in mẽsam, cibumq; vel è manibus capiant. Si quando ingredior in ponticulo pensili, quem videtis, fabulans cum amico, assident, auscultant, insident humeris aut brachiis. adeò dedidicerũt timere, quia sentiunt neminem lædere. In extremo pomario, apum (aa) regnum est. Nec illud sanè spectaculum inamœnum. In præsentia non sinam vos amplius contemplari, quò sit quod vos posthac revocet tanquam ad novum spectaculum. A prandio cætera vobis ostendam.

P. Vxor & famulæ clamitant corrumpi prandium. E. Iubeto, illas esse æquanimes: nos jam accurremus. Lavemus amici, ut puris manibus & animis ad mensam accedamus. Etenim si ethnicis quoq; religiosa erat mensa, quanto magis oportet esse sacram Christianis, quibus habet imaginem quandam illius sacrosancti convivii, quod dominus Jesus postremum egit cum suis discipulis. Et ob id receptum est, abluere manus, ut si quid odii, livoris

livoris aut turpitudinis alicui forsitan resideat in animo, id dejiciat, antequam accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor & corpori salubriores esse cibos, si sumantur animo defecato. T. *Istud verissimum esse credimus.* E. *Quoniam hoc exemplum nobis ab ipso Christo traditũ est, ut ab* (bb) *hymno cibum auspicaremur (nam id arbitror, quod frequenter in Evangelio legimus illum benedixisse, aut gratias egisse patri, priusquam cibum frangeret) & rursum hymno finiremus; si videtur, recitabo vobis hymnum, quem divus Chrysostomus miris laudibus prædicat in homilia quadam, dignatus etiam interpretari.* T. *Imo, ut velis, rogamus.* E. *Benedictus Deus, qui me pascis à juventute mea, qui cibum præbes omni carni, reple lætitia & gaudio corda nostra, ut affatim, quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium cum sancto spiritu in omne ævũ.* T. *Amen.*

E. *Nunc accumbite, ac suam quisq; umbram sibi adjungat. Caniciei tuæ debetur primus locus, Timothee.* T. *Verbo dignitatem universam meam complexus es. Hoc solo nomine sum cæteris antepondus.* E. *Cæterarum dotium æstimator est Deus: nos ea sequimur quæ videmus.* (cc) *Sophroni, adhære corpori tuo. Tu Theophile & Eulali, dextrum mensæ latus occupate. Chrysoglottus & Theodidactus occupabunt lævum. Vranius & Nephalius, quod superest. Ego hunc angulum tuebor.* T. *Non patiemur: hospiti debetur primus locus.* E. *Tota domus hæc*

mus hæc mea est, simulq; vestra: quod si mihi permittitur jus in regno meo, is locus debetur hospiti, quemcunque sibi delegerit. Nunc utinam Christus ille exhilarator omnium, & sine quo nihil verè suave est, dignetur huic nostro interesse convivio, suaque præsentia exhilarare animos nostros. T. *Spero dignabitur. Sed ubi sedebit, jam omnibus locis occupatis?* Eus. *Vtinam ille se misceat omnibus & patinis & poculis, ut nihil illum non sapiat, sed potissimum illabatur animis nostris. Id quo magis dignetur, & nos tanti hospitis reddamur capaciores, si molestum non est, auscultabitis paululum è sacra lectione, sed ita, ut interim nihilo secius admoveatis manus ovis & lactucis, si libet.* T. *Id faciemus libenter: sed auscultabimus libentius.* Eus. *Is mos mihi multis nominibus videtur amplectendus: quod hac ratione vitentur inanes fabulæ, præbeaturq; materia confabulationis frugiferæ. Multum enim ab illis dissentio, qui putant non esse lætum convivium, nisi, quod scateat ineptis ac lascivis fabulis, quod perstrepat obscœnis cantiunculis. Vera hilaritas nascitur è pura sinceraque conscientia: atque hi sermones verè læti sunt, quos semper & dixisse juvet, & audisse, & semper delectet meminisse: non quorum mox pudeat, quique conscientiam pœnitudine discrucient.* T. *Vtinam ista tam perpenderemus omnes, quam sunt vera.* Euseb. *Hæc præter quam quod certam & insignem habent utilitatem, etiam jucunda fiunt, ubi vel mensem unum assueveris.*

Tim.

T. *Nihil igitur consultius, quam optimis assuescere.* E. *Recita puer distincte & clarè.*

prov. 21. 1. 2. 3. P. *Sicut divisiones aquarũ, ita cor regis in manu Domini; quocunq; voluerit, inclinabit illud. Omnis via viri recta sibi videtur; appendit autẽ corda Dominus. Facere misericordiam & judicium, magis placet Domino, quàm victimæ.* E. *Sit hoc satis. Præstat enim pauca avidè discere, quàm multa cum tædio devorare.* T. *Præstat sanè, sed non hic tantum. Plinius scripsit, Officia Ciceronis nunquam de manibus deponenda: & sunt sanè digna, quæ cùm ab omnibus, tum præcipuè ab iis, qui destinati sunt administrandæ Reip. ad verbum ediscantur, mea quidem sententia: sed hunc proverbiorum libellum semper dignum arbitratus sum, qui semper à nobis circũferatur.* E. *Quoniã sciebam prandium fore dilutum & insipidum, idcircò hanc procuravi nobis condituram.* T. *Nihil hîc est non lautissimum, & tamen, si nihil esset præter (d) betas, absq; pipere, vino & aceto, talis lectio condiret omnia.* E. *Mihi tamen plus adderet gratiæ, si, quod audio, penitus intelligam. Atq; utinam esset aliquis verè Theologus, qui ista non intelligeret solùm, verùm etiam saperet. Nobis idiotis nescio an fas sit hisce de rebus confabulari?* T. *Ego verò puto vel nautis esse fas, modo absit definiendi temeritas. Fortasse & Christus, qui pollicitus est sese adfuturum, ubicunq; duo convenirent de ipso tractantes, aspirabit nobis tam multis.* E. *Quid si igitur partiamur inter nos novem, tres*

sententias

sententias? C. Non displicet, modò à convivatore incipiat ordo. E. Non detrectarem provinciam. sed vereor, nè hîc vos pejus accipiam, quàm cibis accipio. Agè, necubi videar difficilis convivator, omissis variis coniecturis, quæ in hunc locum congerunt interpretes, mihi videtur hic esse sensus moralis. Alios mortales posse flecti monitis, increpationibus, legibus ac minis: Regis animum, quoniam neminem metuit, si repugnes, magis irritari. Et idcircò, quoties principes vehementer contendunt aliquid, suo animo relinquendos; non quòd semper velint optima, sed quod illorum stultitia malitiave Deus nonnunquam abutatur, ad emendandos eos, qui deliquerunt: quemadmodum vetuit resisti Nabuchodonosori, quòd illius ministerio decrevisset cãstigare populum suum. Fortassis illud est, quod ait Iob: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Atq; huc fortasse pertinet, quod ait David, deplorans peccatum suum: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Non quod reges non peccent ingenti populi malo, sed quòd non habeant hominem, cujus authoritate cõdemnentur, cum Dei judicium nemo, quamlibet potens, possit effugere. T. Non displicet interpretatio. Sed quid sibi volunt divisiones aquarum? E. Adhibita est similitudo, qua rem explanet. Violenta res & impotens est (ee) regis animus concitatus, nec huc aut illuc duci potest, sed impetu suo fertur veluti (ff) œstro divino percitus: quemadmodum mare sese spargit in terras, ac subinde cursum

c. 34. 30.

sum mutat, contemptis agris, ædificiis, & quicquid obstat; alicubi sese condit sub terras; cujus impetum si coneris inhibere aut alio deflectere, nihil agas. Idem accidit in magnis fluminibus, velut fabulæ quoq; narrant (gg) Acheloo. Minus autem mali capitur, si commodè obsecundes, quam si violenter repugnes. T. *Nihil igitur remedii adversus malorum regum impotentiam?* Eus. *Fortasse primum fuerit, leonem in civitatem non recipere: proximum, sic authoritate senatus, magistratuum, ac civium moderari potentiam illius, ut non facile erumpat in tyrannidem: Sed omnium potissimum, dum adhuc puer est, & se principem esse nescit, sanctis præceptis formare pectus illius. Prosunt & preces ac monita, sed blanda ac tempestiva. Extrema anchora (hh) est, votis fatigare Deum, ut regis animum inclinet ad ea, quæ Christiano rege digna sunt.* Th. *Quid ais, idiota? Si Baccalaureus essem Theologiæ, minimè puderet istius interpretationis.* Eus. *An vera sit, nescio. mihi satis est, quod sensus non sit impius, aut hæreticus. Morem gessi voluntati vestræ. Nunc, ut decet in conviviis, vicissim audire cupio.* Tim. *Si quid defertis his quoque canis, mihi videtur hoc dictum & ad abstrusiorem sententiam accommodari posse.* Eus. *Credo & audire cupio.* T. *Rex intelligi potest vir perfectus, qui domitis carnis affectibus solo divini spiritus impetu ducitur. Porrò, qui sit hujusmodi, hunc non convenit fortassis humanis legibus in ordinem cogere, sed suo Domino, cujus spiritu agitur, relinquendus est:*

nec

nec iudicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas imperfectorum ut cunq; provehitur ad veram pietatem, sed si quid secus facit, dicendum est, cum Paulo; Dominus assumpsit illum: Domino suo stat aut cadit. Item illud; Spiritualis homo omnia dijudicat, ipse verò à nemine iudicatur. Talibus igitur nemo præscribat; sed Dominus, qui præscripsit terminos mari & amnibus, habet cor sui regis in manu sua, & quocunque voluerit, inflectit illud. Quid enim opus est præscribere illi, qui suapte sponte præstat meliora, quàm exigunt humanæ leges? aut, quæ temeritas sit, illum hominem constitutionibus adstringere, quem certis argumentis constat divini spiritus afflatu gubernari? Eus. Tu verò Timothee non solùm canos habes capillos, sed pectus etiam habes eruditionis canicie venerabile. Atq; utinam inter Christianos, quos omnes oportebat esse reges, huiusmodi plures reperirentur hoc digni cognomine. Sed iam satis est (ii) ovatum, & holeribus prælusum. Jubete hæc tolli, & apponi, quod superest. Ti. Nobis affatim satisfactum est hac oblatione: etiamsi nihil præterea successerit vel supplicationis vel triumphi. Eus. Verum, quoniam aspirante Christo, sicut opinor, successit res in prima sententia, velim ut umbra tua nobis enarret alteram, quæ mihi videtur aliquantò obscurior. So. Si boni voletis consulere quicquid dixero, sedulò dicam, quod mihi videtur. Alioqui quî fieri potest, ut rebus obscuris lucem adferat

 umbra?

umbra? Eus. *Equidem recipio futurum omnium nomine: & tales umbræ lucem ſuam habent aptiorem oculis noſtris.* So. *Idem docere videtur, quod Paulus: Diverſis vitæ rationibus contenditur ad pietatem: alii placet ſacerdotium, alii cœlibatus, alii coniugium, alii* (kk) *ſeceſſus, alii reſpub. pro varietate corporum & ingeniorum. Rurſus alius veſcitur quibuslibet, alius diſtinguit inter cibum & cibum, alius iudicat inter diem & diem, alius iudicat omnem diem. In his Paulus vult unumquemq; ſuo frui affectu, citra contumeliam alterius. Nec oportet quemquam ex huiusmodi iudicare, ſed iudicium deferre Deo, qui expendit corda. Fit enim ſæpenumerò, ut veſcens gratior ſit Deo, quàm non veſcens, & diem feſtum violans acceptior ſit Deo, quàm is, qui videtur obſervare, & matrimonium huius gratius ſit oculis Dei, quàm multorum cœlibatus. Dixi umbra.* Eus. *Vtinam mihi ſæpè contingat, cum talibus umbris colloqui. Rem, ni fallor, non acu, quod aiunt, ſed linguâ tetigiſti. Sed adeſt, qui cœlebs vixit, non de numero beatorum, qui ſe caſtrarunt propter regnum Dei: ſed hic caſtratus eſt vi, quò magis placeret ventri, donec & hunc & eſcas deſtruxerit Deus. Caput eſt ex corte noſtra. Elixis magis delector. Ius eſt non inelegans, quod in eo natat, lactuce ſunt ſelectiſſimæ. Sumat ſibi quisque quod gratum eſt animo. Sed, ne quid vos fallam, ſuccedit huic aſſi nonnihil, mox bellaria, deinde fabulæ cataſtrophe.* Tim. *Sed interim excludimus uxorem è*

convi-

convivio. Eus. *Vbi vos venietis comitati vestris; accumbet & mea. Nunc quid aliud esset, quàm* (ll) *muta persona: & illa suavius garrit mulier inter mulieres, & nos liberius philosophamur. Alioqui periculum sit, ne nobis accidat, quod accidit Socrati: cui cùm essent convivæ philosophi, quibus magis placebant huiusmodi fabulæ, quàm cibus, & in longum proferretur disputatio, Xantippe commota mensam subvertit.* Tim. *Nihil minus à tua metuendum arbitror. Est enim mulier moribus placidissimis.* Eus. *Mihi certè talis, ut commutare non cupiam, etiamsi liceat, atque hoc nomine mihi vel præcipuè videor fortunatus. Nec enim mihi placet eorum sententia, qui fortunatum putant, uxorem habuisse nunquam: magis arridet, quod ait sapiens Hebræus, ei bonam sortem obtigisse, cui obtigit uxor bona.* Tim. *Sæpe nostro vitio malæ sunt uxores, vel quia tales deligimus, vel quia tales reddimus, vel quia non, ut oportet, formamus & instituimus.* Eus. *Vera prædicas: sed interim expecto tertiæ sententiæ enarrationem, & iã mihi dicturire videtur* (mm) θεόπνευστος *Theophilus.* The. *Imò mihi, animus erat in patinis: dicam tamen, quando licet impunè.* Eus. *Etiam cum gratia licebit errare: vel sic præbebis occasionem inveniendi.* The. *Mihi videtur eadem sententia, quam protulit Dominus apud Oseam prophetam, cap. VI. Misericordiam volo, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta: Cuius vivus & efficax interpres est Dominus*

Jesus in Evangelio Matth. cap. IX. Cùm enim convivium agitaret in domo Levi, qui erat publicanus, isq; multos sui ordinis suiq; quæstus homines invitasset ad convivium; Pharisæi (qui tùmebant religione legis, quum ea præcepta negligerent, unde tota lex pendebat & prophetæ) quò discipulorum animos alienarent à Jesu, rogabant illos, quur Dominus admisceret se convivio peccatorum, à quorum consortio abstinebant Judæi, qui volebant haberi sanctiores, &, si quando contigisset cum eiumodi congredi, reversi domum abluebant corpus. Cumq; discipuli, rudes adhuc, non haberent quod responderent; Dominus & pro se, & pro discipulis respondit: Non est opus (inquit) medico valentibus, sed malè habentibus. Euntes autem discite, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Eus. Pulcrè tu quidem collatione locorum rem explicas, id quod in divinis literis præcipuum est, sed discere velim, quid appellet sacrificium, quid misericordiam. Nam quî consistit, ut aversetur sacrificia Deus, quæ sibi tot præceptis iusserat exhiberi? The. Quomodo Deus aversetur sacrificia, docet ipse apud Esa. cap. I. Sunt enim quædam præscripta Judæis in lege, quæ significant magis sanctimoniam, quàm præstant: quod genus sunt dies festi, sabbatismi, ieiunia, sacrificia. Et sunt, quæ semper præstanda sunt, quæ suapte naturâ bona sunt, non quia iussa. Judæos autem aversatur Deus, non quod observarent legis ritus, sed quòd his stultè tumi-

tè tumidi, negligerent ea, quæ Deus maxime vult præstari à nobis, ac madentes avaritiâ, superbiâ, rapinis, odio, livore, ceterisq; vitiis, existimabant, Deum ipsis multum debere, quòd diebus festis versarentur in templo, quòd immolarent victimas, quod abstinerent à cibis vetitis, quod illi nonnunquam ieiunarent: umbras amplectebantur, rem negligebant. Quod autem ait; Misericordiam volo, & non sacrificium; opinor ex idiomate sermonis Hebræi dictum, pro eo, quod erat, misericordiam volo potius, quàm sacrificium, quemadmodum illud interpretatur Salomon, cùm ait; Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quàm victimæ. Porrò omne officium, quod impenditur sublevando proximo, scriptura misericordiam vocat, & eleemosynam, quæ & ipsa nomen duxit à miserendo. Victimas appellari puto, quicquid pertinet ad cæremonias corporales, & aliquid habet adfine cum Iudaismo: quod genus sunt, delectus ciborum, vestitus præscriptus, ieiunium, sacrificium, preces veluti pensum absolutæ, quies diei festi. Hæc enim ut pro tempore non sunt omnino negligenda, ita Deo fiunt ingrata, si quis observationibus huiusmodi confisus, negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimoniæ etiam, colloquia vitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet charitas proximi. Obedientia est, quiescere diebus festis: sed impium sit, ob (nn) religionem diei sinere fratrem perire. Itaq; servare diem

re diem Dominicum, victima est, ut ita loquar: reconciliari fratri, misericordia est. Porrò iudicium, quanquam potest ad potentes referri, qui frequenter vi opprimunt imbecilles: tamen mihi videtur non absurdum, si respondeat illi, quod est apud Oseam: Et scientia Dei plus quàm holocausta. Non servat legem, qui non servat iuxta mentem Dei. Iudæi sublevabant asinum, in foveam collapsum sabbatis, & Christum calumniabantur, qui servaret totum hominem in sabbato. Hic erat præposterum iudicium, & aberat scientia Dei. Nesciebant enim, quod ista propter hominem essent instituta, non homo propter illa. Sed hæc impudenter dicere viderer, nisi vestro iussu dicerem. Malim ex aliis rectiora discere. Eus. Ista mihi videntur adeò dicta impudenter, ut existimem Dominum Iesum loqui per organum oris tui.

Sed interim, dum largiter pascimus animos nostros, ne negligantur collegæ. The. Quinam: Eus. Corpora nostra, nónne collegæ sunt animorum? Hoc enim malim, quàm instrumenta, vel domicilia, vel sepulchra. Tim. Hoc nimirum est affatim refici, ubi totus homo reficitur. Eus. Video vos segniter attingere. Quare, si videtur, iubebo proferri assa, ne pro lauto convivio longum præbeam. Videtis huius prandioli summam. Armus est ovillus, sed exquisitus: capus, & perdices quatuor. Has solas à mercatu sumpsi, reliqua suppeditat hoc prædiolum. Tim. Epicureum prandium video, ne dicam (oo) Sybariticum. Eus. Imò

vix

vix Carmeliticum. Sed quale quale est, boni consuletis. Animus certè purus est, si parum lautum est convivium. TIM. Adeò non est muta tua domus, ut non solùm parietes, sed & cyathus loquatur aliquid. EUS. Quid tibi loquitur? TIM. Nemo nisi à seipso leditur. EUS. Cyathus patrocinatur vino. Nam vulgus febrim, aut capitis gravedinem è potu contractam, imputare solet vino, quum ipsi sibi malum accersierint immodicè bibendo. SOP. Meus græcè loquitur (pp) ἐν οἴνῳ ἀλήθεια EUS. Admonet, non esse tutum sacerdotibus, aut regum famulis, indulgere vino, quòd virum ferè transferat in linguam, quicquid latebat in corde. SOPH. Apud Ægyptios olim nefas erat sacerdotibus bibere vinum, quum nondum illis mortales sua committerent arcana. EUS. Nunc licet quidem omnibus bibere vinum: an expediat, nescio.

Eulali, quid libelli profers è crumena? Perquam elegans videtur. Nam foris etiam totus aureus est. EUL. Sed idem intus plus quàm gemmeus est. Sunt epistolæ Paulinæ, quas, ut unicas delitias meas, semper mecum circumfero: quas ideò profero, quod ex occasione sermonis tui venit in mentem locus quidam, qui me nuper diu torsit, nec adhuc satis sibi facit animus. Is est in epistolæ prioris ad Corinthios cap VI. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem. Primùm si Stoicus credimus, nihil est utile, quod non idem honestum. Quomodo igitur Paulus distinguit id, quod licet,

ab eo, quod expedit? Certè scortari, aut inebriari non licet: quomodo igitur licent omnia? quod si Paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omniũ vult esse licentiam, nõ possum satis ex ipso loci tenore divinare, quodnam sit illud genus. Ex iis, quæ mox huic loco subiiciuntur, coniicere licet, eum loqui de ciborum delectu. Quidam enim abstinebant ab (qq) idolothytis, quidam à cibis per Mosen interdictis. Et de idolothytis agit cap. VIII. Rursus cap. X. velut explicans huius loci sententiam, ait: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant: Nemo, quod suum est, quærat, sed quod alterius: Omne quod in macello venit, manducate. Hoc, quod hîc subiicit Paulus, congruere videtur cum eo, quod suprà dixerat: Esca ventri, & venter escis; & hunc & has destruet Deus. Quod autem respexerit hîc etiam ad Judaicum ciborum delectum, indicat clausula decimi capitis: Sine offensione estote Judæis, & gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, nõ quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Nam quod ait, Gentibus pertinere videtur ad idolothytum: quòd ait, Judæis, referri videtur ad delectum ciborum: quòd ait, Ecclesiæ Dei pertinet ad infirmos ex utraq; gẽte collectos. Licebat igitur vesci quibuslibet cibis, & omnia mũda mundis. Verùm incidit casus, ut non expediat. Quòd omnia licebant, libertatis erat Evangelicæ: sed charitas ubiq; spectat, quid conducat ad salutem proximi: eoq; frequenter abstinet & à licitis, malens

obsc-

obsecundare commodo proximi, quàm suâ uti libertate. Sed hic mihi geminus obstrepit scrupulus: primùm, quòd in sermonis contextu nihil præcedat aut sequatur, quod cum hoc sensu cohæreat. Nam obiurgarat Corinthios, quòd essent seditiosi, quòd scortationibus, adulteriis, atq; etiam incestis impuri, quòd litigarent apud iudices impios. Cum his quî cohæret, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt? Et in his quæ sequuntur, redit ad causam impudicitiæ, quàm repetierat & ante, intermisso negocio litium. Corpus autem, inquit, non fornicationi: sed Domino, & Dominus corpori. Verum hunc quoq; scrupulum possum utcunq; discutere, quòd paulo superius in catalogo vitiorum meminisset & idololatriæ. Nolite errare, neq; fornicarii, neq; idolis servientes, neque adulteri. Porrò esus idolothytorum vergebat ad speciem idololatriæ. Et ideò mox subdit, Esca ventri, & venter escis: significans pro necessitate corporis, pro tempore, licere vesci quibuslibet, nisi aliud suaserit charitas proximi, sed impudicitiam semper & ubique detestandam esse. Quod vescimur, necessitatis est, quæ tolletur in resurrectione mortuorum. Quod libidinamur, malitiæ est. Sed alterum scrupulum non queo dissolvere, quomodo adhæc quadret illud: sed ego sub nullius redigar potestatem. Ait enim sibi potestatem esse omnium, sè tamen in nullius potestate fore. Si is dicitur esse in potestate aliena, qui, ne offendat, abstinet, idem cap. IX. de se prædicat. Quum liber essem ab omnibus, omnium me

servum feci, ut omnes lucrifacerem. Hoc, opinor, offensus scrupulo Sanctus Ambrosius putat hunc esse germanum Apostoli sensum, ut viam præstruat illi, quod ait cap. IX sibi quoq; potestatem esse faciendi, quod cæteri faciebant, vel Apostoli, vel pseudoapostoli, sumendi victum ab his, quibus prædicabat Evangelium Sed ab hoc, tametsi licebat, temperabat, quòd sic expediret Corinthiis, quos de tam multis, & insignibus vitiis obiurgabat. Porrò quisquis accipit, fit quodammodo obnoxius ei à quo accipit, & aliquid decedit de vigore autoritatis. Siquidem qui accipit, minus liberè obiurgat, & qui dedit, non perinde fert obiurgari ab eo, cui benefecit. In hoc igitur Paulus abstinuit ab iis quæ licebant, ut consuleret Apostolicæ libertati, quam in hoc volebat nulli esse obnoxiam, ut liberius ac maiore cum autoritate reprehenderet illorum vitia. Mihi sanè non displicet Ambrosiana sententia. Attamen si quis mallet hunc locum ad cibos accommodare, meâ sententiâ, quod ait Paulus; Sed ego sub nullius redigar potestatem; sic accipi posset: tametsi nonnunquam abstineam à cibis immolatitiis, aut lege Mosaicâ vetitis, ut consulam saluti proximi ac profectui Evangelico: tamen animus meus liber est: qui scit sibi licere vesci cibis quibuslibet, pro necessitate corpusculi. At Pseudoapostoli conabantur hoc persuadere, quosdam cibos per se impuros esse, nec abstinendum per occasionem, sed semper ab his temperandum tanquam naturâ malis, nec aliter, quam

quàm abstinemus ab homicidio & adulterio. Hoc quibus erat persuasum, redacti erant sub alienam potestatem, & exciderant ab evangelica libertate. Solus, quod quidem meminerim, Theophylactus sententiam inducit ab his omnibus diversam: Licet vesci quibuslibet cibis, sed non expedit immodicè. Nam ex luxu nascitur impudicitia. Hic sensus quamquam impius non est: tamen mihi non videtur huius loci germanus esse. Ostendi, quæ me torqueant: vestræ charitatis erit me ex his scrupulis eximere. Eus. Nè tu probè tuo respondes nomini. Qui sic novit proponere quæstiones, non opus habet alio, qui dissolvat. Sic enim proposuisti dubitationem tuam, ut ego dubitare desierim. Tametsi Paulus in ea epistola, quoniam multa simul decrevit agere, sæpe ab uno argumento in aliud devolvitur, & rursum, quod intermiserat, repetit.

Chr. Nisi vererer, ne vos mea loquacitate avocem à capiendo cibo, & si crederem, fas esse, tam sacris colloquiis admiscere quicquam ex profanis authoribus, proponerem & ipse quiddam, quod hodie legentem me non torsit, sed unicè delectavit. Eus. Imò profanum dici non debet, quicquid pium est: & ad bonos mores conducens. Sacris quidem literis ubiq; prima debetur authoritas, sed tamen ego nonnunquam offendo quædam vel dicta à veteribus vel scripta ab ethnicis, etiam poëtis, tam castè, tam sanctè, tam divinitùs, ut mihi non possim persuadere, quin pectus illorum, cùm illa scriberent, numen aliquod bonum agitaverit

Ex-

Et fortasse latiùs sefundit spiritus Christi, quàm nos interpretamur: & multi sunt in consortio sanctorum, qui non sunt apud nos in Catalogo. Fateor affectum meum apud amicos: non possum legere libram Ciceronis de senectute, de amicitia, de officiis, de Tusculanis quæstionibus quin aliquoties exosculer codicem, ac venerer sanctum illud pectus, adflatum cœlesti numine. Contrà, cùm hos quosdam recentiores lego, de repub. œconomica, aut ethica præcipientes, Deum immortalem, quàm frigent præ illis: imò quàm non videntur sentire, quod scribunt! ut ego citiùs patiar perire totum Scotum cum aliquot sui similibus, quàm libros unius Ciceronis aut Plutarchi: non quòd illos in totum damnem: sed quòd ex his sentiam me reddi meliorem, cum ex illorum lectione surgam, nescio quomodo frigidiùs adfectus erga veram virtutem, sed irritatior ad contentionem. Quare, ne verère, quicquid istud est, proponere. CHR. *Cùm plerique libri M. Tullii, quos scripsit de philosophia, divinitatis quiddam spirare videntur, tum ille, quem senex scripsit de senectute, planè mihi videtur,* (rr) *πύκνειον ἄσμα, quemadmodum Græcis est in proverbio. Eum hodie relegi, atq; hæc verba, quoniam præ cæteris arridebant, edidici: Quod si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem: nec verò velim, quasi decurso spatio, à calce ad* (ll) *carceres revocari. Quid enim habet hæc vita commodi, quid non potius laboris? Sed non habeat sanè, habet certè ia-*

tè tamen aut satietatem, aut molestiam. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & hi docti sæpè fecerunt. Nec me vixisse pœnitet, quoniam ita vixi, ut frustra me natum non existimem. Et ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam è domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum illum diem, cùm ad illud animorum concilium, cœtumq; proficiscar, & cùm ex hac turba & colluvione discedam. Hactenus Cato. Quid ab homine Christiano dici potuit sanctius? Vtinam talia essent colloquia Monachorum omnia, vel cum sacris virginibus, quale fuit illud Ethnici senis colloquium, cum Ethnicis adolescentibus. Eus. Jam aliquis caussabitur colloquium esse confictum à Cic. Chr. Istud mea non magni refert sive hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit dixeritq; sive Ciceroni, cuius animus sententias tam divinas cogitatione complexus sit, cuius calamus res egregias pari facundiâ depinxerit. Quanquam equidem arbitror, & Catonem, etiamsi non dixit eadem, tamen similia dicere solitum in colloquiis. Nec enim tam impudens erat M. Tullius, ut alium Catonem finxerit, quàm fuerit, & in dialogo parùm meminerit decori, quod in primis spectandum est, in hoc scripti genere, præsertim cum eius viri memoria recens adhuc hæreret animis eius ætatis hominum. The. Vehementer probabile est, quod narras: sed dicam quid mihi venerit in mentem, te recitante. Sæpenumerò mecum admiratus

sum,

sum, cùm omnes optent longæ vitatem, & mortem exhorreant, tamen vix quenquam comperias tam felicem, non dico senem, sed provectioris ætatis hominem, qui rogatus, An si detur, velit repuerascere, usurus per omnia iisdem bonis ac malis, quæ illi iam contigissent in vita, responderit idem, quod Cato dicit, præsertim si recolat animo, quicquid annis retroactis, seu triste, seu lætum, obtigisset. Nam frequenter & suavium rerum recordatio, vel cum pudore, vel cum conscientiæ molestiâ coniuncta est, ut animus ab his etiam recolendis non minus abhorreat, quàm à tristibus. Id opinor nobis indicarunt sapientissimi poëtæ, qui scribunt, tum demum animas capi desiderio corporum relictorum, posteaquam ex amne Lethæo longa biberunt oblivia. URAN. Est istud profectò dignum admiratione, & mihi quoq; compertum in nonnullis. Verùm illud quàm mihi blandiebatur: Nec me vixisse pœnitet. At quotusquisq; Christianorum sic moderatur vitam suam, ut huius senis vocem sibi possit usurpare? Vulgus hominum existimat, se non frustra vixisse, si per fas nefasq; congestas divitias reliquant morientes. At Cato ideo non putat se frustra natum, quod integrum ac sanctum civem præstiterit reipub. quòd incorruptum magistratum, quòd posteritati quoq; virtutis & industriæ suæ monimenta reliquerit. Iam illo quid dici potuit divinius? Discedo tanquam ex hospitio, non tanquam è domo. Hospitio tantisper uti licet, donec hospes iubeat exire. E domo sua nullus

facilè

facilè pellitur. Et tamen hinc quoque sæpenumerò propellit vel ruina, vel incendium, vel alius casus quispiam. Vt horum nihil accidat, tamen senio coll. bens ædificium, admonet esse demigrandum. NE. Non minus elegans est, quod apud Platonem loquitur Socrates, animam humanam in hoc corpore, velut in præsidio positam esse, unde fas non sit decedere iniussu Imperatoris, nec diutiùs in eo immorari quàm visum sit ei, qui collocavit. Illud significantius est in Platone, quod pro Domo dixerit præsidium: siquidem in domo tantum commoramur, in præsidio destinati sumus functioni quam nobis delegavit Imperator noster: non abludens à nostris literis, quæ vitam hominis nunc militiam, nunc certamen esse dicunt. URAN. At mihi quidem oratio Catonis pulcrè congruere videtur cum oratione Pauli, qui scribens Corinthiis, Cœlestem mansionem, quam expectamus post hanc vitam, οἰκητήριον vocat & οἰκητήειον, hoc est, domum sive domicilium. Cæterum hoc corpusculum appellat tabernaculum Græcè σκῆνος. Nam & qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati. NE. Nec abludit à sermone Petri. Iustum autem, inquit, arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quod velox est depositio tabernaculi mei. Quid igitur aliud clamat nobis Christus, quàm ut sic vivamus ac vigilemus, tanquam illico moriturí, sic incumbamus honestis rebus, tanquam semper victuri? Jam illud cum audimus: O præclarum

diem

diem: nónne videmur audire Paulum ipsum loquentem: Cupio dissolvi, & esse cum Christo? CHR. *Quàm felices sunt, qui tali animo mortem expectant. Sed in oratione Catonis, quanquam præclara est, tamen fiduciam aliquis taxare posset, ut ab arrogantiâ profectam, quam multùm oportet abesse ab homine Christiano. Proinde mihi nihil unquam legisse videor apud Ethnicos, quod aptiùs quadret in hominem verè Christianum, quàm quod Socrates paulò pòst bibiturus cicutam dixit Critoni: An opera, inquit, nostra sit probaturus Deus, nescio: certè sedulò conati sumus, ut illi placeremus. Est mihi tamen bona spes, quòd ille conatus nostros sit boni consulturus. Vir ille sic diffidit factis suis, ut tamen, ob animi propensam voluntatem obtemperandi voluntati divinæ, bonam spem conceperit fore, ut Deus pro sua bonitate boni consulturus esset, quòd studuisset benè vivere.* NE. *Profectò mirandus animus in eo, qui Christum ac sacras literas non noverat. Proinde, cum huiusmodi quædam lego de talibus viris, vix mihi tempero, quin dicam: Sancte Socrates, ora pro nobis.* CHR. *At ipsi mihi sæpenumerò non tempero, quin benè ominer sanctæ animæ Maronii & Flacci.* NE. *At ego quot vidi Christianos quam frigidè morientes? Quidam fidunt in his rebus, quibus non est fidendum: quidam ob conscientiam scelerum, & scrupulos, quibus indocti quidam obstrepunt morituro, penè desperantes exhalant animam.* CHR. *Nec mirum eos sic mori, qui per omnem*

omnem vitam tantum philosophati sunt in cæremoniis. NE. Quid istud verbi est? CHR. Dicam: sed illud etiam atq; etiam præfatus, me non damnare, imò vehementer probare sacramenta & ritus ecclesiæ: sed quosdam, vel improbos, vel superstitiosos, vel, ut mollissimè dicam, simplices & indoctos, qui docent populum hisce rebus fidere, prætermissis his, quæ nos verè reddunt Christianos. NE. Nondum satis intelligo, quorsum eas. CHR. Faxo ut intelligas. Si vulgus Christianorum spectes, nónne prora & puppis vitæ illis in cæremoniis est? In baptismo quantâ religione repræsentantur prisci ritus Ecclesiæ? Commoratur infans extra fores templi, peragitur exorcismus, peragitur catechismus, suscipiuntur vota, abiuratur Satanas cum pompis & voluptatibus suis: tandem ungitur, consignatur, salitur, tingitur: datur negocium susceptoribus, ut puerum curent instituendum: Illi, dato nummo, redimunt libertatem: & iam puer Christianus dicitur, & est aliquo modo. Mox rursus ungitur: tandem discit confiteri, sumit Eucharistiam, consuescit quiescere diebus festis, audire sacrum, ieiunare nonnunquam, abstinere à carnibus. Et hæc si servat, habetur absolutè Christianus. Ducit uxorem, accedit aliud sacramentum: initiatur sacris, rursus ungitur & consecratur, mutatur vestis, dicuntur preces. Atque hæc quidem omnia quòd fiunt, probo; sed quòd hæc fiunt magis ex consuetudine, quàm ex animo, non probo: quòd nihil aliud adhibetur

ad Christianismum, vehementer improbo. Siquidem magna pars hominum dum his fidit, nihilo secius interim per fas nefasq; congerit opes, servit iræ, servit libidini, servit livori, servit ambitioni: sic tandem venitur ad mortem. Hic rursus cæremoniæ paratæ. Adhibetur confessio semel atque iterum, additur unctio, datur Eucharistia, adsunt cerei sacri, adest crux, adest aqua sacra, adhibentur indulgentiæ, expromitur, aut illicetiam emitur morienti diploma Pontificis, ordinantur (ss) *parentalia magnificè celebranda, fit rursus stipulatio solennis, adest qui clamet ad aurem morientis, imò nonnunquam occidit ante tempus, si contingat, ut sæpe fit, vocalior, aut benè potus. Hæc ut rectè adhibentur, præsertim quæ nobis tradidit Ecclesiastica consuetudo: ita sunt alia quædam reconditiora, quæ nobis hoc præstant, ut cum alacritate spiritus, ut cum Christianâ fiduciâ migremus hinc.*

Eus. *Piè tu quidem ista vereq; concionaris: sed interim nullus admovet manum cibis. Caveat quisq; ne se fallat. Ego prædixi, nihil expectandum præter secundas mensas, easque rusticanas, ne quis sibi promittat* (tt) *Phasides aves, aut attagenas, aut Attica bellaria. Hæc amoveto puer, & quod restat, apponito. Videtis non copiæ, sed inopiæ nostræ cornu. Hic est proventus hortulorum, quos vidistis. Ne parcite, si quid arridet.* Tim. *Tanta varietas est, ut vel ipso recreemur aspectu.*

Eus. *Atqui ne planè contemnatis frugalitatem meam;*

meam, hæc patina exhilarasset Hilarionem monachum Evangelicum, comitatum vel centum monachis illius sæculi: Paulo verò atque Antonio vel menstruus commeatus esse potuisset. TIM. Imò nec Petrus, ille Princeps Apostolorum fastidisset, opinor, cùm apud Simonem coriarium diversaretur. EUS. Imò nec Paulus, opinor, cùm, coactus egestate, sutoriam nocturnis horis exerceret. TI. Debemus benignitati divinæ. Sed ego malim esurire cum Petro & Paulo, modo quod deesset corporis alimoniæ, abundaret in delitias animi. EUS. Imò discamus à Paulo & abundare, & penuriam pati. Cùm deerit, gratias agamus Jesu Christo, qui nobis suppeditet & frugalitatis & patientiæ materiam. Cùm supererit, gratias agamus illius munificentiæ, qui nos suâ liberalitate invitet ac provocet ad amorem sui: ac modicè parcéq; fruentes iis, quæ largiter præbuit divina benignitas, paucorum memores simus, quibus Deus deesse voluit, quod nobis superest, ut utrisq; per alteros sit occasio virtutis. Siquidem nobis largitur, unde subvenientes egestati fraternæ, misericordiam ipsius promereamur, & illi nostrâ liberalitate recreati, gratias agant Deo pro bona mente nostra, nosq; precibus suis illi commendent. Et rectè venit in mentem. Heus puer, dic uxori, ut ex assis, quæ superstant, mittat Gudulæ nostræ. Est vicina quædam gravida, tenui fortunâ, sed animo beatissima. Maritus nuper decessit, homo phil. 4. 12.

profusus & ignavus, qui nihil uxori reliquit præter liberorum gregem.

Luc. 6.30. TIM. *Christus iussit dare omni petenti: id si facerem, intra mensem ipsi mihi mendicandum esset.* EUS. *Opinor Christum sentire de his, qui petant necessaria. Nam qui petunt, imò qui flagitant vel extorquent potiùs magnas summas, quibus extruant (uu) cœnationes (xx) Lucullianas, aut quod peius est, quibus alant luxum aut libidinem suam, iis negare quod petunt, eleemosyna est; imò rapina est, largiri malè usuris, quod debebatur præsenti necessitati proximorum. Vnde mihi videntur vix excusari posse à peccato capitali, qui sumptibus immodicis aut extruunt, aut ornant monasteria seu templa: cùm interim tot viva Christi templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumq; necessariarum inopiâ discrutientur. Cùm essem apud Britannos vidi tumbam divi Thomæ gemmis innumeris summiq; pretii onustam, præter alia miracula divitiarum. Ego malim ista, quæ superflua sunt, elargiri in usus pauperum, quàm servare satrapis aliquando semel omnia direpturis: ac tumbam ornare frondibus ac floſculis, id opinor gratius esset illi sanctissimo viro. Cùm essem apud (yy) Insubres, vidi monasterium quoddam ordinis Carthusiani non ita procul à Papia. In eo templum est intus ac foris, ab imò usque ad summum candido marmore constructum, & fere quicquid inest rerum, marmoreum est, velut altaria, columnæ, tumbæ. Quorsum autem*

autem attinebat tantum pecuniarum effundere, ut pauci monachi solitarii canerēt in templo marmoreo, quibus ipsis templum hoc oneri est non usui, quod frequenter infestentur ab hospitibus, qui non ob aliud se eò conferunt, nisi ut spectent templum illud marmoreum. Atque illic cognovi, quod stultius est, illis legata in singulos annos tria millia ducatorum in structuram monasterii. Et sunt, qui putent esse nefas, eam pecuniam in pios usus avertere, præter mentem testatoris: maluntq; demoliri quod instaurent, quàm non ædificare. Hæc quoniam insignia sunt, visum est commemorare: quanquam sunt passim in templis nostris exempla permulta similia. Hæc mihi videtur ambitio, non eleemosyna. Divites ambiunt sibi monumentum in templis, in quibus olim nec divis locus erat. Curant se sculpendos ac pingendos, additis etiam nominibus ac beneficii titulo. Atque hisce rebus bonam templi partem occupant, olim, opinor, postulaturi, ut ipsorum cadavera in ipsis reponantur altaribus. Dicet aliquis: An horum munificentiam existimas reiiciendam? Nequaquam, si templo Dei dignum sit, quod offerunt. Sed ego, si sacerdos aut Episcopus essem, hortarer crassos illos aulicos, aut negociatores, ut si vellent sua peccata redimere apud Deum, ista clanculum effunderent in subsidium eorum, qui verè pauperes sunt. Isti putant perire pecuniam, quæ sic frustulatim & clanculum in præsentem egestatem tenuium sublevandam dissipatur, cuius nullum extet apud

posteros monumentum. Ego puto nullam melius collocari eâ, quam ipse Christus sibi vult imputari, certissimus debitor. TIM. Annon putas rectè collocari, quod datur monasteriis? EUS. Et his darem nonnihil, si dives essem: sed darem ad necessitatem, nõ ad luxum: tum his, inter quos sentirem vigere studium veræ religionis. TIM. Multi iudicant, non admodum bellè collocari, quod datur istis mendicis publicis. EUS. Et istis nonnihil dandum est aliquando, sed cum delectu. At mihi consultum videatur, si singulæ civitates suos alerent, nec ferrentur errones huc & illuc circumcursitantes præsertim validi, quibus opus suppeditandum censeo potius, quàm pecuniam. TIM. Quibus igitur potissimùm dandum censes, quantum & quatenus? EUS. Hoc mihi ad unguem describere difficilimum sit. Primùm animum adesse oportet, qui cupiat omnibus subvenire. Deinde pro mea tenuitate quod possum impartio, quoties sese offert occasio, præsertim his, quorum & paupertas & integritas mihi nota est. Hortor & alios ad beneficentiam, si me defecerint facultates. TIM. Sed permittis ne nobis hîc in tuo regno liberè loqui? EUS. Imò liberiùs, quàm si domi vestra sitis. TIM. Non probas in templis sumptus immodicos, & has ædes multò minoris ædificare poteras. EUS. Equidem arbitror has intra mundiciem consistere, aut si mavis elegantiam; certè ab sunt à luxu, ni fallor. Ædificant magnificentiùs, qui mendicatò vivunt. Et tamen hi ipsi horti

mei,

mei, quales quales sunt, vectigal pendunt egenis, & quotidie sumptibus aliquid detraho, in me meosq; frugalior, quo possim esse in pauperes munificentior. TIM. *Si istum animum obtinerent omnes, permulti melius haberent quos nunc egestas gravat indignos: & ex adverso, multi minus essent obesi, digni, quos egestas doceat sobrietatem ac modestiam.* EUS. *Fortasse sic res habet.*

Sed vultisne, ut hæc insipida bellaria re quapiam suavi condiamus? TIM. *Plus satis est delitiarum.* EUS. *At ego hinc depromam, quod ne saturi quidem fastidiatis.* TIM. *Quid est?* EUS. *Codex est evangeliorum, ut quod lautissimum habeo, vobis depromam in fine convivii. Recita puer ab eo loco, ubi proximè destitisti.* PU. *Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & Mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis: neque corpori, quid induamini. Nonne anima plus est, quàm esca? & corpus plus, quàm vestimentum?* EUS. *Redde codicem. In hoc loco mihi Jesus Christus videtur bis idem dixisse. Etenim pro eo, quod prius dixit, Odio habebit, mox ponit, Contemnet, & pro eo quod prius posuerat, Diliget, mox vertit, Sustinebit: commutatis personis exiit eadem sententia.* TIM. *Non satis adsequor quid velis.* EUS. *Demonstremus igitur ratione mathematicâ, si videtur. In priore parte pro uno pone A pro*

altero B. Rursus in posteriore pro uno pone B. pro altero. A. verso ordine: aut enim A. odio habebit & B. diliget, aut B. sustinebit & A. contemnet. Nónne hic palam est. A. bis odio haberi, & B. bis diligi? TIM. *Perspicuum est.* EUS. *Atqui hæc coniunctio, aut, præsertim repetita, habet emphasim sententiæ contrariæ, aut certè diversæ: Alioqui nónne absurdè diceretur, aut Petrus me vincet, & ego cedam, aut egò cedam, & Petrus me vincet?* TIM. *Lepidum, ita me Deus amet. sophisma.* EUS. *At tum demum mihi videbitur lepidum, si hoc ex vobis didicero.* THE. *Animus somniat ac parturit mihi nescio quid: si iubetis, quicquid est proferam in medium: vos eritis vel (zz) oniropoli vel obstetrices.* EUS. *Quanquam vulgò malè ominis habetur somniorum meminisse in convivio, & parum sit verecundum, coram tot viris fœtum eniti: tamen nos istud somnium, sive malis partum animi tui libenter excipiemus.* THE. *Mihi videtur in hoc sermone res commutari potius, quàm persona: & hanc vocem Vnum & Vnum non referri ad A. & B: sed utraq; pars refertur ad utrumlibet, ut utrumcunque delegeris, ei iam opponatur, quod significatur per alterum. Quasi dicas: Aut excludes A. & admittes B. aut A admittes, & excludes B. Hic videtis, manente personâ, rem esse translatam. Atque hoc ita dictum est de A. ut nihil referat, si idem enuncies de B. hoc pacto: Aut B. excludes, & admittes A: aut admittes B, & excludes A.* EUS. *Sanè*

Sanè argutè tu quidem problema nobis explicuisti, neq; quisquam mathematicus melius depinxisset in pulvere. So. *Illud me magis movet, quòd prohibet esse solicitos de crastino, cùm Paulus ipse laborarit manibus victûs parandi causâ, atque idem acriter increpet otiosos, & ex alieno vivere gaudentes, admonens ut laborent, ac manibus operentur, quod bonum est, ut sit, unde tribuant aliquid necessitatem patienti. Annon pii, sanctiq; labores sunt, quibus maritus tenuis alit uxorem sibi charissimam, dulcesq; liberos?* Tim. *Ista quæstio, meâ sententiâ, variis modis dissolvi potest. Primùm, ut ad illa tempora potissimùm pertineat. Apostolis ob Evangelii prædicationem latè vagantibus, eximenda erat solicitudo victûs undecunque suppeditandi, quibus non vacabat operâ manuariâ cibum quærere, præsertim cum nullam artem scirent præter piscationem. Nunc alia ratio temporum est, & otium amplectimur omnes, laborem fugimus. Altera dissolvendi ratio est: Christus non interdixit industriam, sed solicitudinem. Et solicitudinem intelligit iuxta vulgarem hominum adfectum, qui nulla de re magis anxii sunt, quàm de parando victu, ut omnibus rebus omissis, hoc solùm agant, huic uni curæ sint addicti. Id propèmodum indicat ipse Dominus, cùm negat, eundem duobus dominis servire posse. Servit enim, qui toto pectore addictus est. Præcipuam igitur curam vult esse Evangelii propagandi, non solam. Ait enim: Primùm quarite regnum Dei,*

& hæc adiicientur vobis. Non dicit, Sólùm quærite, sed primùm quærite. Cæterum in voce Crastini, puto hyperbolèesse, cùm significet, in longinquum: qui mos est avaris huius mundi, ut posteris etiam anxiè parent & quærant. Eus. Accipimus tuam interpretationem. Sed quid sibi vult, quod ait? Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid edatis? Corpus veste tegitur, at non edit anima. Tim. Animam, ut opinor, hîc vitam appellat. Ea periclitatur, si cibum subduxeris, non item, si vestem detraxeris, quæ magis datur pudori, quàm necessitati. Et, si quem affligit nuditas, non statim occîdit: at inedia certissima mors est. Eus. Non satis video, quomodo cohæreat cum hac sententia, quod adiecit: Nónne anima plus est, quàm esca? & corpus plus est, quàm vestimentum? Nam si vita magni pretii est, tantò magis advigilandum, ne pereat. Tim. Hoc argumentum non adimit nobis solicitudinem, sed auget. Eus. At non hoc sentit Christus, quod interpretaris: sed hoc argumento nobis addit fiduciam de patre. Si pater benignus gratis, & de suo dedit id, quod carius est, etiam adiiciet id, quod vilius est. Qui dedit animam, non negabit alimoniam; qui dedit corpus, adiiciet alicunde vestem. Illius igitur benignitate freti, non est, quòd discruciemur solicitudine curaq; rerum infimarum. Quid igitur superest, nisi ut utentes hoc mundo tanquam non utamur, totam curam ac studium nostrum transferamus in amorem rerum cœlestium, atque reiecto mammona, imò toto satana,

cum

eum omnibus suis (1) *præstigiis, uni Domino, toto & alacri pectore serviamus, qui non destituet filios suos.*

Sed interim nullus attingit bellaria. His certè cum gaudio vesci licet, quæ non magnâ curâ nobis domi proveniunt. TIM. *Abundè satisfactum est corpusculo.* EUS. *Vellem equidem & animo.* TIM. *Atq; uberiùs etiam animo.* EUS. *Hæc igitur tolle puer, ac labrum appone. Lavemus amici, ut si quid fortasse commissum est in hoc convivio, purgati canamus hymnum Deo. Perficiam, si videtur, quod cœperam ex Chrysostomo.* TIM. *Rogamus.* EUS. *Gloria tibi Domine, gloria tibi Sancte, gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis escas. Imple nos gaudio & lætitiâ in spiritu sancto, ut inveniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus, quando reddes unicuique secundùm opera sua.* PU. *Amen.* TIM. *Profectò pius & elegans est hymnus.* EUS. *Hunc divus Chrysostomus non dedignatur etiam interpretari.* TIM. *Quonam loco?* EUS. *In Matthæum, hom. LVI.* TIM. *Non omittam, quin hodie legam. Sed illud unum interim ex te cupio discere, Cur ter optamus Christo gloriam, idq; triplici cognomine, Domini, Sancti, & Regis?* EUS. *Quoniam illi debetur omnis gloria. Sed nobis triplici nomine potissimùm est glorificandus: quòd suo sacrosancto sanguine redemerit nos à tyrannide diaboli, sibiq; adseruerit, unde & Dominum illum vocamus. Deinde quòd non contentus gratis condonasse nobis omnia pec-*

cata,

cata, per Spiritum suum contulit nobis & iustitiam suam, ut sectemur ea, quæ sunt sanctimoniæ. Atque ob id sanctum eum vocamus, quòd sit sanctificator omnium. Postremò quòd ab eodem speramus præmium regni cœlestis, ubi ille iam sedet ad dextram Dei Patris, & hinc nobis Rex dicitur. Atque hanc totam felicitatem illius erga nos gratuitæ bonitati debemus, quòd pro domino, vel tyranno potius diabolo, Dominum habemus Iesum Christum; pro immundicia & sordibus peccatorum, innocentiam ac sanctimoniam: pro gehenna, gaudia vitæ cœlestis. TI. *Pia profectò sententia.*

EUS. *Quoniam nunc primum vos hic accepi convivio, non dimittam vos absque* (2) *xeniis, sed talibus, qualis fuit apparatus. Heus puer profer* (3) *apophoreta nostra. Sive sortiri placet, sive sibi quisque malit deligere, minimum refert: eiusdem fere pretii sunt omnia, hoc est, nullius. Non enim sunt sortes Heliogabali, ut huic obveniant equi centum, illi totidem muscæ. Sunt libelli quatuor, horologia duo, lucernula, & theca cum calamis* (4) *Memphiticis. Hæc arbitror magis convenire vobis, quàm opobalsamum aut dentifricium, aut speculum si vos novi satis.* TIM. *Adeo bella sunt omnia, ut nobis difficilis sit electio: ipse magis pro tuo arbitratu distribuito, sic gratius etiam erit, quicquid obtigerit.* EUS. *Hic libellus in membranis habet proverbia Salomonis, sapientiam docet, & auro pictus est, quod aurum habeat sapientiæ symbolum. Hoc dabitur cano nostro, ut iuxta do-*

doctrinam evangelicam, habenti sapientiam, & exuberet. TIM. Certè curabitur, ut minus egeam. EUS. Sophronio congruet horologium, huc ex extrema Dalmatia profectum, ut vel sic commendem munusculum meum. Novi enim quàm ille sit parcus temporis, quàm nullam omninò portionem rei pretiosissimæ sinat abire sine fructu. SO. Imò pigrum admones diligentiæ. EUS. Hic libellus habet in membranis Evangelium secundùm Matthæum: gemmâ tegi merebatur, nisi nullum esset illi scrinium aut theca charior, quàm pectus hominis. Illic igitur recondito Theophile, quò magis hoc sis, quod diceris. THEOPH. Efficiam, ne prorsus male collocasse videaris tuum munus. EUS. Hic sunt epistolæ Pauli, quas tu libenter tecum circumfers Eulali, qui Paulum semper habere soleas in ore, nec haberes in ore, nisi esset in pectore: posthac commodiùs erit etiam in manibus oculisq;. EUL. Istuc non est dare munus, sed dare consilium. Porrò bono consilio nullum est munus pretiosius. EUS. Lucernula conveniet Chrysoglotto, (5) anagnostæ insatiabili, &, ut M. Tullius inquit, librorum helluoni maximo. CHR. Bis habeo gratiam: primùm pro munere non vulgariter eleganti: deinde quòd somniculosum admones vigilantiæ. EUS. Theca calamaria debetur Theodidacto felicissimè (6) πολυγράφῳ, atque hos ego calamos felicissimos esse indico, quibus celebrabitur gloria Domini Jesu Christi, tali præsertim artifice. THE. Vtinam & pectus suppeditate

tare possis, quemadmodum suppeditas instrumenta. Eus. Hic codex habet aliquot Plutarchi libellos de moribus, sed selectos, & à quodam Græcæ literaturæ peritissimo non insciтè descriptos, in quibus tantum reperio sanctimoniæ, ut mihi prodigio simile videatur in pectus hominis ethnici tam evangelicas potuisse venire cogitationes. Hic dabitur Vranio iuveni & (7) οιλέλλωι. Superest horologium: id cedat nostro Nephalio parcissimo temporis dispensatori. Neph. Habemus gratiam, non solùm pro munusculis, verum etiam pro testimoniis. Nam isthuc non tam est distribuere xenia, (8) quàm elogia. Eus. Imò ego vobis habeo gratiam duplici nomine. Primùm quod nostram exilitatem boni consulitis. Deinde quòd eruditis iuxtà ac piis sermonibus refeciстis animum meum. Ego vos quomodo acceptos dimittam, nescio, certè vos relinquam melior ac doctior. Scio vobis non esse cordi fistulas, aut moriones, ac multò minus aleam. Quare, si videtur, fallemus horulam spectandis reliquis regiæ meæ miraculis. Tim. I. stud eramus abs te flagitaturi. Eus. Apud bonæ fidei promissorem non est opus flagitatore. Hanc aulam æstivam opinor vos iam satis contemplatos. Habet triplicem prospectum, & quoquo versum deflectas oculos, occurrit viror hortorum gratissimus. Vitreis fenestris volubilibus sivideatur, licet excludere cœlum, si nebulis aut ventis sit incommodius: licet & densis valvis foris admotis, ac tenuibus intus excludere solem, si quid offendat

fendat æstus. Hîc cum prandeo, videor in horto prandere, non in domo. Nam & parietes virentes suos habent insperfos floſculos: sunt & picturæ non invenustæ. Hîc Christus supremam compotationem agitat cum electis suis discipulis. Hîc natalitia celebrat Herodes funesto convivio. Hîc evangelicus ille dives epulatur splendidè, mox descensurus ad inferos. Lazarus repellitur à foribus, mox excipiendus sinu Abrahæ. Tim. Hoc argumentum non satis agnoscimus. Eus. (9) Cleopatra est cum Antonio luxu decertans: iam unionem ebibit, alteri manum admovit detractura. Hîc pugnant Lapithæ. Hîc Alexander Magnus hastâ transverberat Clitum. Hæc exempla nos admonent sobrietatis in convivio, & à crapula luxuq; deterrent. Nunc adeamus Bibliothecam, non illam quidem multis instructam libris, sed exquisitis. Tim. Locus hic planè divinitatem quandam præsefert, adeò nitent omnia. Eus. Hîc videtis præcipuam partem opum mearum. Nam in mensâ nihil vidistis nisi vitreum ac stanneum, nec est in tota domo vas ullum argenteum præter unum poculum inauratum, quod ob amorem eius, qui dono dedit, religiosè servo. Hæc sphæra pensilis totum orbem ponit ob oculos. Hîc in parietibus singulæ religiones fusiore spatio depictæ sunt. In reliquis parietibus videtis insignium authorum imagines. Nam omneis depingere fuerat infinitum. Christus primum habet locum porrectâ manu sedens in monte. Capiti imminet pater dicens:

Ipsum

Ipsum audite. Spiritus Sanctus, ex pansis alis multâ luce complectitur illum. TIM. *Opus, ita me Deus benè amet, Apelle dignum.* EUS. *Adiunctum est bibliothecæ (11) Museion quoddam angustum, sed elegans quod submotâ tabulâ ostendit foculum, si quid offenderit frigus. In æstate videtur solidus paries.* TIM. *Hîc mihi gemmea videntur omnia. Est mira odoris gratia.* EUS. *Hoc mihi perpetuò studio est, ut niteat domus, & benè oleat. Vtraq; res minimo constat. Habet bibliotheca suum ambulacrum pensile spectans in hortum, & huic adhæret sacellum.* TIM. *Locus numine dignus.* EUS. *Nunc adeamus illa tria ambulacra, quæ imminent iis, quæ vidistis ad hortum domesticum spectantia. In his superioribus utroq; prospectus est, sed per fenestras, quæ possunt occludi, præsertim in his parietibus, qui non spectant hortum interiorem, quò domus sit tutior. Hîc ad lævam, quia plus est lucis, & paries raris fenestris interruptus, ordine depicta est tota vita Iesu ex narratione quatuor Evangelistarum, usque ad missum spiritum sanctum, & primam prædicationem Apostolorum ex Actis. Additæ sunt & locis notæ, ut agnoscat spectator, iuxta quod stagnum, aut in quo monte res gesta sit. Additi sunt tituli paucis verbis subnotantes totum argumentum, velut illud, quod dicitur à Iesu: Volo, mundare. Ex adverso respondent figuræ, & vaticinia veteris testamenti, præsertim è prophetis & psalmis, qui nihil aliud habent quàm Christi vitam & Apostolorum, aliter nar-*

ter narratam. Hic nonunquam obambulo mecum fabulans & animo contemplans illud ineffabile consilium Dei, quo per filium suum restituere voluit genus humanum. Nonnunquam adest uxor comes, aut amicus quispiam, qui rebus piis delectetur. TIM. In hac domo cui posset obrepere tædium? EUS. Nulli, qui didicerit secum vivere. In summa ora picturæ, velut extra ordinem additæ sunt capita Pontificum Romanorum cum suis titulis. Ex adverso, capita Cæsarum ob memoriam historiæ. In utroq; cornu prominet pensile cubiculum, ubi liceat interquiescere, & unde spectare licet pomarium, & aviculas nostras. Hic in extremo angulo prati videtis aliud ædificiolum, ubi cœnamus nonnunquam æstivis mensibus, & ubi curatur, si quem fortè è familiarib. corripuerit morbus ob contagium formidabilis. TIM. Quidam negant huiusmodi morbos esse vitandos. EUS. Cur ergo vitant foveam, aut venenum? An hoc minus timent, quia non vident? Nec basiliscivenenum videtur, quod afflat oculis. Vbi res poscat, non dubitem pro necessariis venire in vitæ discrimen: sine caussa subire vitæ periculum, temeritas est: alios in vitæ periculum adducere, crudelitas. Sunt & alia quædam non iniucunda spectatu, ea mandabo uxori, ut ostendat. Manete hîc vel totum triduum, & hanc domum putate esse vestram. Pascite oculos, pascite animos. Nam me negotia quædam alio vocant. Est equitandum in pagos aliquot vicinos. TIM. Ob rem pecuniariam?

Eus. *Ego tales amicos non relinquerem pecuniæ gratiâ.* Tim. *Fortassis venatio parata est alicubi.* Eus. *Planè venatio est: sed aliud venor, quàm apros aut cervos.* Tim. *Quid igitur?* Eus. *Dicam. In uno pago decumbit amicus quidam non sine periculo vitæ. Nam corpori metuit medicus: ego magis metuo animæ illius. Siquidem mihi videtur parum rectè compositus ad emigrandum sicut dignum est Christiano, huic adero meis hortatibus, ut sive moriatur, sive revalescat, bono ipsius fiat. In altero dissidium acre est natum inter duos non malos quidem illos, sed tamen pervicacis ingenii viros. Quod si exasperetur, vereor ne plures secum trahat in consortium simultatis. Adnitar totis viribus, ut hos redigam in gratiam. Nam utriq; sum veteri necessitudine junctus. Hæc sunt, quæ venor. Quòd si venatio successerit ex animi sententia, simul hic celebrabimus* (11) ἐπινίκια. Tim. *Pia venatio, precamur, ut tibi pro Delia Christus adspiret.* Eus. *Hanc prædam ego malim, quàm obvenire mihi hæreditate bis mille ducatos.* Tim. *Mox redituru?* Eus. *Non nisi tentatis omnibus. Quare certum tempus non possum præscribere. Vos interim meis perinde ac vestris fruamini, & valete.* Tim. *Dominus Jesus te feliciter deducat ac reducat.*

(a) In Epod. *Dapes inemptas apparet* Et Verg. 4. Georg. *Dapibus mensas onerabat inemptis* (b) In vera historia. (c) Cors cortis, spatium circum villam septum, unde *cortis aves* gallinæ apud Mart. Et inde militum cohors, quòd

quòd ex agris legi soleat. (d) Convivator, qui excipit & excipitur convivio. (e) Lampadem tradere, est alteri tradere negotium. (f) Id est, resipiscite. q.d. pòst factum sapite, & de errore admisso ita dolere, ne pergatis. Idque explicat verbum sequens, Convertite vos, &c. (g) Actorum tertio cap. (h) Ego sum α & ω. (i) Gentilitas *Priapum*, Deum nudum, & membrosiorem æquo, in hortis tanquam tutelarem constituebat. (k) Quicquid voluptuosum est, id Epicureum vocant. (l) Suibus *Amaracinum unguentum*, ex amaraco factum, venenum est, unde proverb. *Quid cum Amaracino suis?* (m) (n) *crustamentum* est superregumentum, quod parietibus aut calce aut gypso inducitur. (n) Id est, prudens esto, non omnibus volito. Vide proverbium *de noctua Athenensium*. (o) Vide proverb. *Scarabeus aquilam*. (p) *Trochilus* avicula, naturâ aquilis infesta. Lege Plin. lib. 10. cap. 74. (q) De hirundine idem lib. 25. c. 8. (r) De chamæleonte lib. 8. cap. 33. Cinædi molles omnes, & voluptatibus dediti. (s) *Choraules*, qui choreas ducentibus canunt. (t) Vide Plin. lib. 21. cap. 26. (u) Id est, reperit Deus nocentem. (x) Extat hac de re lepidum epigramma apud Græcos. (y) Id est, captans capior. (z) Author Plin. Suntque Liburnicæ naviculæ intextæ viminibus. (aa) Alludit ad id, quòd & apes regem & politiam habere finguntur. (bb) Hymnus nihil aliud quam divina laus est. (cc) *Sophronus*, temperans, *Theodidactus* divinitùs doctus, *Nephalus* sobrius, *Eulalus* bene loquens. (dd) Allusit ad illud Matt. *Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ. Oquàm sæpe petet Sinapi perg; coquus* (ee) Sicut fremitus leonis, ita & regis ira prov. 19. (ff) *Oestro.* i. furoris stimulo. Unde proverb (gg) *Achelous* amnis est Acarnaniæ. Vide Strabonem. (hh) *Extrema anchora*, postremum subsidium. (ii) Supplicatio & ovatio sunt infra triumphum: allusum est autem ad ova adposita. (kk) *Secessus*, vita privata, aut monachismus. (ll) *Mutæ personæ* in fabulis, quæ ostenditur quidem, sed non loquitur.

quitur Horat. *Nec muta loqui persona laboret.* Vide proverb. *Muta persona,* (mm) i. divinitus afflatus. (nn) Religio propriè est eorum, quæ reveremur veluti sepulchrorum, cui proxima est superstitio. Alludit ad locum Paul. Col. 2. (oo) Lege in Chiliadib. proverbium. *Sybaritica mensa.* (pp) i. In vino veritas. (qq) *Idolothytes* i. idolis sacrificatis oblatis. (rr) i. Cygneâ cantio. Vide Chiliades. (ss) *Ad carceres* i. ad initium. Carcer enim dicitur, unde equi dimittuntur ad cursum. (tt) *Parentalia* justa sunt, & pro mortuis sacrificia, vulgò exequiæ. (uu) *Phasides & Attagines* sive, ut alii malunt. *Attages aves* in delitiis habitæ. Attica bellaria de lautitiis & cupediis dicuntur. (xx) *Cœnatio,* locus est ubi cœnatur. (yy) Luculli Romani magnificentia multorum literis celebrata (zz) *Insubres,* Italiæ populus, qui Mediolanum tenent. (aaa) *Onirocritæ,* divinatores, quibus exacta somniorum dijudicandorum ratio est, conjectores. (1) *Præstigiæ* vanæ & fallaces rerum species. (2) *Xenia* munuscula, quæ dantur hospitibus aut amicis. (3) *Apophoreta,* quæ dantur in fine conviviorum auferenda, si cui videantur. (4) Qui chartis serviunt ob id probatissimi. (5) *Antagnostes,* lector. (6) Qui multa scribit, qualis fuit Chrysippus ac Didymus. (7) i. amator Græcitatis. (8) *Elogia,* sunt rerum gestarum propria testimonia; plerunque in bonam partem sumitur dictio. (9) Lege vitam Cleopatræ apud Plutarch. & Plin. cap. 15. lib. 9. (10) *Musæum* locus in ædibus, ubi musarum sacra studia tractantur. (11) Id est, festa, sive epulum pro victoriâ parta.

APO-

APOTHEOSIS CAPNIONIS SEU DE INCOMPARABILI HEROE JOANNE REUCHLINO IN divorum numerum relato.

POMPILIUS, BRASSICANUS.

VNDE *nobis* (a) *petasatus?* BRAS. *E Tubinga.* POM. *Nihilne istic rei novæ?* BRAS. *Equidem demiror, usque adeò mortaleis omneis teneri siti quadam rerum novarum. At ego Lovanii* (b) *Camelum quendam audivi concionantem, fugiendum quicquid esset novum.* POM. *Vocem Camelo dignam. Dignus erat homo si tamen homo fuit, qui nunquam mutet veteres calceos, aut putre subligar, semper vescatur putribus ovis, nec aliud bibat quàm vappam.* BRAS. *At idem, ne sis inscius, non usque adeò delectatur rebus veteribus, ut malit ius pridianum quàm recens.* POM. *Sed omisso Camelo, dic si quid adfers novi.* BRAS. *Adfero quidem, sed ut ille aiebat malum.* POM. *Atqui istud ipsum olim erit vetus. Ita fieri necesse est, ut, si omnia vetera sint bona, omnia nova mala; & quæcunque nunc bona sunt, fuerint olim mala; & quæ nunc sunt mala, sint olim futura bona.* BRAS. *Ita videtur, iuxta decretum Cameli. Imò consequitur, ut, qui olim adolescens fuit malus fatuus, quia recens; idem nunc sit bonus fatuus, quia senuit.* POM. *Sed agè, prome quicquid est.* BRAS. *Egregius ille trilinguis eruditionis phœnix Johannes Reuchlinus vitâ defunctus est.*

POM. *Rem certam narras?* BRAS. *Certiorem quàm vellem.* POM. *Sed quid istud mali, relictâ posteris honestissimi nominis immortali memoriâ, ab huius vitæ malis demigrare in consortium beatorum?* BRAS. *Quis istud tibi indicavit?* POM. *Res ipsa. Nec enim potest aliter mori, qui sic vixit.* BRAS. *At magis etiam istud diceres, si scias quod ego.* POM. *Quidnam, obsecro?* BRAS. *Non est fas referre.* POM. *Quam ob rem?* BRAS. *Quia qui credidit, stipulatus est arcani silentium.* POM. *Eâdem lege committe & mihi. Recipio tibi silentium optimâ fide.* BRAS. *Quanquam ista fides me iam sæpenumerò fefellit: tamen agè, committam, præsertim cùm res sit eius generis, ut expediat etiam notam esse omnibus. Est Tubingæ quidam instituti Franciscani, vir omnibus habitus eximiæ sanctimoniæ, præterquàm ipsi.* POM. *Magnum dicis argumentum veræ sanctimoniæ.* BRAS. *Agnosceres hominem, & fatereris verum, si nomen ederem.* POM. *Quid si divinem?* BRAS. *Licet.* POM. *Admove aurem.* BRAS. *Quid opus, quum simus soli?* POM. *Ita mos est.* BRAS. *Is ipse est.* POM. *Est homo certissimæ fidei. Mihi (c) Sibyllæ folium erit, quicquid ille dixerit.* BRAS. *Audi igitur totum dialogum bonâ fide.*

Ægrotabat noster Reuchlinus, satis quidem periculosè, sed ita, ut bona spes esset fore, ut revalesceret, vir dignus, qui nunquam senesceret, ægrotaret, aut moreretur. Manè visebam meum Franciscanum,

siscanum, ut animi mei molestiam oratione suâ leniret. Nam ægrotabam unà cum ægrotante amico, quem amabam ut Patrem. POM. (d) *Phy Ecquis illum unquam non amavit, nisi vir pessimus?* BRAS. *Hic Franciscanus meus, Brassicane, inquit, amove penitus ex animo mœrorem omnem: Reuchlinus noster desiit ægrotare. Quid? inquam an subitò revaluit? Nam ante biduum non admodum læta promittebant medici. Tum ille, Revaluit, inquit: sed ita, ut posthac non sit illi formidanda valetudo adversa. Noli flere (nam videbat erumpentes lacrimas) prius quàm audias rem omnem. Sex dies sunt, quòd hominem non inviseram: sed tamen quotidianis precibus, illius salutem Domino commendabam. Hodiernâ nocte, cùm meâ matutinis hymnis in strato composuissem, blandus quidam, minimeq; gravis somnus obrepsit.* POM. *Nescio quid læti mihi præsagit animus.* BRAS. *Non est tibi læva mens. Visus sum mihi, inquit, consistere ad ponticulum quendam per quem transitus erat in pratum quoddam longè amœnissimum. Adeò blandiebatur oculis graminum & frondium plus quàm smaragdinus viror: sic arridebant incredibili colorum varietate floscul*ō*rum stellulæ: sic spirabant omnia, ut quod erat pratorum citra rivum, quo dirimebatur felicissimus ille campus, nec vivere, nec virere videretur, sed mortua, inamœna, putidaq; omnia. Atque interim dum totus sum in eo spectaculo, commodum præterierat Reuchlinus, præteriens,*

Hebraicè precatus est pacem. Jam medium pontis transierat prius quàm sentirem: parantem accurrere, respiciens, vetuit; nondum fas, inquit: quinto ab hinc anno nos sequeris: Interim eorum, quæ aguntur, testis ac spectator assistito. Hic ego, Nudus erat, inquam, Reuchlinus, an vestitus, solus, an comitatus? Vestium, inquit, nihil habebat præter unam candidissimam; Damascenam esse dixisses candore mirè lucido: pone sequebatur puer incredibili specie, alatus: suspicabar illius esse genium bonum. POM. *Sed nullúsne comitabatur genius malus?* BRAS. *Imò aliquot, ut Franciscanus ille arbitrabatur. Procul inquit, à tergo sequebantur aves aliquot pennis cætera nigris, nisi quòd explicatu alarum gilvas verius quàm candidas plumas ostenderent. Picæ, inquit, videri poterant colore & voce, nisi quòd singulæ sedecim picas æquarent magnitudine corporis, nihilo minores vulturibus cristam gestantes vertice, rostris & unguibus aduncis, ventre prominente. Harpyiæ videri poterant, si tres modò fuissent.* POM. *Quid moliebantur istæ furiæ?* BRAS. *Procul, inquit, obstrepebant heroi Reuchlino, & impeturæ videbantur, si licuisset.* POM. *Quî minus licuit?* BRAS. *Quia versus Reuchlinus obiectâ manu crucis imaginem exprimens, Abite, inquit, quò dignum est, malæ pestes. Satis sit vobis negotium facessere mortalibus: in me iam immortalibus adscriptum nihil habet iuris vestra dementia. Vix ea dixerat, inquit Franciscanus; mox abierant fœdissi-*

fœdissimæ volucres: sed relicto fœtore, ad quem collatum (e) oletum videri posset sanſucinum, aut (f) foliatum. Deierabat se citius vel ad inferos descensurum, quàm sustineret iterum afflari tali (g) thymiamate. POM. Malè sit illis pestibus. BRAS. Sed audi cætera, quæ narravit mihi Franciscanus. Dum hæc intentus contemplor, inquit, iam ponti vicinus erat divus Hieronymus, qui Reuchlinum hisce verbis compellabat: Salve collega sanctissime. Datum est mihi hoc negotium, ut te exceptum deducam in consortium cœlitum, quod tuis sanctissimis laboribus destinavit divina benignitas. Simulq; vestem protulit, qua Reuchlinum induit. Tum ego: Dic, inquam, mihi, quo cultu, quâve specie videbatur Hieronymus? Erátne tam senilis, quàm illum pingunt, aut cucullam habebat, aut galerum, aut pallium Cardinalitium, aut leonem comitem? Ad hæc ille: Nihil, inquit, istiusmodi: Species erat amœna, quæ sic ætatem testabatur, ut nihil haberet squaloris, dignitatis plurimum. Quorsum autem illic opus erat comite leone, quem illi pictores adiunxerunt? Vestem gerebat ad talos usque demissam; crystallum diceres pellucidum. Eiusdem erat formæ, quam Reuchlino tradidit. Tota undiq; picta erat linguis triplici colorum varietate. Quædam (h) pyropon præ se ferebant, nonnullæ smaragdum, tertiæ sapphirum: Pellucebant omnia: nec mediocrem gratiam addebat ordo. POM. Coniicio id fuisse insigne trium linguarum, quas calluerunt. BRAS. Non est dubium.

bium. Nam & fimbriæ, ut aiebat, trium linguarum literis, triplici colore distinctis, visebantur inscriptæ. POM. *Num incomitatus aderat Hieronymus?* BRAS. *Incomitatus, inquis? Totus ille campus obsidebatur myriadibus geniorum: nec aliter oppleverant aërem totum, quàm videmus in solis radiis volitare minuta corpuscula, quæ vocant (ι) ἄτομα, si tamen à re tam humili huc ducenda est comparatio. Neque cœlum videre licuisset, neque campum, nisi pellucerent omnia.* POM. *Euge, Reuchlino gratulor. Quid deinde factum est?* BRAS. *Hieronymus, inquit, honoris gratiâ complexus dextrum Reuchlinum deduxit in medium pratum. Ibi collis erat in medio prominens. In huius vertice uterque alterum blando osculo complexus est. Atque interea vasto hiatu cœlum supernè diduxit sese, maiestatem quandam inenarrabilem exhibens sic, ut ad eam speciem cætera perè sorderent, quæ tamen ante videbantur esse mirifica.* POM. *Non possis aliquam imaginem nobis depingere?* BRAS. *Qui possim ego, qui non vidi? Is qui vidit, negavit se ullis vocibus vel somnium rei posse depingere: tantum hoc aiebat, se vel millies mori paratum, si liceat iterum eo spectaculo quantumlibet exiguo momento frui.* POM. *Quid tandem?* BRAS. *Ex hiatu cœli demissa est ingens columna igne pellucido, sed amœno: per eam in complexu duæ sanctissimæ animæ subvectæ sunt in cœlum choris angelicis tantâ melodiâ delinientibus omnia, ut Franciscanus neget se unquam*

eius

eius voluptatis meminisse posse, quin erumpant lacrymæ. Sequuta est mira fragrantia. Ubi somnus reliquit hominem, si tamen ille somnus dicendus est, erat dementi similis: non credebat sese esse in cellulâ suâ, requirebat pontem ac pratum suum, nec aliud loqui, nec aliud cogitare poterat. Seniores eius collegii, ubi senserunt rem non esse fabulosam (nam compertum est eâdem horâ terris excessisse Reuchlinum, quâ visio viro illi sanctissimo apparuit) concordibus animis egerunt gratias Deo, qui benefacta piorum præmiis amplissimis remuneratur.

POM. *Quid igitur superest, nisi ut sanctissimi viri nomen adscribamus calendario sanctorum?* BR. *Id ego facturus eram, etiamsi nihil tale vidisset Franciscanus, & quidem aureis literis proximè divum Hieronymum.* POM. *Emoriar, nisi idem facturus sum in codice meo.* BRAS. *Quin & in meo (k) larario stabit aureus inter divos selectos.* POM. *Stabit & in meo vel gemmeus, si suppetat animo facultas.* BRAS. *Ponetur & in bibliotheca Hieronymo proximus.* POM. *Addetur & meæ.* BRAS. *Imò, si grati volent esse, idem facient omnes, qui colunt & amant linguas ac bonas literas præsertim sacras.* POM. *Dignus est videlicet. Sed nihil te movet ille scrupulus, quòd nondum relatus est in numerum divorum authoritate Romani Pontificis?* BRAS. *Quis (l) canonizavit (sic enim vocant) divum Hieronymum? quis Paulum? quis Virginem matrem? utrorum*

memo-

memoria sanctior apud pios omnes? horum, quos insignis pietas, quos ingenii vitæq; monumenta commendant affectibus omnium? an Catharinæ Senensis, quam in divorum numerum retulisse fertur Pius, eius nominis secundus, in gratiam ordinis & urbis? POM. *Vera prædicas. Ille demum verus cultus est, qui sponte cœlo dignis meritis defunctorum exhibetur, quorum beneficia perpetuò sentiuntur.* BRAS. *Quid igitur? putas tu huius viri mortem deplorandam? Diu vixit, si quid ea res facit ad felicitatem hominis. Reliquit nunquam intermoritura virtutis suæ monumenta. Benefactis consecravit nomen suum immortalitati. Nunc exemptus malis cœlo fruitur, & cum Hieronymo confabulatur.* POM. *At multa passus est in vita.* BRAS. *Sed plura passus est divus Hieronymus. Felicitas est, ob bona pati à malis.* POMPIL. *Fateor, certè ob optima à pessimis multa perpessus est Hieronymus.* BRAS. *Quod olim fecit Satanas per Scribas & Pharisæos in Dominum Jesum, hoc & nunc facit per pharisaicos quosdam in optimos quosque viros, ac de genere mortalium suis vigilijs benè merentes. Nunc ille metit opimam messem pro semente, quam fecit. Interim nostræ partes erunt, illius memoriam habere sacrosanctam, illius nomen ferre laudibus, ac subinde illũ salutare verbis huiusmodi: O sancta anima, sis felix linguis, sis felix linguarum cultoribus, faveto linguis sanctis, perdito malas linguas infectas veneno gehennæ.* POM. *Ita faciam, ac se-*

ac sedulò prædicabo cæteris, ut idem faciant. At non dubito multos futuros, qui precatiunculam aliquam desiderent (quandoquidem hoc receptum) quâ sanctissimi herois memoriam celebrent. BRAS. *Hoc dicis, quod isti Collectam appellant.* POM. *Scilicet.* BRAS. *Hanc paraveram & ante mortem.* POM. *Recita quæso.* BR. *Amator humani generis Deus, qui donum linguarum, quo quondam Apostolos tuos ad Evangelii prædicationem per spiritum tuum sanctum cœlitus instruxeras, per electum famulum tuum* IOANNEM REVCHLINVM *mundo renovasti, da ut omnibus linguis omnes ubiq; prædicent gloriam filii tui Jesu, ut confundas linguas pseudoapostolorum, qui coniurati substruunt impiam turrim Babel, tuam gloriam obscurare conantes, cùm suam studeant attollere: quum tibi uni debeatur omnis gloria, cum Jesu filio tuo Domino nostro, & Spiritu sancto, in æterna secula, Amen.* POM. *Elegans profectò & pia precatio: dispeream, nisi mihi quotidie dicetur. Et hunc occursum mihi felicem duco, qui rem tam latam ex te discerem.* BRAS. *Isto gaudio diu fruere, ac vale.* POMP. *Vale tu quoque.* BRAS. *Valebo, sed non* (m) *coquus.*

(a) *Petasus* genus calceamenti grandioris, conveniens itineribus. (b) *Camelum* dixit detracta litera pro Carmelita. (c) *Sibylla Cumana* scribebat oracula in foliis. Juve. *Credite me Cobu folium recitare Sibyllæ.* Id est, rem certissimam. (d) *Pho* Interiectio admirantis. (e) *Oleru* est stercus humanum. *Sanfucinum unguentum* idem cum Ama-

Amaracino. (f) *Foliatum* unguenti genus, de quo Juvenalis: *Mœchus foliata parantur.* (g) *Thymiama* suffitus est. (h) Lapides sunt lucidissimi & pretiosissimi. Id est, insecabilia. (k) *Lararium*, locus ubi ponunrur dii penates, hoc est, domestici. Et apud veteres *selecti dii* dicebantur præcipui; ii fuerant numero pauci. (l) *Canonizare* Barbari dicunt, pro eo quod est in numerum divorum referre. (m) Jocus est in dictione ambigua *quaque* & *coce*, quod ad pronunciationem attinet. Unde liquet olim alium fuisse sonum harum literatum q & c. quam nunc est: Qui si fuisset diversus, non erat jocus ex voce plura significante. Similis jocus Ciceronis, ad quem hic alluditur, refertur apud Quintilianum lib. 6. cap. 4. de risu.

+ Species Carbunculi.

PROCI ET PUELLÆ.

PAMPHILUS, MARIA.

PAM. *Salve crudelis, salve ferrea, salve adamantina.* MAR. *Salve tandem & tu Pamphile, quoties & quantum voles & quocunq; libet nomine. Sed interim mihi videris oblitus nominis mei, Maria vocor.* PAM. *At martiam dici oportuit.* MA. *Quid ita quæso? Quid mihi cum Marte?* PAM. *Quia quemadmodum illi Deo pro ludo est homines interficere, ita & tibi: nisi quod tu Marte crudelior occidis etiam amantem.* MAR. *Bona verba. Vbinam strages ista mortalium, quos ego occidi? Vbi sanguis interfectorum?* PAM. *Vnum cadaver vides exanime, si modò me vides.* MAR. *Quid ego audio? mortuus loqueris & obambulas? Vtinam mihi nunquam occurrant umbræ formidabiliores.* PAM. *Ludis tu quidem: tamen interim*

interim miserum exanimas, & crudeliùs occidis, quàm si confoderes telo. Nunc longo cruciatu excarnificor miser. MAR. Ebo, dic, quot gravidæ ad tuum occursum abortierunt? PAM. Atqui pallor arguit exanguem magis, quàm ulla sit umbra. MAR. Atqui iste pallor tinctus est violâ. Sic palles, ut cerasum matureſcens aut uva purpuraſcens. PAM. Satis procacit rrides miserum. MAR Atqui, si mihi non credis, admove speculum. POM. Non optarim aliud speculum, nec arbitror esse clarius ullum quàm in quo nunc me contemplor. MAR. Quod speculum mihi narras? PAM. Oculos tuos. MAR. Argutator, ut semper tui similis es. Sed unde doces esse exanimem te? An cibum capiunt umbræ? PAM. Capiunt, sed insipidum qualem ego. MAR. Quibus igitur vescuntur? PAM. Malvis, porris, & lupinis. MAR. Atqui tu non abstines à capis & perdicibus. PAM. Verum: sed interim nihilo plus sapiunt palato meo, quàm si malvis vescerer, aut betis absque pipere, vino, & aceto. MAR O te miserum! & tamen interim obesulus es. An & loquuntur exanimes? PAM. Sicut ego, voce perquam exili. MAR. Atqui nuper, cùm audirem te conviciantem rivali tuo, vox non erat admodum exilis. Sed obsecro te, num etiam ambulant umbræ? num vestiuntur? num dormiunt? PAM. Etiam coëunt, sed suo more. MAR. Nè tu suavis nugator es. PAM. Sed quid dices, si argumentis (a) Achillei evincam, & me esse mortuum & te esse

te esse homicidam? MAR. *Absit omen, Pamphile: sed aggredere sophisma.* PAM. *Primùm illud mihi donabis, opinor: mortem nihil aliud esse quàm abductionem animæ à corpore.* MAR. *Largior.* PAM. *Sed ita, ut ne reposcas quod dederis.* MAR. *Non fiet.* PAM. *Tum haud inficiaberis, eum, qui alteri adimit animam, homicidam esse.* MAR. *Accedo.* PAM. *Concedes & illud, quod à gravissimis autoribus dictum, tot seculorum suffragiis comprobatum est: animam hominis non illic esse ubi animat, sed ubi amat.* MAR. *Istud explana crassiùs: non enim satis assequor, quid velis.* PAM. *Et hoc sum infelicior, quòd istud non æquè sentis atque ego.* MAR. *Fac ut sentiam.* PAM. *Eâdem opera fac ut sentiat adamas.* MAR. *Equidem puella sum, non lapis.* PAM. *Verum sed adamante durior.* MAR. *Sed perge colligere.* PAM. *Qui corripiuntur adflatu divino, nec audiunt, nec vident, nec olfaciunt, nec sentiunt, etiamsi occidas.* MAR. *Audivi sanè.* PAM. *Quid conjectas esse in causa?* MAR. *Dic tu philosophe.* PAM. *Nimirum quoniam animus est in cælis, ubi habet quod vehementer amat, & abest à corpore.* MAR. *Quid tum postea?* PAM. *Quid tum dura? Illud consequitur, & me esse mortuum, & te esse homicidam.* MAR. *Ubi est igitur anima tua?* PAM. *Illic ubi amat.* MAR. *Quis autem ademit tibi animam? Quid suspiras? Dic liberè, dices impune.* PAM. *Crudelissima quædam puella, quam ego tamen ne mortuus quidem*

dem odisse possum. MAR. Humanum ingenium. Sed cur illi vicissim non adimis suam animam? par pari, quod aiunt, referens. PAM. Nihil me felicius, siquidem liceat facere permutationem sic, ut illius animus vicissim demigret in pectus meum, quemadmodum meus animus totus demigravit in corpus illius. MAR. At licétne mihi tecum vicissim sophistam agere? PAM. Sophistriam. MAR. Num fieri potest, ut idem corpus sit animatum, & exanime? PAM Non eodem quidem tempore. MAR. Cùm abest anima, tum mortuum est corpus? PAM. Est. MAR. Nec animat, nisi cum adest? PAM. Esto sanè. MAR. Quî fit igitur, ut cùm ibi sit, ubi amat, animet tamen corpus unde demigravit? Quòd si animat, etiam cùm amat alibi, quomodo vocatur exanime corpus, quod animatum est? PAM. Argutare tu quidem satis sophisticè: sed me talibus pedicis non capies. Anima quæ moderatur utcunq; corpus animantis, improprie dicitur anima, quum revera sint tenues quædam animæ reliquiæ: non aliter, quàm odor rosarum manet in manu, etiam rosâ submotâ. MAR. Difficile est, ut video, vulpem capere laqueo. Sed illud responde. Nónne agit qui occidit? PAM. Maximè. MAR. Et patitur qui occiditur? PAM. Scilicet. MAR. Quî fit igitur, ut quum qui amat, agat, quæ amatur, patiatur, occidere dicatur, quæ amatur, quum amans potius occidat seipsum? PAM. Imò contrà: qui amat, patitur: quæ amatur, agit. MAR. Istud

nunquam evinces apud (b) Areopagitas grammaticos. PAM. At evincam apud (c) Amphyctiones dialecticos. MAR. Verùm ne graveris & illud respondere: volens amas, an nolens? PAM. Volens. MAR. Quum igitur liberum sit non amare, videtur homicida sui quisquis amat, præterq; ius accusat puellam. PAM. Atqui puella non ideò occidit, quòd amatur, sed quod non amat mutuum. Occidit autem, quisquis servare potest, nec servat. MAR. Quid si iuvenis amet inconcessa, hoc est, uxorem alienam, aut virginem vestalem? num illa amabit mutuum, ut servet amantem? PAM. Sed hic iuvenis amat, quòd amare fas piúmque est, atque etiam æquum & bonum, & tamen occiditur. Quod si leve est homicidii crimen, & veneficii ream peragam. MAR. Istud prohibeant superi. An (d) Circem quampiam ex me facies: PAM. Aliquid & istâ crudelius. Nam porcus aut ursus esse malim, quàm id quod nunc sum exanimis. MAR. Quo tandem veneficii genere perdo homines? PAM. Fascino. MAR. An igitur vis, ut posthac abs te deflectam noxios oculos? PAM. Bona verba. Imò magis adflecte. MAR. Si mihi sunt oculi fascinatores, qui fit, ut non contabescant & cæteri, quos obtueor? Itaque suspicor fascinum (e) istud esse in tuis oculis, non in meis. PAM. Non sat tibi erat iugulare Pamphilum, ni insultes insuper? MAR. O lepidum mortuum! Sed quando parabuntur exequiæ? PAM. Opinione tuâ celeriùs, ni tu succurras. MAR. Egon' rem tantam possum? PAM. Potu vel

tes vel mortuum ad vitam revocare, idq; minimo negotio. MAR. Si quis mihi porrigat (f) panacem. PAM. Nihil opus herbis: tantùm redama. Quid autem facilius? imò quid æquius? Non aliter absolvéris ab homicidii crimine. MAR. Apud quod tribunal peragar rea? Areopagitarum? PAM. Non: sed apud tribunal Veneris. MAR. Aiunt deam esse placabilem. PAM. Imò nullius ira perinde formidabilis. MAR. Habet (g) fulmen? PAM. Non. MAR. Habet tridentem? PAM. Nequaquam. MAR. Habet hastam? PAM. Minimè. Sed est dea maris. MAR. Non navigo. PAM. Sed habet puerum. MAR. Non est formidabilis ætas. PAM. Vindicem ac pervicacem. MAR. Quid is mihi faciet? PAM. Quid faciet? Prohibeant omnes superi. Nolim enim illi malum ominari, cui benè volo. MAR. Tamen effare: nulla mihi superstitio est. PAM. Dicam ergò. Si hunc spreveris amantem, non omninò mutuo dignum amore, nisi fallor; ille fortasse iussu matris immittet tibi pessimo veneno tinctum iaculum, ut in sordidum aliquem depereas, qui te tamen non redamet. MAR. Supplicium narras abominandum. Ego sanè vel mori præoptarim, quàm perditè amare deformem, nec amore mutuo respondentem. PAM. Atqui nuper huius mali fuit exemplum insigniter editum in puellam quandam. MAR. Vbi locorum? PAM. Aureliæ. MAR. Quot anni sunt? PAM. Quot anni? Vix sunt menses decem. MAR. Puellæ quod erat nomen? Quid hæres? PAM. Nihil: novi tanquam te. MAR. Quin igi-

tur edis nomen? PAM. Quia non placet omen. Vtinam alio quovis nomine dicta fuisset. Idem habebat nomen quod tu. MAR. Pater quis erat? PAM. Vivit adhuc inter iurisconsultos præcipui nominis, resplendidâ. MAR. Adde nomen. PAM. Mauricius. MAR. Cognomen. PAM. Aglaius. MAR. Vivítne mater? PAM. Nuper reliquit superos. MAR. Quo morbo periit? PAM. Quo morbo, rogas? mœrore. Et pater, tametsi vir cum primis fortis, periclitabatur. MAR. Licétne scire matris quoque nomen? PAM. Maximè. Sophronam nemo non novit. Sed quid sibi vult ista percontatio? An me putas (h) apologum comminisci? MAR. Egon' de te suspicarer hoc? Hæc suspicio pronior est in sexum nostrum. Sed narra quid acciderit puellæ. PAM. Puella erat honesto loco nata, ut dixi, re lautâ, formâ perquàm eleganti: quid multis? digna principe marito. Huius nuptias ambiebat procus quidam illi non dissimilis. MAR. Quo nomine? PAM. Hei mihi offendor omine, Pamphilus & ille dictus est. Illa nihil non tentantem pertinacissimè sprevit. Juvenis dolore contabuit. Nec ita multò post, illa deperire cœpit in quendam simium verius quàm hominem. MAR. Quid ais? PAM. Adeò perditè, ut satis dici non queat. MAR. Tam elegans puella tam deformem? PAM. Vertice acuminato, raro capillitio, eoque lacero, & impexo furfure ac lentibus oppleto, pleramq; cranii cutem nudaverat (i) alopecia, oculis refugis, naribus simis ac sursum hiantibus, ore sparso, dentibus putridis, balbutiente

butiente linguâ, mento scabioso, scapulas deformabat gibbus, venter prominulus, crura vara. MAR. *Therſitem quempiam mihi depingis.* PAM. *Imò aiunt illi non fuiſſe niſi unam auriculam.* MAR. *Altera perierat illi fortaſſe in bello.* PAM. *Imò in pace.* MAR. *Quis hoc auſus eſt?* PAM. *Dionyſius carnifex.* MAR. *Fortaſſe formæ infelicitatem penſabat res ampla domi.* PAM. *Imò decoxerat, ac plus quàm animam debebat. Cum hoc marito tam inſignis puella nunc degit ætatem, ac ſubinde vapulat.* MAR. *Rem miſeram narras:* PAM. *Sed veram. Sic viſum eſt* (k) *Nemeſi, iuvenis ſpreti contumeliam ulciſci.* MAR. *Ego citius optarim extingui fulmine, quàm talem ferre maritum.* PAM. *Ergò ne provoca Nemeſim, & amantem redama.* MAR. *Siquidem iſtud ſatis eſt, redamo.* PAM. *Sed optarim iſtum amorem eſſe perpetuum, ac proprium: coniugem ambio, non amicam.* MAR. *Neque me id fugit: ſed diu deliberandum eſt in eo, quod ſemel cœptum reſcindi non poteſt.* PAM. *Apud me quidem nimium diu deliberatum eſt.* MAR. *Vide autem ne tibi imponat amor, non optimus conſultor. Nam cæcum eſſe ferunt.* PAM. *Sed oculatus eſt, qui ex indicio naſcitur. Non ideò mihi talis videris, quòd amem te: ſed ideò te amo, quòd talem te conſpexerim.* MAR. *At vide, ne non ſatis me perſpectam habeas. Si* (l) *calceum induiſſes, tum demum ſentires, qua parte te urgeret.* PAM. *Iacienda eſt* (m) *alea. Quamquam ego multis auguriis colligo, rem melius ceſſuram.* MAR. *Et-*

iam augures? PAM. Sum. MAR. Quibus igitur auguriis colligis? An volavit noctua? PAM. Illa volat stultis. MAR. An à dextris advolavit iugum columbarum? PAM. Nihil istiusmodi. Sed mihi iam annis aliquot perspecta est probitas tuorum parentum: ea primùm avis est non pessima, è bonis prognatam esse. Neque me clam est, quàm salubribus monitis, quàm sanctis exemplis apud hos sis instituta. Et plus est benè institui, quàm benè nasci. Habes alterum augurium. Adhæc, meis maioribus non omninò malis, ni fallor, iam olim cum tuis amicitia non vulgaris intercedit: quin & nos inter nos à teneris, quod aiunt, unguiculis noti sumus, nec malè cõvenit genitis nostris. Iam ætas inter nos, res, dignitas, nobilitas, inter utriusque parentes penè paria sunt. Demum, quod est in amicitia præcipuum, tui mores mihi videntur non pessimè quadrare ad meum ingenium. Potest enim per se præclarum esse, quod tamen non sit aptum. Quàm mei vicissim tuo congruant, nescio. Hæ videlicet aves, mea lux, mihi promittunt, fore inter nos felix, perpetuum, ac lætum iucundumq; connubium, modò ne tuus animus (n) mali ominis cantionem nobis occinat. MAR. Quam cantilenam optas? PAM. Ego præcinam, Sum tuus: tu succine, Sum tua. MAR. Brevis quidem cantiuncula, sed longum habet (o) epiphonema. PAM. Quid refert, quàm longum, modò lætum. MAR. Adeò mihi es invisus, ut nolim te committere, cuius in posterum pæniteat. PAM. Desine malè ominari. MAR. Fortassis

tassis alia tibi videbor: ubi morbus, aut ætas hanc formam immutaverit. PAM. Nec hoc corpus, ô bona, semper erit æquè succulentum: sed ego non contemplor tantùm istud undiq; florens & elegans domicilium: hospitem magis adamo. MAR. Quem hospitem? PAM. Animum istum tuum, cuius decor semper cum ætate crescet. MAR. Næ tu plus quàm Lynceus es, si istum perspicis per tot tectoria. PAM. Animum animo perspicio. Adhæc in communibus liberis subinde rubescemus. MAR. Sed interim perit virginitas. PAM. Verum. Sed eho, dic mihi, si tibi esset elegans pomarium, optares illic nihil unquam gigni præter flores: an malles, delapsis floribus videre arbores maturis pomis gravidas? MAR. Vt argutatur? PAM. Saltem illud responde: utrum est elegantius spectaculum, vitis humi iacens & computrescens, an amplexa palum aut ulmum, eamq; purpureis uvis degravans? MAR. Responde tu mihi vicissim: utrum spectaculum amœnius, rosa nitens ac lactea in suo frutice, an decerpta digitis, ac paulatim marcescens? PAM. Ego rosam existimo feliciorem, quæ marcescit in hominis manu, delectans interim & oculos & nares, quàm quæ senescit in frutice. Nam & illic futurum erat ut marcesceret: quemadmodum felicius est vinum, quod bibitur ante quàm acescat. Quanquam non statim marcescit flos puellæ, si nupserit: imò video multas, quæ ante nuptias pallebant, languebant, ac velut extabescebant: ex congressu viri sic enituisse, ut tum demum florere cœperint. MAR. Atta-

men favorabilis ac plausibilis apud omnes est virginitas. PAM. *Elegans quidem res, puella virgo: sed quid iuxta naturam prodigiosius anu virgine? Nisi matri tuæ defluxisset flos ille, nos istum floſculum non haberemus. Quod si, ut spero, non sterile fuerit nostrum coniugium, pro una virgine multas dabimus.* MAR. *At tamen aiunt, rem Deo gratissimam esse castitatem.* PAM. *Et ideò castam puellam mihi cupio nubere, ut cum illa caste vivam. Magis erit animorum, quàm corporum coniugium. Gignemus Reip. gignemus Christo. Quantulum aberit hoc matrimonium à virginitate? Et fortasse olim sic convivemus, quemadmodum vixit cum Maria Ioseph. Sed interim discemus virginitatem. Non enim statim pervenitur ad summum.* MAR. *Quid audio? Violanda virginitas, ut discatur?* PAM. *Quid ni? Quemadmodum paulatim bibendo vinum parciùs, discimus esse (p)abstemii. Vter tibi videtur esse temperantior, qui in mediis delitiis accumbens abstinet, an qui semotus ab his, quæ provocant intemperantiam?* MAR. *Arbitror eum fortiùs temperantem, quem parata copia non potest corrumpere.* PAM. *Vtri veriùs debetur laus castitatis, ei ne, qui semet exsecat, an qui membris integris, tamen abstinet à Venere:* MAR. *Equidem posteriori, meo calculo, tribuerim laudem castitatis priori dementiam.* PAM. *At voto adstricti abiurant matrimonium, nónne quodammodo enecant sese?* MAR. *Videtur.* PAM. *Iam non est virtus non coire.* MAR. *An non est?* PAM. *Sic accipe.*

cipe. Si per se virtus esset non coire, vitium esset coire. Nunc incidit, ut vitium sit non coire, coire virtus. MAR. Quando hoc incidit? PAM. Quoties ab uxore ius suum petit maritus, præsertim si prolis amore quærit complexum. MAR. Quid si lasciviat, non est fas negari? PAM. Fas est monere, vel rogare potius blandiùs, ut temperet: pernegare instanti, fas non est. Quanquam hac quidem in parte raras audio querelas maritorũ de suis uxoribus. MA. At dulcis est libertas. PAM. Imò gravis est sarcina virginitas. Ego tibi rex ero, tu mihi regina: imperabimus familiæ nostro arbitratu. An tibi videtur ista esse servitus? MAR. Vulgus coniugium capistrum vocat. PAM. Sed ipsi vero capistro digni sunt, qui sic vocant. Dic mihi quæso, an non animus tuus est alligatus corpori? MAR. Videtur. PAM. Non aliter quàm avicula caveæ. Et tamen consule illum, an cupiat esse liber. Negabit, opinor. Quam ob rem? Quia libenter est alligatus. MAR. Res est utrinque modica. PAM. Tantò tutior. Eam tu domi augebis parsimoniâ, quæ non sine causa dicta est magnum vectigal: ego foris industriâ. MAR. Innumeras curas secum adferunt liberi. PAM. Sed iidem innumeras voluptates, ac sæpenumero multo cum fœnore reponunt parentibus officium. MAR. Misera quædam est res orbitas. PAM. An nunc orba non es? Quid autem opus in re dubia malè ominari. Dic mihi utrum malles, nunquam nasci, an nasci moritura? MAR. Equidem malim nasci moritura. PAM. Sic miserior est orbitas, quæ prolem

lem nec habuit, nec habitura est: quemadmodum feliciores sunt qui vixerũt, quàm qui nec nati sunt, nec nascentur unquam. MAR. Qui sunt isti, qui non (q) sunt, nec erunt? PAM. Quanquam qui recusat casus ferre humanos, quibus omnes ex æquo sumus obnoxii, sive plebei sumus, sive reges, is è vita migret oportet: tamen quicquid acciderit, tu non feres dimidium, ego maiorem portionem in me transferam. Ita si quid acciderit læti, gemina fiet voluptas: si quid mali, societas adimet dimidium ægritudinis. Mihi verò si fata volent, dulce fuerit vel immori tuis complexibus. MAR. Facilius ferunt homines, quòd iuxta communes naturæ leges accidit: sed video, quantò plus molestiarum afferunt nonnullis parentibus liberorum mores, quàm mortes. PAM. Istius rei ne quid accidat, maxima ex parte in nobis situm est. MAR. Qui sic? PAM. Quoniam ferè boni nascuntur ex bonis, quod ad indolem attinet. Neque enim è columbis nascuntur milvii. Dabimus igitur operam, ut ipsi boni simus. Deinde curabimus liberos nostros, ab ipso statim lacte, sanctis præceptis & opinionibus imbuendos. Plurimum refert, quid infundas rudi testulæ. Adhæc curabimus, ut domi habeant exemplum vitæ, quod imitentur. MAR. Difficile est quod narras. PAM. Nec mirum, quia pulcrum est, atque ob hoc ipsum tu quoque difficilis es. At tantò studiis acrioribus huc enitemur. MAR. Habebis sequacem materiam: tu vide ut me formes fingasq;. PAM. Sed interim pronuncia tria verba. MAR. Nihil facilius:

lius: sed verba simul atq; semel evolarint, non revolant. Dabo consilium utriq; commodius. Ages cum tuis ac meis parentibus, ut utrorumq; voluntate res transigatur. PAM. Ambire me iubes: tu potes tribus verbis rem certam reddere. MAR. An possim nescio: mei iuris non sum. Nec sine maiorum authoritate olim coibant coniugia. Verum ut cunque est, arbitror auspicatius fore nostrum coniugium, si parentum authoritate coëat. Et vestrum est ambire: nobis decorum non est. Gaudet enim rapi virginitas, etiamsi nonnunquam vehementius amemus. PAM. Non pigebit ambire, modò, ne me frustretur tuum unius suffragium. MAR. Non frustrabitur, bono animo esto, mi Pamphile. PAM. Tu mihi hîc religiosior es, quàm vellem. MAR. Imò tu tuum ipsius suffragium apud te prius expendito. Nec adfectum istum tuum adhibe in consilium, sed rationem. Quod adfectus decernit, temporarium est: quod autem dictat ratio, perpetuò solet placere. PAM. Næ tu pulchrè philosopharis: Itaq; parere certum est tuis consiliis. MAR. Non pœnituerit obsequii. Sed heus tu, incidit interim scrupulus, qui meum animum malè habet. PAM. Valeant scrupuli. MAR. Vis me nubere mortuo? PAM. Nequaquam, sed revixero. MAR. Amovisti scrupulum. Bene vale mi Pamphile. PAM. Istud tu cura. MAR. Precor tibi lætam noctem. Quid suspiras? PAM. Lætam noctem ais? Vtinam largiare quod precaris: MAR. Ne quid præpropere, adhuc tua(r) messis in herba est. PAM. Nihilne(s) tui

mecum

mecum auferam? MAR. *Hunc* (t) *pastillum, qui tibi cor exhilaret.* PAM. *Adde saltem osculum.* MAR. *Cupio tibi virginitatem integram & illibatam tradere.* PAM. *An osculum aliquid decerpit virginitati:* MAR. *Vis igitur ut aliis quoque largiar oscula?* PAM. *Nequaquam: mihi servare volo mea oscula.* MAR. *Tibi servo. Quanquam est aliud, cur in præsentia nec ausim dare osculum.* PAM. *Quid istud?* MAR. *Ais tuum animum penè totum demigrasse in corpus meum, in tuo quam minimum supereſſe. Vereor itaque ne in osculo hoc ipsum quod in te supereſt, transiliat in me, tuq; iam totus fias exanimis. Accipe igitur dextram, mutui amoris symbolum, ac bene vale. Tu quaviter rem gere. Ego interim Christum comprecabor, ut quod agitur, utrique nostrum velit esse felix ac faustum.*

(a) *Achilleum* argumentum irrefragabile est apud Aristotel. lib. de Physico auditu. (b) Athenis *Areopagita* iudicabant de capitalibus, unde ridicule deflectit vocem ad Grammaticos. (c) *Amphyction*, concilium erat, quod apud Thermopylas cogi solebat, ad quod duodecim populi conveniebant sub Amphyctione Deucalionis filio. Sic & Dialecticorum variæ sunt sectæ. (d) *Circe* filia Solis, insignis venefica. (e) *Fascinum* veneficii genus, quo homines oculorum maleficio ad extremos miseriarum terminos dejiciuntur. (f) *Panace* herba, quæ medetur omnibus morbis unde & nomen habet. (g) *Fulmen* est telum Jovis, *tridens* Neptuni, *hasta* Palladis. (h) *Apologum* fabulam rem vanam dicit. (i) *Alopecia* defluvium capillorum, morbus fœdus. (k) *Nemesis* dea vindex insolentiæ.

lentiæ. (l) Alludit ad dictum Pauli Æmilii, *repudiata uxore.* (m) *Lacere aleam*, facere periculum significat. (n) *Malo minus* videlicet, si recuset. (o) Epiphonema, quod in fine acclamatur, facile est dicere, *Sum tua*, sed sic cõtrahitur indissolubile vinculum. (p) *Abstemii*, qui non bibunt vinum, quasi dicat, absq; temeto. (q) Jocatur in hoc, quod ridicule dixerat juvenis, cum qui non sunt, nec futuri sunt, plus aut minus felices dici non possunt. (r) *Tua messis in herba est*, ait Ovi. à segete ductum, quæ primum herbescit, deinde fert aristas, tandem flavescit. (s) Ambigue dictum. Nam si sit genitivus à *Tu.* petit osculum: si à *Tuum* petit aliud. At illa secùs interpretatur, quàm ille senserat. (t) *Pastillus* est sphærula ex odoribus confecta, quam manibus circumferunt. Horat. *Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.*

VIRGO (a) MISOGAMOS

(b) EVBVLVS, CATHARINA.

EVB. *Gaudeo tandem finitam esse cœnam, ut liceat hac frui deambulatione, qua nihil amœnius.* CAT. *Et me iam tædebat sessionis.* EVB. *Quàm vernat, quàm arridet undiq; mundus? Hæc nimirum est illius adolescentia.* CAT. *Sic est.* EVB. *At cur tuum ver non æquè arridet?* CAT. *Quamobrem?* EVB. *Quia subtristis es.* CAT. *Maximè.* EVB. *Vides hanc rosam sub imminentem noctem foliis contractioribus?* CATH. *Video. Quid tum postea?* EVB. *Talis est vultus tuus* CATH. *Bella collatio.* EVB. *Si mihi parum credis, in hoc fonticulo contemplare teipsam. Quid sibi tandem volebant & inter cœnandum ista tam crebra suspiria?* CATH. *Desine percontari, quod*

CAT. An videor alio vultu, qm̃ soleo? tua
EVB. Vis ostendã te tibi?

tua non refert scire. EVB. *Imò mea refert maximè, qui non possum esse hilaris, nisi te quoq; videam hilarem. Ecce autem iterum suspirium, hui quàm eximo pectore ductum.* CATH. *Est quod angat animum: sed effari non est tutum.* EVB. *Mihi non dices, qui te chariorem habeo sorore propriâ? Mea Catharina, ne verere: quicquid est rei tutò depones his auribus.* CATH. *Vt tutò dicam, vereor ne frustra dicam non auxiliaturo* EVB. *Qui scis?* (c) *Si non reipsa, fortassis consilio, consolandoq; iuvero.* CATH. *Non possum eloqui.* EVB. *Quid istud est rei? odisti me?* CATH. *Sic odi, ut mihi minus charus sit meus germanus: & tamen animus non fert ut eloquar.* EVB. *Fateberis igitur, si divinaro? Quid tergiversaris? Promitte alioquin non omittam urgere.* CATH. *Age promitto.* EVB. *Prorsus ego non video quid tibi desit ad summam felicitatem.* CATH. *Vtinam vera prædicares.* EVB. *Primùm adest ipse flos ætatis. Nam, nisi fallor, agis annum iam decimum septimum.* CATH. *Sic est.* EVB. *Nondum igitur, opinor, discruciat te metus senectæ.* CATH. *Nihil minus.* EVB. *Adest forma nulla parte non felix: est & istud præcipuum Dei donum.* CATH. *De forma, qualis est, nec glorior, nec queror.* EVB. *Tum color & habitudo corporis indicat te esse prosperâ valetudine, nisi quid est morbi occultioris.* CATH. *Nihil istiusmodi, gratia Deo.* EVB. *Fama est integra.* CATH. *Ita confido.* EVB. *Adest ingenium isto dignum corpore felicissimum, & quale mihi optem*

ad

ad liberales disciplinas. CATH. *Si quod est, Dei munus est.* EVB *Nec deest morum amabilis gratia, quam in felicissimis etiam formis non raro desideramus.* CATH. *Optarem equidem mores me dignos.* EVB. *Multorum animos deiicit generis infelicitas: tibi parentes sunt & bene nati, & probi, & re lautâ, & tui amantissimi.* CATH. *Hinc nihil queror.* EVB. *Quid multis? Ego mihi ex omnibus puellis, quas habet hæc regio, non delegerim aliam sponsam, quam te, si quod sydus mihi prosperum adfulgeret.* CATH. *Nec ego deligerem alium sponsum, si placeret illius coniugium.* EVB. *Et tamen magnum quiddam esse debet, quod sic discruciat animum tuum.* CATH. *Est omninò non leve.* EVB. *Non ægrè feres, si divinem?* CATH. *Jam pollicita sum.* EVB. *Expertus novi quanta crux sit amor. Agè, fatere nunc, promisisti,* CATH. *Amor est in causa: sed non eius generis, cuius tu suspicâre.* EVB. *Quod genus tu mihi narras?* CATH. *Divina.* EVB. *Equidem consumpsi omnem divinationem meam. Et tamen non omittam hanc manum, donec extorsero quid sit.* CAT. *Vt violentus es!* EVB. (d) *Depone in sinum meum quicquid istud est curæ.* CAT. *Quando sic urges, dicam. Jam inde à teneris annis me mirus quidam affectus habebat.* EVB. *Quis obsecro?* CATH. *Vt adiungerer collegio sacrarum virginum.* EVB. *Vt fieres monacha?* CATH. *Sic habet.* EVB. *Hem, pro (e) thesauro carbones.* CATH. *Quid ais Eubule?* EVB. *Nihil, mea lux.*

tussiebam.

tussiebam. Sed perge dicere. CATH. Huic animo meo semper pertinacissimè restitêre parentes. EVD. Audio. CATH. Ego contrà precibus, blanditiis, lacrymis oppugnabam parentum pietatem. EVD. Res mira. CATH. Tandem cùm ego nullum facerem finem orandi, obsecrandi, obtestandi, lacrymandi, polliciti sunt, ubi pervenissem ad annum decimum septimum, sese obtemperaturos voluntati meæ, si modò tum idem perstaret animus. Venit is annus: manet idem animus: parentes tamen contra promissum pernegant: hoc est, quod discruciat animum meum. Aperui morbum meum: tu nunc medicum age, si quid potes. EVD. Primùm illud dabo consilium suavissima virgo, ut modereris affectibus tuis: & si id non continget quòd vis, id velis quod possis. CATH. Emoriar, nisi quod volo adsequar. EVD. Et unde cepisti istum fatalem affectum? CATH. Olim admodum puella ducta sum in quoddam virginum collegium, circumducebamur, ostendebantur omnia: placebant virgines vultibus nitentibus, videbantur angelæ: in templo nitebant omnia atque etiam fragrabant, nitebant horti cultissimi. Quid multis? nihil non arridebat, quocunque vertebam oculos. Accedebant ad hæc blandissima virginum colloquia. Vnam atque alteram illic reperi, quî cum olim infantula lusitare consuevi. Ex eo tempore cœpit animus ardere eius vitæ desiderio. EVD. Non sum improbaturus sacrarum virginum institutum: quanquam non omnia conducunt omnibus: sed habita tui genitura-

tione,

tione, quem mihi videor ex vultu, moribusq; tuis collegisse. suaserim, ut nubas marito tui simili, tuaq; domi novum instituas collegium, cuius maritus agat patrem, tu matrem. CATH. Emoriar citius, quàm virginitatis propositum deseram. EVB. Res est egregia virginitas, si pura sit: sed nihil necesse est, ut hac gratia dedas te in collegium, unde non possis postea eximi. Licet apud parentes virginitatem tueri tuam. CATH. Licet: at non perinde tutò. EVB. Imò, ut ego arbitror, aliquanto tutiùs, quàm apud illos crassos semper cibo distentos monachos. Nec enim castrati sunt, ne tu sis insciens. Patres vocantur, ac frequenter efficiunt, ut hoc nomen verè competat in ipsos. Olim nusquam virgines honestiùs vivebant, quàm apud parentes: nec alium habebant patrem, quàm episcopum. Sed obsecro, dic mihi, quod tibi collegium ex omnibus delegisti, cui te addicas in servitutem? CATH. (f) Chrysertium. EVB. Agnosco, ædibus paternis vicinum. CATH. Rectè. EVB. Atqui pulchrè novi totum hoc sodalitium, dignum verò ob quod patrem ac matrem, & cognatam tibi, honestamq; familiam repudies. Nam ille patriarcha iam pridem & ætate, & vino, & naturâ delirus est, nec illi quicquam iam sapit præter vinum. Habet duos sodales sed dignos. Johannes, ut fortasse vir malus non est, ita nihil habet viri, præter barbam; eruditionis ne pilum quidem; prudentiæ, non multò plus: Jodocus adeo stupidus est, ut nisi veste sacra commendaretur, obambularet publicitus in cuculla fatui cum auri-

culis ac tintinnabulis. CATH. *Mihi videntur viri boni.* EVB. *Melius istos novi quàm tu, mea Catharina. Isti fortasse sunt tibi patroni apud parentes, ut efficiant te,* (g) *proselytam suam.* CATH. *Iodocus maximè favet.* EVB. *O fautorem! sed fuc istic nunc esse viros doctos ac bonos, cras erunt indocti ac mali: & quicunq; obtigerint, tibi erunt ferendi.* CATH. *Offendunt me in ædibus paternis crebra convivia: nec semper virginea sunt, quæ illic dicuntur inter coniugatos. Et aliquoties fit, ut osculum negare non possim.* EVB. *Qui vitare studet quicquid offendit, is è vita migret oportet. Ita sunt aures assuefaciendæ, ut audiant omnia, nec tamen nisi bona transmittant in animum. Parentes, opinor permittunt tibi cubiculum peculiare.* CATH. *Maximè.* EVB. *Eò te subducas licebit, si quod convivium acciderit turbulentius: & dum illi potant ac nugantur, tu confabulare cum sponso tuo Christo, ora, psalle, gratias age. Non te inquinabit domus paterna, sed tu reddes eam puriorem.* CATH. *Attamen tutius est esse in sodalitio virginum.* EVB. *Non improbo castum sodalitium: nolim tamen te falli falsâ imaginatione. Vbi illic versata fueris aliquandiu, ubi propius inspexeris, fortassis non perinde nitebunt omnia, ut tibi quondam nitere videbantur. Nec omnes virgines sunt, mihi crede, quæ* (h) *velum habent.* CATH. *Bona verba.* EVB. *Imò bona verba sunt, quæ vera sunt: nisi fortasse* (i) *elogium quod nos hactenus indicavimus esse virgini matri proprium, ad plures*

transiit, ut dicantur & à partu virgines. CATH. Abominor. EVB. Quin insuper, nec alioquin inter illas virgines sunt omnia virginea. CATH. Non? Quam obrem obsecro? EVB. Quia plures inveniuntur, quæ mores æmulentur (k) Sapphus, quàm quæ referant ingenium. CATH. Istud quid sit, non satis intelligo. EVB. Atque ideò hæc verba facio, ne quando intelligas, mea Catharina. CATH. Attamen animus eò fertur, atque hinc colligo, hunc spiritum à Deo proficisci, quòd tot iam annis perseverat, & indies fit acrior. EVB. Imò mihi hoc nomine suspectus est iste tuus spiritus, quòd sic repugnant optimi parentes. Afflasset & illorum animos Deus, si pium esset quod moliris. Sed istum spiritum hausisti ex illis nitoribus, quos admodum puella vidisti, ex blandis virginum alloquiis, ex affectu erga veteres sodales, ex cultu sacro, ex cæremoniis sanè quàm speciosis, ex improbis hortatibus stultorum monachorum, & qui in hoc te venantur, ut largiùs potent. Sciunt patrem esse liberalem ac benignum: aut illum habebunt convivam, sed hac lege, ut secum adferat vinum, quod decem strenuis potoribus sat sit: aut ipsi potabunt apud illum. Quare tibi fuerim author, ne quid novi tentes invitis parentibus, in quorum potestate nos Deus esse voluit. CATH. In hoc negotio pium est contemnere patrem & matrem. EVB. Christi causâ pium est, alicubi negligere patrem & matrem. neque enim piè faciat qui Christianum patrem Ethnicum, cuius omne vitæ præsidium pendeat à filio, deserat sinatq;

perire fame. Si nondum esses professa Christum in baptismo, & parentes vetarent te baptizari: piè faceres, si Christum præferres impiis parentibus. Aut si nunc parentes adigerent ad impietatem aut turpitudinem: contemnenda esset illorum authoritas. Sed quid hoc ad collegium? Et domi Christum habes. Natura dictat, Deus approbat, Paulus hortatur, leges humanæ sanciunt, ut filii obediant parentibus: & tu te subduces ab authoritate parentum optimorum, ut pro vero patre te dedas factitio: & pro vera matre, tibi adsciscas alienam: aut potius, ut pro parentibus tibi dominos ac dominas adsciscas? Nam parentibus ita es obnoxia, ut tamen te liberam esse velint. Vnde & liberi vocantur filii familiâs, quòd absint à conditione servorum. Nunc te pro libera tendis ultrò servam reddere. Christiana clementia maxima ex parte submovit omnem illam veterum servitutem, nisi quòd in paucis(l) regionibus adhuc resident vestigia. At inventum est sub prætextu religionis novum servitutis genus, ut nunc sanè in plerisq; monasteriis vivitur. Nihil ibi licebit, nisi ex præscripto: quicquid obvenerit tibi, illis accrescet: si quò pedem moveris, retraheris è fuga, perinde quasi parentem veneno necaveris. Quóque sit evidentior servitus, commutant vestem, quam dedêre parentes, & ad exemplum priscum eorum, qui olim servos essent mercati, commutant nomen in baptismo inditum, ac pro Petro, sive Joanne, vocant Franciscum, aut Dominicum, aut Thomam. Petrus dedit nomen Christo, & Dominico

nico initiandus vocatur Thomas: Si militaris servus abiiciat vestem à domino datam, videtur abdicasse dominum: & nos applaudimus illi, qui vestem accipit, quam Christus omnium Dominus non dedit: & ob hanc mutatam gravius punitur, quàm si centies abiiciat vestem imperatoris ac Domini sui, quæ est mentis innocentia. CATH. Atqui hoc ipsum aiunt eximii meriti, si quis se sponte dedat in hanc servitutem. EVB. Ista verò doctrina Pharisaica est. Paulus contra docet, ut qui liber vocatus sit, ne velit fieri servus, sed potius operam det, ut fiat liber. Atqui hoc infelicior est servitus, quòd pluribus dominis tibi serviendum sit: quod plerunque stultis & improbis: quòd incertis ac subinde novis. Illud mihi respondè. (m) Emancipant te leges à iure parentum? CATH. Nequaquam. EVB. Licetne igitur tibi emere aut vendere fundum invitis parentibus? CATH. Minimè. EVB. Vnde igitur tibi ius, ut teipsam dedas nescio quibus, invitis parentibus? An non tu illis charissima, maximéque propria es possessio? CATH. In negotio pietatis cessant naturæ leges. EVB. Negotium pietatis potissimum agitur in baptismo: hic tantùm agitur de veste mutanda, deq; genere vitæ, quod per se neque bonum est, neque malum. Jam illud mihi considera, quantum commoditatum simul amittas cum libertate. Nunc tibi liberum est in tuo cubiculo legere, orare, psallere, quantum & quando gratum est animo tuo. Quòd si tædet cubiculi, licet audire cantiones ecclesiasticas, adesse sacris, audire sa-

cras conciones: & si quam videris matronam aut virginem egregiè probam, ex eius colloquio fieri meliorem: si quem virum insigni probitate præditum, ex eo discere, quod te reddat meliorem: licebit & concionatorem deligere, qui purissimè Christum doceat. Has res omneis, ex quibus præcipuus est profectus ad veram pietatem, amittis, semel addicta collegio. CATH. *Sed interim non ero monacha.* EVB. *Adhuc te movent nomina? Rem ipsam perpendito. Illi iactant obedientiam. Num ea laus tibi deerit, si obedias parentibus tuis, quibus Deus iubet obediri? si episcopo tuo & pastori tuo? Num paupertatis, quum in parentum manibus sint omnia? Quanquam olim in sacris virginibus præcipuè laudabatur à sacris viris, liberalitas in pauperes: eam præstare non poterant, si nihil possidebant. Porrò castitati tuæ nihil decedet: etiam si vivas apud parentes. Quid igitur super est? Velum, linea vestis ex intima versa in extimam, cæremoniæ quædam, quæ per se nihil faciunt ad pietatem, neque quenquam commendant oculis Christi, qui spectat animi puritatem.* CATH. *Nova prædicas.* EVB. *Sed verissima. Quum non sis emancipata à iure parentum, quum tibi ius non sit vendendi vestem aut agrum, quomodo tibi ius facis dedendi te in servitutem alienam?* CATH. *Ius parentum, ut aiunt, non impedit ingressum religionis.* EVB. *In baptismo nónne professa es religionem?* CATH. *Sum.* EVB. *Nónne religiosi sunt, quicunque sequuntur præcepta Christi?* CATH. *Maximè*

ximè. EVB. *Quæ est igitur ista nova religio, quæ facit irritum quod & naturæ lex sanxit, & vetus lex docuit & evangelica lex comprobavit, & apostolica doctrina confirmavit? Istud decretum non est à Deo proditum, sed in monachorum senatu repertum. Sic definiunt quidam & matrimonium esse ratum, quod insciis, aut etiam invitis parentibus inter puerum & puellam per verba de præsenti (sic enim illi loquuntur) contractum est. Atqui istud dogma nec naturæ sensus approbat, nec veterum leges, nec Moses ipse, nec Evangelica aut Apostolica doctrina.* CATH. *An igitur putas mihi non esse fas nubere Christo, nisi comprobantibus parentibus?* EVB. *Iam, inquam, nupsisti Christo, & illi nupsimus omnes. Quæ bis nubit eidem viro? Tantum agitur de loco, de veste, de cæremoniis. Ob has res non arbitror esse contemnendum ius parentum. Et videndum est, ne dum paras nubere Christo, (n) nubas alijs.* CATH. *At isti prædicant nihil esse sanctius, quàm hîc contemnere parentes,* EVB. *Ab istis igitur doctoribus exige, ut proferant aliquem è sacris libris locum, qui hoc doceat: quòd si non poterunt, iubeto eos ebibere calicem vini (o) Belnensis: hoc poterunt. Ab impijs parentibus ad Christum cõfugere, pietatis est. Sed à pijs ad monachismum, hoc est, quòd non raro usu venit, à probis ad improbos, quæ rogo, pietas est? Quanquam & olim ad Christum à paganismo conversus idololatris parentibus debebat obsequium, quatenus citra pietatis iacturam fieri poterat.* CATH. *Damnas igitur hoc*

totum vitæ institutum. EVB. *Nequaquam. Verùm quemadmodum nemini suadere velim, ut quæ se in hoc vitæ genus coniecerit, luctetur emergere: ita non dubitem hortari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temerè eò præcipitent, unde post sese non possint explicare: præsertim quum in ipsis collegiis sæpe gravius periclitetur virginitas: ac domi præstare valeas, quicquid ibi præstatur.* CATH. *Vrges tu quidem multis ac magnis argumentis, tamen hic affectus meus eximi non potest.* EVB. *Si non persuadeo, quod tamen optarim: saltem illud fac memineris, Eubulum monuisse. Interim pro meo in te amore precor, ut tuus iste adfectus felicior sit meo consilio.*

(*a*) Abhorrens à nuptiis. (*b*) *Eubulus*, bonus consultor. (*c*) *Deponit magistratum*, qui se eo abdicat: *deponit pignus*, qui certat, & *deponit* qui rem suam servandam tradit alienæ fidei. Sic Horat. *Quicquid habes, age, depone tutis auribus.* (*d*) Id est, secretò committe taciturno. (*e*) Proverb. cùm aliud invenitur, quàm expectatur. (*f*) *Chrysertium*, fictitium nomen est: videtur innuere collegium, quod est Gaudæ juxta claustrum, quo naves excluduntur aut admittuntur. (*g*) *Proselytam*, advenam, quæ ex Christi verbis in professionem & sectam monachorum, inque illorum verba juravit. Allusum ad locum Matth. 23. (*h*) *Velum*, flamea, qua velabantur sacerdotes & virgines Vestales. (*i*) *Elogium*, titulus meriti, qui solet addi in legatis, aut in munere. Eò scribendum arbitror *ellogium*, ab imputando, quanquam reclamantibus codicibus. (*k*) *Sapphus* genitivus est quartæ declinationis contractorum Græcus, sicut *Didus*. Hujus ingenium mirè prædicatur, sed mores infamantur, quod fuerit τριζᾶς, id enim tectè significatum est. (*l*) In nonnullis Germaniæ partibus adhuc

huc est servorum genus. Venetiis venduntur Mauri & Mauræ, non aliter quàm boves. (m) *Emancipant*, hoc est, manu mittunt, liberè vivere sinunt. (n) Hoc dicit propter collegia virginum, quæ non vivunt juxta regulam, in quibus nonnunquam proh dolor, una nubit multis. (o) *Belna* oppidum in ducatu Burgundiæ, unde vina laudatissima.

Virgo pœnitens.

EVBVLI, CATHARINÆ.

EVB. *Tales ianitrices mihi semper optarim.* CATH. *Et ego semper tales pulsatores.* EVB. *Sed vale Catharina.* CATH. *Quid ego audio? Valebo prius quàm salveam?* EVB. *Non huc veni, ut te viderem lacrymantem. Quid sibi vult, quod protinus me conspecto lacrymis suffusi sunt oculi?* CAT. *Quo fugis? mane, mane, inquam, sumam alium vultum, & ridebimus affatim.* EVB. *Quas aves hîc video?* CATH. *Est illius collegii patriarcha. Ne subducto te, iam perpotarunt: accumbe paulisper: illo digresso confabulabimur nostro more.* EVB. *Age, obtemperabo tibi, quæ mihi noluisti. Nunc soli sumus, narra totam fabulam. Malim enim ex te cognoscere.* CATH. *Ex tot amicis, quos putabam sapere plurimum, nunc sentio nullum fuisse, qui mihi prudentius ac senilius consilium dederit, quàm tu omnium natu minimus.* EVB. *Dic quomodo tu expugnasti parentum adfectum:* CATH. *Primùm improbis hortatibus monachorum & monacharum. Deinde etiam meis precibus ac blandimentis labefactatus est matris animus, pater nullo pacto quibat perpelli. Tandem omnibus admotis*

machinis, & hic victus & oppressus est potiùs quàm adsensit. Id factum est inter pocula, minitabantur homini malum exitium, si Christo suam sponsam pernegaret. EVB. O improbitatem stolidorum. Quid fit deinde? CATH. Servor triduo domi clàm: interim semper aderant mulieres aliquot eius collegii quas illi Consanctimoniales vocant, hortatibus suis addentes animum, ut persisterem in sancto proposito, ac solicitè caventes, ne qua cognatarum aut sodalium adiret me, quæ mentem videretur mutatura. Interim adornabantur vestes, aliaq; quæ ad convivium attinebant. EVB. Tibi quid interim erat animi? Num vacillabas? CATH. Non: sed passa sum quiddam tam horrendum, ut malim emori decies, quam iterum perpeti. EVB. Quæso quid istud erat? CATH. Non possum effari. EVB. Quod mihi dixeris, amico tuo dixeris. CATH. Promittis silentium? EVB. Id præstiturus eram, etiamsi nulla fuisses stipulata. Quasi verò me nondum noris. CATH. Apparuit mihi spectrum horribili specie. EVB. Is nimirum erat genius tuus malus, qui te eò instigabat. CATH. Prorsus opinor fuisse cacodæmonem. EVB. Dic mihi, quæ species erat? Est ne talis, qualis pingitur: rostro adunco? longis cornibus harpyarum unguibus, prælongâ caudâ? CAT. Tu ludis: at ego malim mihi terram debiscere, quàm denuò tale videre spectrum. EVB. Interim aderant illæ mulieres hortatrices? CATH. Non, nec unquam illis indicavi, tametsi valde sciscitantibus quid esset mali, cùm me totam exanimatam offenderent.

derent. EVB. *Vis tibi dicam quid fuerit?* CAT. *Siquidem potes.* EVB. *Illæ mulieres incantaverant tibi cerebrum. Sed interim tu persistebas in sententia?* CATH. *Maximè. Nam aiebant id multis accidere, qui se consecrant Christo: verùm si primo illo congressu superetur tentator, post tranquilla fore omnia.* EVB. *Quâ pompâ producta es?* CATH. *Adornant me toto mundo meo, demittunt capillos: itaq; non aliter quàm nuptura sponso.* EVB. (a) *Crasso monacho, hem, malè sit huic tussi.* CATH. *Ex ædibus paternis clarâ luce deducor ad collegium, multis ad spectaculum concurrentibus.* EVB. *O scitos histriones, ut norunt agere suas fabulas simplici popello! Quot dies egisti in illo sancto virginum collegio?* CATH. *Fermè duodecim.* EVB. *Sed quæ res verterat animum tuum tam pertinacem?* CATH. *Non dicam quid sit, sed aliquid magni fuit. Post sex ab ingressu dies, accerso matrem, obtestans, obsecrans, si me vivam vellet, ut me eximeret ab eo collegio. Illa reluctatur animo meo, & hortatur ad constantiam. Post accerso patrem. Ille etiam obiurgat, addens se ægrè vicisse suos adfectus, ut vicissim nunc vincerem animũ meum, nec hoc dedecus conciliarem sibi, quòd resiliissem ab instituto. Tandem ubi video me nihil proficere, respondeo parentibus, me si ita iubeant, in gratiam illorum morituram. Nam hoc mihi certum esse, nisi maturè eximerer. Hoc audito, reduxerunt domum.* EVB. *Bene habet quòd maturè resilieris, priusquam servitutem æternam esses professa. Sed nondum audio*

quæ

quæ res mutarit animum tuum tam subitò? CAT. *Hoc nemo mortalium ex me scit hactenus, nec tu scies.* EVB. *Quid si divinem?* CATH. *Nec divinabis sat scio: & si divines, non dicam.* EVB. *Tametsi coniecto. Verùm interim periit sumptus.* CATH. *Plus quàm quadraginta coronati.* EVB. (b) *O comessatores nuptiales. Gaudeo tamen periisse pecuniam, te nobis incolumi. posthac auscultabis melioribus consiliis.* CATH. *Ita faciam, & cum piscatore icta sapiam.*

(a) *Grassò monacho.* Hoc dicit adversus, & fingit tussim.
(b) *Comos* Deus est luxus. Inde κωμάζειν, & latinè comessari, quod est genialiter, & cum luxu vivere. Non enim dicitur à comedendo.

CONIVGIVM.

(a) EVLALIA, XANTIPPE.

EVL. *Salve multùm exoptatissima mihi Xantippe.* XAN. *Salve tantundem mihi charissima Eulalia. Vidêre mihi solito formosior.* EVL. *Ita ne statim me scommate excipis?* XAN. *Non profectò, sed ita mihi videris.* EVL. *Fortasse nova vestis commendat formam.* XAN. *Rectè coniectas. Nihil iam diu vidi elegantius. Suspicor pannum esse Britannicum.* EVL. *Lana Britannica est, tinctura Veneta.* XAN. *Mollities byssum superat. Quàm verò blandus purpuræ color? Vnde tibi tam egregium munus?* EVL. *Vnde decet honestas matronas accipere, nisi à maritis suis?* XAN. *O te felicem, cui talis contigit sponsus. At ego vellem me nupsisse*

nupsisse (b) fungo, cùm meo nuberem Nicolao. EVL. Quid ita, quæso te? tam citò malè convenit inter vos? XAN. Nec unquam conveniet cum tali. Vides quàm sim pannosa: sic patitur uxorem suam incedere: dispeream, nisi sæpè pudet me prodire in publicum, cum video, quàm cultæ sint aliæ, quæ multò pauperioribus nupsêre maritis. EVL. Matronarum ornatus non est in vestibus, aut reliquo corporis cultu, quemadmodum docet divus Petrus Apostolus: (nam id audivi nuper in concione) sed in castis ac pudicis moribus & in ornamentis animi. Meretrices coluntur oculis multorum. Nos satis cultæ sumus, si placeamus uni marito. XAN. Sed interim ille bonus vir, tam in uxorem parcus strenuè prodigit dotem; quam ex me non mediocrem accepit. EVL. Quibus rebus? XAN. Quibus ipsi visum fuerit, vino, scortis, aleâ. EVL. Bona verba. XAN. Atqui sic res habet. Deinde cùm mihi temulentus ad multam noctem redit domum, diu expectatus, destertit noctem totam, nonnunquam & lectum convomens, ut ne quid addam. EVL. (c) Ipsa teipsam dehonestas, cùm dehonestas maritum. XAN. Emoriar, nisi mallem dormire cum scropha, quàm cum tali marito. EVL. Non tu tum illum excipis iurgio? XAN. Ita ut dignus est, sentit me non esse mutam. EVL. Quid ille contra? XAN. Initio reclamabat sævissimè, credens fore, ut me sævis verbis protelaret. EVL. Nunquam ne rixa incruduit usque ad verbera? XAN. Semel duntaxat eò incaluerat utrinq; contentio,

tentio, ut minimum res abfuerit à pugna. EVL. *Quid ego audio?* XAN. *Librabat fustem sævis interim clamoribus intonans, ac dira minitans.* EVL. *Non ibi metuebas tu?* XAN. *Imò vicissim ego corripiebam tripodem, contigisset me digito, sensisset mihi non deesse manus.* EVL. *Novum clypei genus. Deerat colus lanceæ vice?* XAN. *Sensisset sibi cum viragine rem esse.* EVL. *Ah mea Xantippe, non ita decet?* XAN. *Si ille me non habet pro uxore, nec illum habitura sum pro marito.* EVL. *At Paulus docet, uxores oportere subditas esse viris cum omni reverentia. Et Petrus nobis exemplum proponit Saræ, quæ maritum suum Abraham dominum appellabat.* XAN. *Audivi ista. Sed idem Paulus docet, ut viri diligant uxores suas, sicut Christus dilexit sponsam suam Ecclesiam. Meminerit ille officii sui, ego meminero mei.* EVL. *Sed tamen, ubi res in eum statum devenit, ut alteri cedendum sit, æquum est uxorem marito cedere.* XAN. *Si modò ille maritus est appellandus, qui me habet pro ancilla.* EVL. *Sed dic mea Xantippe, post desiit minitari verbera?* XAN. *Desiit, & sapuit, alioqui vapulasset.* EVL. *Sed tu non desisti rixari cum illo?* XAN. *Nec desinam.* EVL. *Quid ille interea?* XAN. *Quid? nonnunquam dormit somnium hominis: interdum nihil aliud quàm videt: aliquoties arripit testudinem, in qua vix tres habet fides, eam quantum potest pulsans, mihi vociferanti obstrepit.* EVL. *Ea res malè urit te?* XAN. *Sic, ut dici vix possit. Aliquando vix tempero à mani-*

manibus. EVL. *Mea Xantippe, permittis mihi ut liberiùs loquar apud te?* XAN. *Permitto,* EVL. *Idem ius erit tibi apud me. Hoc certè postulat nostra necessitudo, ab ipsis penè incunabulis inter nos inita.* XAN. *Vera narras: nec ulla sodalium unquam charior fuit animo meo.* EVL. *Qualis qualis est tuus maritus, illud cogita, non esse ius permutandi. Olim immedicabilibus dissidiis remedium extremum erat divortium: nunc hoc in totum ademptum est: usq; ad extremum vitæ diem ille tuus sit maritus oportet, & tu illius uxor.* XAN. *Superi malè faxint, qui ius hoc nobis ademerunt.* EVL. *Bona verba: sic visum est Christo.* XAN. *Vix credo.* EVL. *Sic habet. Nunc nihil superest nisi ut uterq; ad alterius mores & ingenium ac commodando sese, concordiæ studeatis.* XAN. *An ego possum illum refingere?* EVL. *Non minimum momenti est in uxoribus, quales sint mariti.* XAN. *Pulchrè convenit tibi cum tuo?* EVL. *Nunc tranquilla omnia.* XAN. *Ergò turbarum nonnihil erat initio?* EVL. *Nihil unquam tempestatis, sed tamen, ut fit inter homines, nonnunquam nubeculæ quædam oboriebantur, quæ poterant gignere tempestatem, nisi commoditate morum fuisset occursum. Habet suos quisque mores, & est sua cuiq; sententia: & si verum fateri volumus, sunt sua cuiq; vitia, quæ si usquam, certè in matrimonio (d) novisse oportet, non odisse.* XAN. *Rectè mones.* EVL. *Fit autem frequenter, ut dissiliat benevolentia mutua inter maritum & uxorem, antequàm (e) alter*

alteri

alteri satis notus sit. Id est inprimis cavendum. Semel enim ortâ simultate ægrè sarcitur gratia, præsertim si res ad atrocia convitia processerit. Quæ glutino committuntur, si statim concutias, facilè distrahuntur: cæterum ubi siccato glutino semel cohæserint, nihil firmius. Proinde in initio nihil non faciendum, ut inter uxorem & maritum coalescat, confirmeturq; benevolentia. Id maximè fit obsequio, morumq; commoditate. Nam benevolentia, quæ sola formæ gratiâ conciliatur, fermè temporaria est. XAN. Sed narra nobis obsecro, quib. artibus pertraxeris maritum ad tuos mores. EVL. Dicam in hoc, ut imiteris. XAN. Si queam. EVL. Facillimum erit si velis, nec adhuc serum est. Nam & ille iuvenis est, & tu puella, ac nondum annus opinor expletus est à nuptiis. XAN. Vera prædicas. EVL. Dicam igitur, sed tacituræ. XAN. Maximè. EVL. Illa (f)prima mihi cura fuit, ut in omnibus essem iucunda marito, ne quid esset quod illius animum offenderet: observabam adfectum ac sensum illius: observabam & tempora, & quibus rebus deliniretur, quibus irritaretur: quemadmodum facere solent ii, qui elephantos ac leones curant, aut similia animantia, quæ vi oogi non possunt. XAN. Tale animal mihi domi est. EVL. Qui adeunt elephantos, non gestant vestem candidam: nec puniceam, qui tauros: quòd his coloribus compertum sit ea animantia efferari. Quemadmodum & tigres tympanorum sonitu sic aguntur in rabiem, ut seipsas dilanient. Et qui tractant equos,

habent

habent (g) voces, habent (h) poßmata & (i) palpum, aliaq; quibus ferocientes mitigent. Quanto magis decet nos his artibus uti erga maritos: quibus cum nobis, velimus nolimus, per omnem vitam eßt lectum ac lectus communis. XAN. Perge quò cœpisti. EVL. His animadversis, attemperabam me illi, cavénsne quid offensæ nascerétur. XAN. Quînam id poteras? EVL. Primùm in cura rerum domesticarum, quæ peculiaris eßt provincia matronarum, advigilabam, non solum cavens, ne quid esset prætermissum, verùm etiam ut omnia congruerent ad illius sensum in rebus etiam minutissimis. XAN. Quibus? EVL. Puta, si maritus hoc aut illo cibo peculiariter delectetur, si cibus placeat hoc aut illo modo coctus, si lectus hoc aut illo modo stratus. XAN. At quo pacto attemperares te ei, qui domi non esset, aut esset ebrius? EVL. Mane (k) istuc ibam. Si quando maritus videbatur admodum tristis, nec esset appellandi tempus, nequaquam ridebam ac nugabar, quemadmodum nonnullæ mulieres solent: sed sumebam & ipsa vultum submœstum ac solicitum. Quemadmodum enim speculum, si probum eßt, semper reddit imaginem intuentis: ita decet matrem familiâs ad affectum mariti congruere, ne sit alacris illo mœrente; aut hilaris, illo commoto. Quòd si quando commotior erat, aut blando sermone leniebam: aut silentio concedebam iracundiæ, donec eâ (l) refrigeratâ tempus se daret vel purgandi, vel admonendi. Idem faciebam, si quando plus æquo potus redibat domum: nec id tem-

poris nisi iucunda loquebar illi: tantum blanditiis pertrahebam ad lectum. XAN. Infelix verò uxorum conditio, si iratis, ebriis & quicquid libet parantibus maritis, tantùm obsequentur. EVL. Quasi verò hoc non sit mutuum obsequium. Coguntur & illi multa ferre in moribus nostris. Est tamen tempus, cùm in re seria fas est uxori monere virum, si quid est alicuius momenti. Nam ad levia præstat (m) connivere. XAN. Quid tandem? EVL. Cùm erit animo vacuo nec commotus, nec solicitus, nec potus, tum absque testibus blandè monendus vel rogandus potiùs: ut in hoc aut illo melius consulat rei, aut famæ, aut valetudini suæ. Atque hæc ipsa admonitio leporibus ac facetiis erit condienda. Nonnunquam præfatione ab illo stipulari soleo, ne mihi succenseret, si quid stulta mulier admonerem, quod ad illius honorem, aut valetudinem, aut salutem facere videretur. Vbi monuissem quæ volebam, amputavi sermonem illum, & ad alia iucundiora deflectebam. Est enim ferè hoc nostrum vitium, mea Xantippe, ut semel exorsæ loqui, finem facere nequeamus. XAN. Aiunt. EVL. Illud inprimis cavebam: ne præsentibus aliis maritum obiurgarem, aut ne quid querelarum domo efferrem. Facilius sarcitur, si quid inter duos commissum est. Quòd si quid extiterit eius generis, ut nec ferri possit, nec uxoris admonitione sanari: civilius est, ut uxor querelam deferat ad parentes & cognatos mariti quàm ad suos: & ita querelam temperet, ne videatur odisse maritum: sed vitium potius mariti.

Nec

Nec tamen effutiat omnia, ut hîc quoque tacitus agnoscat & amet uxoris civilitatem. XAN. *Philosopham esse oportet, quæ ista præstet.* EVL. *Imò talibus factis maritos ad similem civilitatem invitabimus.* XAN. *Sunt quos nullâ civilitate corrigas.* EVL. *Equidem non arbitror: sed fac esse. Primum illud cogita: maritus ferendus est, qualis qualis est. Præstabilius igitur est ferre, vel sui similẽ, vel paulò commodiorem factum nostrâ civilitate, quàm nostrâ sævitiâ peiorem indies. Quid si proferam maritos, qui simili civilitate correxerunt sponsas suas? Quantò magis decet nos idem præstare adversus maritos?* XAN. *Narrabis igitur exemplum meo marito dissimillimum.* EVL. *Est mihi familiaritas cum homine quodam nobili, docto, singularique morum dexteritate. Is duxerat puellam virginem, annos natam decem & septem, ruri in parentum ædibus perpetuò educatam, ut nobiles ferè gaudent habitare ruri, ob venatum & aucupium. Rudem volebat ille, quò faciliùs illam ad suos mores fingeret: cœpit eam instituere literis ac musicâ, paulatimque adsuefacere, ut redderet ea, quæ audisset in cõcione, cæterisque rebus formare, quæ pòst essent usui futuræ. Hæc quoniam erant nova puellæ, quæ domi suæ fuerat in summo otio, & inter famulorum colloquia lusuque educata, cœperunt esse tædio. Detrectabat obsequium, & cùm maritus urgeret: illa sine fine flebat, nonnunquam & in terram abiiciebat sese, occipitium illidens solo, quasi mortem optans. Earum rerum cùm nullus esset finis, maritus, dissimu-*

lato stomacho, invitabat uxorem, ut animi relaxandi gratiâ, unà proficiscerentur rus ad ædes soceri. Ibi lubens obtemperabat uxor. Eò cum ventum esset, maritus reliquit uxorem apud matrem & sorores: ipse cum socero prodibat venatum. Ibi submotis testibus, denarrat socero, se speràsse iucundam vitæ sociam, nunc habere perpetuò lacrymantem ac se se discruciantem, nec ullis monitis sanabilem: orat, ut sibi adsit in medendo filiæ morbo. Socer respondet, se (p) semel illi tradidisse filiam, quòd si illa non obtemperaret verbis, uteretur suo iure, & verberibus eam emendaret. Tum gener; Novi, inquit, ius meum: sed malim eam tuâ vel arte, vel authoritate sanari, quàm ad hoc extremum remedium venire. Socer pollicitus est se curaturum. Post unum atque alterum diem captat tempus ac locum, ut solus esset cum filia: ibi vultu ad severitatem composito incipit commemorare, quàm illa esset infelici formâ, quàm non amabilibus moribus, quàm sæpe metuisset, ne nullum ei posset invenire maritum. At ego meo maximo labore, inquit, talem inveni tibi, qualem nulla non optaret sibi, quantumvis felix. Et tamen tu, non agnoscens quid pro te fecerim, nec intelligens te talem habere maritum, qui, nisi esset humanissimus, vix te dignaretur habere in ancillarum numero, rebellas illi. Ne longum faciam, sic incanduit patris oratio, ut vix videretur manibus temperare. Est enim ingenio mirè vafro, qui citra (q) personam omnem posset quamvis agere comœdiam. Ibi puella, partim metu, partim veritate

ritate commota, accidit ad patris genua, rogans, ut præteritorum vellet oblivisci, se in posterum memorem fore officii sui. Ignovit pater, pollicitus se quoque fore patrem amantissimum, si quod polliceretur, præstaret. XAN. Quid deinde? EVL. Puella digressa à colloquio parentis, redit in cubiculum, offendit maritum solum, accidit illi ad genua, & ait: Marite, hactenus non novi neque te, neque meipsam, posthac videbis me aliam factam: tantum oblivisces superiorum. Hanc vocem maritus excepit osculo, & omnia pollicitus est, si illa persisteret eo animo. XAN. Quid, perstitit? EVL. Vsque ad mortem: neque quicquam erat tam humile, quod illa non alacris ac volens obiret, volente marito. Tantus amor inter eos natus est & confirmatus. Post annos aliquot puella crebrò sibi gratulata est, quòd contigisset tali marito nubere, qui nisi contigisset, eram, inquit, omnium mulierum perditissima. XAN. Talium maritorum non minus rara est copia, quàm alborum corvorum. EVL. Jam, si molestum non est, referam tibi quiddam de marito, commoditate uxoris correcto, quod nuper accidit in hac civitate. XAN. Nihil est quod agam, & perquam grata mihi est tua confabulatio. EVL. Est vir quidam non postremæ nobilitatis: is, ut solet hoc hominum genus, plerumq; venabatur. Ruri incidit in puellam quandam pauperrimæ mulierculæ filiam, in eam cœpit (r) deperire, homo iam provectioris ætatis. Atque huius gratiâ frequenter pernoctabat foris. Prætextus erat venatio. Vxor

huius, mulier insigni probitate, nescio quid suspicans, pervestigavit furta mariti sui, & eo profecto nescio quò, adiit casam illam rusticanam, expiscata est de toto negotio, ubi dormiret, unde biberet, quis esset apparatus convivii. Nihil erat ibi supellectilis, sed mera paupertas. Abiit matrona domum, ac mox rediit, secum adducens lectum commodum, & apparatum, vasa aliquot argentea, addidit pecuniam, admonens, ut si quando rediret ille, tractarent eum civilius, dissimulans interim sese uxorem esse, ac sororem esse simulans. Post dies aliquot redit eò furtim maritus, videt auctum supellectilem, & apparatum lautiorem. Rogat unde is nitor insolitus: aiunt matronam quandam honestam illi cognatam hæc advexisse, ac mandasse, ut honestius posthac (f) acciperetur. Illicò tetigit animum illius suspicio, uxoris hoc esse factum. Reversus domum, rogat, num illic fuisset? Illa non negat. Rogavit, & quo tandem consilio misisset eò supellectilem? Mi vir, inquit, adsuetus es vitæ commodiori. Videbam illic te durius accipi: putabam esse officii mei, ut, quando ita tibi cordi est, lautius illic haberetis. XAN. O matronam nimium bonam. Ego citius pro lecto substraviſſem illi fasciculum urticarum ac tribulorum EVL. Sed audi finem. Vir, perspectâ tantâ probitate, tantaq; mansuetudine coniugis suæ, nunquam deinde usus est furtivo concubitu, sed domi semet oblectavit cum sua. Scio tibi notum esse Gilbertum Batavum. XAN. Novi. EVL. Is, ut scis florenti ætate duxit uxorem iam provectiorem,

ac

ac (t) vergenti ætate. XAN. *Dotem fortasse duxit, non uxorem.* EVL. *Sic est. Is fastidiens uxoris, adamabat mulierculam, cum qua se subinde oblectabat foris. Rarò domi prandebat, aut cœnabat. Quid tu hîc eras factura?* XAN. *Quid? Ego illi adamatæ (u) involassem in capillos, & maritum exeuntem ad illam perfudissem (x) lotio: ut sic unctus iret ad convivium.* EVL. *At quantò hæc prudentiùs? Invitabat mulierculam domum suam, comiter accipiebat. Ita maritum quoque sine veneficiis domum pertraxit. Et si quando foris cœnabat cum illa, misit eò missum aliquem elegantiorem, iubens ut suaviter viverent.* XAN. *Ego malim mori, quàm esse lena mei mariti.* EVL. *Verùm interim rem ipsam expende. Nónne hoc multò satius erat, quàm si sævitiâ suâ prorsus alienâsset maritum, ac totam ætatem in iurgiis exegisset?* XAN. *Fateor minus esse mali, sed ego non possem.* EVL. *Vnum adiiciam, atque ita discedam ab exemplis. Hic vicinus noster, vir probus & integer, sed paulò iracundior, quodam die pulsaverat uxorem suam fœminam laudatissimam. Ea se recepit in intimum conclave, atque illic lacrymans atque singultiens, decoquebat animi ægritudinem. Aliquantò pòst per occasionem eodem ingressus est maritus: reperit uxorem flentem. Quid, inquit, hîc lacrymas, ac singultis, puerorum more? Tum illa prudenter: Quid, inquit, an non hoc satius, ut hîc deplorem malum meum, quàm si in via vociferer, quemadmodum solent aliæ mulieres? Hoc dicto tam uxorio*

fractus ac victus hominis animus, datâ dextrâ pollicitus est uxori. se post hac nũquam in illam conjecturum manus, nec fecit. XAN. *Ego idem impetravi à meo diversâ ratione.* EVL. *Sed interim est inter vos bellum perpetuum.* XAN. *Quid igitur velles me facere?* EVL. *Primùm (y) mussanda est tibi omnis iniuria mariti, & animus illius, officiis, comitate, mansuetudine, paulatim est conciliandus: aut vinces tandem, aut certè multò commodiore utéris, quàm nunc uteris.* XAN. *Ille ferocior est, quàm ut ullis officiis mansuescat.* EVL. *Eia ne dixeris. Nulla est fera tam immanis, quin officiis cicuretur: ne desperes in homine. Fac periculum mensis aliquot, me accusa, nisi sensseris consilium hoc tibi fuisse bono. Sunt etiam quædam vitia, ad quæ tibi connivendum est. Illud ante omnia tibi cavendum censeo, ne quid rixæ moveas in cubiculo, aut in lecto: sed curandum est, ut illic omnia sint festiva ac iucunda. Etenim si is locus, qui diluendis offensis sarciendaq; gratiæ consecratus est, lite aut ægritudine quapiam (z) profanetur: iam sublatum est omne remedium benevolentiæ reconciliandæ. Sunt enim fœminæ quædam tam morosæ, ut in ipso etiam coitu querantur ac rixentur, eamq; voluptatem quæ diluere solet ex animis virorum, si quid inerat molesti, morum fastidio reddant insuavem, pharmacum ipsum vitiantes, quum licuisset mederi offensis.* XAN. *Istud mihi frequenter accidit.* EVL. *Atqui, tametsi semper est cavendum uxori, ne quâ re molesta sit viro: tamen id maximè studere debet,*

ut

ut in eo congressu se viro præbeat modis omnibus commodam ac iucundam. XAN. *Viro: mihi cum belua res est.* EVL. *Mitte malè loqui, ferè nostrâ culpâ viri mali sunt. Sed ut ad rem redeam, qui versantur in priscis fabulis poetarum, narrant Venerem (nam faciunt deam connubii præsidem) habere (aa) cestum, arte Vulcani confectum: in eo intextum esse quicquid est amatorii medicamenti: eo se cingit quoties congressura est cum marito.* XAN. *Fabulam audio.* EVL. *Verùm: sed audi, quid sibi vult fabula,* XAN. *Dic.* EVL. *Illud docet uxorem omnem curam adhibere oportere: ut in congressu connubiali iucunda sit marito, quo recalescat ac redintegretur amor ille maritalis, & discruciatur ex animo, si quid erat offensionis aut tædii.*

XAN. *Sed unde nobis cestus ille?* EVL. *Nihil opus veneficiis aut incantamentis. Nullum incantamentum efficacius, quàm morum probitas cum suavitate coniuncta.* XAN. *Ego tali marito blandiri non possum.* EVL. *At hoc tua refert, ut desinat esse talis. Si Circes artibus posses maritum vertere in suem aut ursum, faceres?* XAN. *Nescio.* EVL. *Nescis? An malles habere suem maritum, quàm hominem?* XAN. *Equidem malim hominem.* EVL. *Agè quòd si Circes artibus posses ex temulento reddere sobrium, ex prodigo frugalem, ex cessatore diligentem, nónne faceres?* XAN. *Planè facerem: sed unde mihi istæ artes?* EVL. *Atqui istas artes habes in te, si modò velis adhibere. Tuus velis nolis, sit oportet. Quò meliorem cum reddideris:*

ris: hoc magis consulueris tibi. Tu tantùm oculos habes defixos in illius vitia, eaq; tibi exaggerant odium, & hac (bb) ansa tantùm arripis illum, quâ teneri non potest. Illa potius contemplare, quæ bona sunt in illo, & hac ansa prehende illum, quâ teneri potest. Antequam isti nuberes, tempus erat expedendi, quid haberet malorum. Oportebat enim non oculis solùm, verumetiam auribus maritum deligere: nunc medendi tempus est, non accusandi. XAN. Quæ mulier unquam auribus cepit maritum? EVL. Oculis capit, quæ nihil aliud spectat, quàm corporis formam: auribus, quæ diligenter observat, quid fama de illo prædicet. XAN. Pulchrè mones, sed serò. EVL. At non serum est studere corrigendo marito. Ad eam rem conducet, si quid pignoris ex te natum fuerit viro. XAN. Jam natum est. EVL. Quando? XAN. Jampridem. EVL. Quot menses sunt? XAN. Fermè septem. EVL. Quid ego audio? Tu nobis (cc) trimestris fœtus iocum renovas? XAN. Nequaquam. EVL. Ita necesse est, si tempus à nuptiarum die supputes. XAN. Imò ante nuptias fuerat mihi cum eo colloquium. EVL. An ex colloquio nascuntur pueri? XAN. Fortè solam nactus, cœpit alludere, titillans axillas ac latera, quo me provocaret ad risum. Ego non ferens titillationem, me resupinabam in lectum, ille incumbens figebat oscula, nec satis, scio quid egerit præterea: certè paucis pòst diebus uterus cœpit intumescere. EVL. I nunc, & maritum contemne, qui, si lusitans gignit liberos; quid faciet, cùm serò

rem

rem aget? XAN. *Suspicor & nunc me gravidam esse.* EVL. *Ergo contigit felici (dd) fundo bonus cultor.* XAN. *Hac in parte plus præstat, quàm vellem.* EVL. *Ista querela tibi cum paucis uxoribus est communis. Sed inter vos intercesserat pactum connubiale?* XAN. *Intercesserat.* EVL. *Levius igitur peccatum est. Est ne proles mascula?* XAN. *Est.* EVL. *Illa vos rediget in gratiam, si tu vel paulalum temet accommodes. Quid alii prædicant de tuo marito sodales, & quibus cum habet commercium foris?* XAN. *Prædicant eum esse moribus commodissimis, comem, liberalem, amicum amico.* EVL. *Et ista mihi bonam spem faciunt, illum fore qualem volumus.* XAN. *At mihi uni talis non est.* EVL. *Sed tu te illi præbeto, qualem dixi meq; pro (ee) Eulalia voca Pseudolaliam, nisi tibi quoque talis esse cœperit. Quin & illud cogita, illum adhuc iuvenem esse, nondum opinor egressum annos viginti quatuor, nondum novit, quid sit esse patremfamiliâs. Jam non est tibi cogitandum de divortio.* XAN. *At frequenter cogitavi.* EVL. *Verùm ea cogitatio si quando tibi inciderit in mentem, primum reputa tecum, quàm nihili res sit fœmina divulsa à viro. Summum decus matronæ est morigeram esse suo coniugi. Ita naturâ comparatum est, ita voluit Deus: ut mulier tota pendeat à viro. Tantùm cogita id, quod res est: maritus est; alius non potest obtingere. Deinde veniat in mentem Puellus ille duobus communis. Quid de illo statues? Auferes tecum? fraudabis maritum sua possessione. Relinques*

linques apud illum? spoliabis teipsam eo, quo nihil habes charius. Postremò, dic mihi, habésn e quæ tibi malè velint? XAN. *Habeo novercam (ff) germanam, præterea socrum huic similimam.* EVL. *Adeò tibi malè volunt?* XAN. *Cuperent extinctam.* EVL. *Et istæ tibi fac ut in mentem veniant. Quid enim illis possis facere gratius, quàm si videant te divulsam à marito, viduam, imò plus quàm viduam vivere? Nam viduis licet alteri nubere.* XAN. *Equidem probo tuum consilium, sed tædet diutini laboris.* EVL. *At reputa quantum laborum sumpseris, priusquàm hunc psitacum docueris quædam humana verba sonare.* XAN. *Plurimum profectò.* EVL. *Et piget operam sumere in fingendo marito, quî cum perpetuò suaviter degas ætatem? Quantum laboris sumunt homines, ut equum sibi commodum reddant: & nos pigebit adlaborare, ut maritis utemur commodioribus?* XAN. *Quid faciam?* EVL. *Jam dixi. Cura ut domi niteant omnia, ne quid sit molestiæ, quod illum exigat ex ædibus. Tu te illi comem præbe, semper interim memor reverentiæ cuiusdam, quam uxor debet marito. Absit tristitia, sed absit etiam petulantia: nec putida sis, nec lasciva. Sit apparatus domi lautus. Nosti palatum mariti. Quod illi suavissimum est, id coquito. Quin etiam iis, quos ille amat, comem ac affabilem te præbeto. Hos frequenter ad convivium voca. In convivio facito; ut lætæ plenaq; hilaritatis sint omnia. Denique, si quando ille vino lætior pulsabit suam testudinem, tu voce accinito. Sic adsuefacies mari-*

maritum manere domi, & minues impensas. Sic enim ille cogitabit tandem. Næ ego insigniter insanio, qui foris magnâ rei famæq; iacturâ victitem cum scorto, quum domi habeam uxorem multò lepidiorem, meiq; amantiorem, apud quam nitidiùs ac lautiùs accipi liceat. XAN. *An credis successurum, si tentem?* EVL. *Me vide. Ad me recipio. Interim & maritum tuum aggrediar, admonebo & illum sui officii.* XAN. *Laudo consilium: at vide, ne quid huius rei suboleat ipsi: misceret cœlum terræ.* EVL. *Ne metue. Ita per ambages temperabo sermonem, ut ipse mihi narret, quid inter vos sit turbarum. Hoc facto, meo more tractabo illum blandissimè, & ut spero, tradam eum tibi commodiorem. De te per occasionem mentiar, quàm amanter de illo sis locuta.* XAN. *Christus benè fortunet quod agimus.* EVL. *Aderit, modò ne desis tibi.*

(a) *Eulalia*, proba ac suaviter loquens. *Xantippe*, rixosa. (b) *Fungos* appellamus homines stultos ac nihili. (c) *St.* interiectio est innuens silentium, sicut apud Terent. in Phor. act. 5. scen. 1. *ubi prudè solet legi*, est. (d) Allusit ad versiculum proverbialem *Mores amici noveris, non oderis.* (e) Hoc Plutarchus in Præceptis connubialibus. (f) Hæc eadem Plutarchus in præceptis connubialibus. (g) Ad vocem hominis equi redduntur mitiores. (h) *Popisma* sonitus est propemodum imitans ventris crepitum, qui fit ore aut manibus aptè complosis, non sine humore author Plin. (i) *Palpare* est volâ leniter percutere tergum equi ferocientis Horat. *Cui malè si palpare, recalcitrat.* (k) *Istuc ibam*, id est, hoc eram dictura. Terentii verba sunt *Refrigerata*, id est, ubi refrixit sive deferbuit. Ita Fabius:

bius: *Refrigerato inventionis amore.* Sic & recanduisse dicitur ira. (m) *Connivere* est quasi oculis clausis dissimulare te videre quod vides. (n) *Reddit* quod solvit: *reddit* & discipulus cum recitat audita. Nam qui docet aut dictat, quasi credit mutuum. (o) *Stomachus* pro ira frequentissime apud Latine loquentes. (p) *Semel* non refertur ad *Bis* sed declarat totum filiæ jus traditum sponso, (q) Personati histriones agebant fabulas: *persona* autem est facies apposititia. (r) *Deperit aliquam* qui ardenter amat: *deperit in aliquam* qui ardentissime. (s) *Acciperetur* pro tractaretur, quemadmodum bene habiti dicuntur, Ita Teren. *Accepit hominem, nemo melius.* (t) *Vergenti ætate*, inclinata ad senium. Sic ea voce absolute usus est Sueton. (u) Sic pugnant mulieres, Sic Teren. Alioqui *involare* nonnunquam sonat furari. Catullus: *Huc redde pallium mihi meum quod involasti.* (x) Id accidit Socrati. Et olim loti unctique ibant ad convivium. (y) *Mussanda* dissimulanda, vel tacite ferenda. Terent. in Adelph. Act. 2. Scena 1. *Mussitanda injuria adolescentium est.* (z) Sacra *profanare* dicuntur. *Lectulus* autem locus est dicatus reconciliandæ benevolentiæ. Hęc est sententia Plutarchi in præceptis conjugalibus. (aa) *Cestum* id est, cingulum. Vnde prover. *Cestum habet Veneris.* (bb) Epictetus scripsit, unicuiq; rei duas esse ansas, alteram quæ teneri possit, alteram quæ non possit, significans in unaquaq; re esse aliquid commodi, rursum aliquid incommodi. Stultus arripit ansam malam: sapiens alteram. Huic itaque nihil non tolerabile. (cc) Alludit ad proverbialem versum, qui est apud Suetonium. (dd) Sic Plautus locutus est: *fundum arat alienum*, de adultero. (ee) *Eulalia* à bene loquendo nomen habet. *Pseudolalia* à mendaci loquacitate. (ff) Non de gente aut sorore sentit, sed germanam dixit Veram Novercarum autem est odisse privignos. (gg) *Miscere cœlum terræ*, de vehementi perturbatione dictum est prover. Iuvenal. *Licet & mare cœlo confundas homo sum.*

MILI-

MILITIS ET CARTHVSIANI.

MIL. *Salve mi frater.* CARTH. *Salve & tu Germane charissime.* MIL. *Vix te agnosco.* CARTH. *Adeóne consenui intra biennium?* MIL. *Non: sed caput rasum, nova vestis faciunt, ut mihi videaris aliud quoddam animal.* CARTH. *Itáne? non agnosceres uxorem tuam, si tibi occurreret induta novâ veste?* MIL. *Non, si tali.* CARTH. *At ego te probe agnosco, cui non solum vestis mutata est, verum etiam facies, totusq; corporis habitus. Quot coloribus pictus es? Nulla avis æquè variat plumas suas: tum, quàm omnia ficta, quam nihil iuxta naturam aut morem communem. Adde tonsum verticem, barbam semiraſam, sylvam, quæ supra labrum superius est, perplexam, nec aliter hinc & hinc prominentem, quam solent in felibus pili longiores. Nec una cicatrix fœdavit vultum, ut* (a) *Samius quispiam literatus videri possis, de quo iocus est proverbij.* MIL. *Sic decet redire è bello. Sed dic mihi, erat hîc tanta bonorum medicorum inopia?* CART. *Quam ob rem?* MIL. *Quia nulli commiseris sanandum cerebrum tuum prius, quàm in hanc servitutem te præcipitem dares.* CARTH. *Itáne videor insanisse?* MIL. *Maxime. Quid erat necesse hîc te* (b) *sepeliri ante tempus, quum esset unde commodè viveres in mundo?* CART. *An nunc non videor tibi in mundo vivere?* MIL. *Non per Iouem.* CARTH. *Dic quam ob rem?* MIL. *Quia non licet ambulare quò velis. Huic loco velut ca-*

vea

veæ includeris. Addere rasuram, vestem prodigiosam, (1) (2) (3)
solitudinem, piscium perpetuum esum, ut mirer te-
ipsum non verti in piscem. CARTH. Si verterentur homines in omnia, quibus vescuntur, tu iam pridem porcus esses. Nam suillâ soles delectari. MIL. Non dubito quin iamdudum pœniteat te instituti: paucos enim comperio, quos non capiat pœnitudo. CARTH. Hoc illis usu venit, qui se in hoc vitæ genus velut in puteum præcipitant: ego descendi sensim & consultò, prius explorato meipso, perspectáque totâ huius vitæ ratione, iam annos natus viginti octo, quâ ætate sibi quisque notus esse potest. ad (1) Quod ad locum attinet, tu quoque loco angusto concluderis, si totius mundi considéres amplitudinem. Nec refert, quàm spatiosus sit locus, modò nihil desit ad vitæ commoditatem. Multi rarò aut nunquam exeunt civitatem, in qua nati sunt, qui si vetarentur exire, magnopere sibi displicerent, & incesseret illis mira libido relinquendæ civitatis: hic affectus vulgaris est, quo ego careo. Imaginor hîc totum esse mundum, & hæc tabula mihi totum terrarum orbem repræsentat, quem ego cogitatione iucundiùs simul & tutiùs perambulo, quàm is, qui navigavit ad novas insulas. MIL. Hic tu propemodum dicis ad (2) verum. CARTH. Rasuram damnare non potes, qui volens tondearis, utique commoditatis gratiâ. Mihi rasura si nihil aliud, certè reddit caput purius, ac fortasse salubrius. Venetiæ quàm multi patricij totum etiam caput radunt. Quid autem habet prodigiosum vestis? Nónne tegit corpus? Ad du-

plicem

plicem usum adhibetur vestis, ut depellatur iniuria cœli, eáque velet, quæ pudor iubet tegi. An non hos usus præbet hæc vestis? Sed offendit color: quis color magis decet omnes Christianos quàm is, qui datus est omnibus in baptismo? Dictum est tibi quoque: Accipe vestem candidam. Hæc itaque vestis admonet me, quid promiserim in baptismo, nimirum innocentiæ perpetuum studium. Porro solitudinem si vocas turbæ fugam, hoc exemplum non est nostrum, sed veterum prophetarum, atque etiam philosophorum ethnicorum, & quibuscunque bonæ mentis cura fuit: imò poëtæ, astrologi, ac similibus artibus dediti, quoties aliquid magni ac supra vulgus hominum moliuntur, secessum quærere solent. Cur autem voces hanc solitudinem? Vnius amiculi confabulatio pellit solitudinis tædium. Hic habeo sodales omnium rerum plusquàm sedecim. Adhæc intervisunt amici crebrius, quàm vellem, aut expedit: & tibi videor in solitudine vivere? MIL. At non semper licet cum his confabulari. CARTH. Nec semper expedit. Atque hoc iucundior est confabulatio, quod voluptatis gratiam augeat (ut) interrupta copia. MIL. Non pessimè coniectas. Nam mihi quoque suaviores sunt carnes revoluto paschate post quadrageſimam. CARTH. Nec interim tamen, cùm maximè videor solus, desunt mihi confabulones longè festiviores ac suaviores istis vulgaribus congerronibus. MIL. Ubi sunt? CARTH. Vides hic codicem evangelicum: in hoc mecum fabulatur ille, qui olim additus facundus comes in via Iesus discipulis

scipulis proficiscentibus in Emauntem, effecit ut non sentirent itineris laborem, sed sentirent dulcissimum cordis ardorem, inhiantes mellitis illius sermonibus. In hoc loquitur mihi Paulus, in hoc Esaias, cæterique Prophetæ. Hic mecum confabulatur dulcissimus ille Chrysostomus, hic Basilius, hic Augustinus, hic Hieronymus, hic Cyprianus, cæterique non minus eruditi quàm facundi doctores. An nosti ullos tam amœnos confabulones, quos cum hisce conferas? An in tali sodalitio, quod mihi nunquam non adest, reputas obrepere posse solitudinis tædium? MIL. Mihi frustra loquerentur non intellecturo. CARTH. Iam quid refert, quibus rebus hoc corpusculũ alatur, cui minimo satis fit, si iuxta naturam vivamus? Vter nostrûm habitior, tu, qui vesceris perdicibus fasianis, & capis, an ego, qui vivo piscibus? MIL. Si tibi esset uxor, ut mihi est, minus haberes succi. CART. Et ideò sufficit quilibet cibus, & quantumvis exiguus. MIL. Interim agitas vitam Iudaicam. CARTH Bona verba. Christianam si non assequimur, certè sequimur. MIL. In veste, cibo, preculis, cæterisque ceremoniis ponitis fiduciam, neglecto studio pietatis Evangelicæ. CAR. Quid alij faciant, non est meum iudicare: ego his rebus nequaquam confido, minimumque tribuo: sed in animi puritate, & in Christo colloco fiduciam. MIL. Cur igitur observas? CARTH. Ut mihi pax sit cum fratribus meis, & ne cui quoquo modo sim offendiculo. Nolim autem offendere quenquam ob huiusmodi res leviculas, quas nihil est negotij servare.

vare. Et sumus homines quacunque veste tecti. minutissimarum etiam rerum similitudo aut dissimilitudo conciliat aut dirimit concordiam. Rasum caput, aut vestis color, per se quidem non commendant me Deo. Sed quid diceret populus, si comam alerem, aut tuam istam vestem sumerē? Reddidi tibi rationem mei consilij. Nunc quæso, vt mihi vicissim tui consilij rationem reddas, dicasque ubi cessarint omnes boni medici, cùm relictâ domi uxore iuvenculâ et liberis, proficiscereris in militiam, vili salario cōductus ad iugulandos homines, idque tui quoque capitis periculo. Neque enim tibi res erat cum (d) fungis aut papaveribus, sed cum armatis viris. Vtrum verò putas infelicius, iugulare Christianum hominem ob mercedulam, à quo nunquam sis læsus, an teipsum simul & corpus & animam in æternum exitium mittere? MIL. Fas est occidere hostem. CARTH. Fortassis est, si impetat patriam tuam. Tum piū videri potest. pugnare pro liberis & uxore, pro parentibus & amicis, (e) pro aris & focis, pro tranquillitate publica. Quid istuc ad tuam militiam mercenariam? Ego, si periisses in hoc bello, non redemissem animam tuam vitiosâ nuce. MIL. Non? CARTH. Non: ita me Christus benè amet. Jam utrum existimas durius, obedire bono viro, quem nos Priorem vocamus, qui vocet ad preces, ad sacram lectionem, ad doctrinam salutarem, ad psallendum Deo, an obedire barbaro cuipiam Centurioni, qui sæpe magnis ac nocturnis itineribus vocet quò lubet, ac revocet, qui bombardarum ictibus obiiciat, qui

iubeat te stare loco, aut occisurum aut occidendum. MIL. Minus narras, quàm res habeat malorum. CARTH. Si quid ego deflexero à disciplinæ huius institutis, pœna est admonitio, aut aliud leve quiddam: tibi, si quid committas aduersus leges imperatorias, aut pendendum est, aut nudo inter intentatas in te lanceārum cuspides eundum. Nam plecti capite, beneficium est. MIL. Non possum refragari veris. CAR. Iam cultus iste satis indicat, te nō multum nummorum referre domum. MIL. Nūmorum mihi iampridem ne pilus quidem fuit; imò multum æris alieni conflavi. Proinde huc deflexi, ut me instruas viatico. CARTH. Vtinam huc deflexisses, cùm properares in sceleratam istam militiam. Sed unde tanta nuditas? MIL. Rogas unde? Quicquid ex salario, quicquid ex prædationibus, sacrilegiis, rapinis, furtis parare licuit, id totum absumebatur in vina, scorta, & aleam. CARTH. O te miserum! Et interim uxorcula, cuius gratiâ Deus iussit relinqui patrem & matrem, domi mœrebat deserta cum parvis liberis. Et interea tibi videbaris vivere, in tantis miseriis, in tantis sceleribus? MIL. Hoc fallebat sensum malorum, quod innumeros haberem malorum socios. CARTH. Quin illud vereor, ne uxor te non agnoscat. MIL. Qui sic? CART. Quia sic cicatrices pinxerunt tibi novam faciem. In fronte quam fossam habes? Videtur tibi exectum fuisse cornu. MIL. Imò, si remnosses, gratulareris mihi hanc cicatricem. CART. Quam ob rem? MIL. Minimo minus aberat quin perierim. CARTH. Quid erat

mali

mali? MIL. *Cuidam tendenti rupta est balista chalybea: eius fragmentum insiliit in frontem.* CART. *Et in bucca cicatricem habes palmo lõgiorem.* MIL. *Hoc vulnus accepi in pugna:* CART. *Bellica?* MIL. *Non; inter aleam ortum est dissidium.* CART. *Iam & in mento video nescio quid gemmarum.* MIL. *Nihil est.* CAR. *Suspicor tibi cõtractam scabiem, quam vocant Hispanicam.* MIL. *Rectè divinas, mi frater. Ter enim eâ laboravi usque ad vitæ periculum.* CA. *Vnde hoc mali accidit tibi, ut sic incurvus incedas, quasi esses nonagenarius, aut quasi messor quispiam, aut quasi (f) delumbatus esses fuste?* MIL. *Morbus ita contraxit nervos.* CART. *Næ hîc magnificam passus es metamorphosin. Antehac eras eques: nunc ex Centauro factus es animal semireptile.* MIL. *Hæc nimirum est alea Martis.* CART. *Imò hæc est insania tuæ mentis Quas verò manubias uxori tuæ, liberisq; tuis referes domum? lepram? Nam ista scabies nihil aliud est, quàm lepræ species: nisi quòd ideò non vitatur, quia multorum est communis, præcipuè nobiliũ: at ob hoc ipsum magis debebat vitari. Nunc istud malum adfricabis iis, qui tibi debuerant esse charissimi: & ipse per omnem vitam putre cadaver circumferes.* MIL. *Quæso te, frater, ut desinas: satis malorum est, etiamsi non accedat obiurgationis molestia.* CARTH. *Quotam autem malorum partem commemoravi? Ista corporis duntaxat sunt. Iam animam verò qualem reportas, quantâ scabie putrem, quot vulneribus sauciam?* MIL. *Tam puram refero, quàm est cloaca Parisiis in via, quæ dicitur*

vulgò Maberti, aut latrina publica. CARTH. *Vereor ne multò peius oleat apud Deum & angelos eius.* MIL. *Sed iam rixæ satis est. dic aliquid de farciendo viatico.* CARTH. *Mihi nihil est quod dem: experiar quid velit Prior.* MIL. *Atqui si quid daretur, essent tibi paratæ manus: nunc multæ obstant difficultates, quando numerandum est aliquid.* CARTH. *Quid alij faciant, ipsi viderint: Mihi, nec ad accipiendum, nec ad dandum sunt manus. Verùm de his à prandio: nunc tempus monet vt accumbamus.*

(*a*) *Samius literatus*, in cicatricosos proverbium: vide Chiliades. (*b*) Alludit huc quod dicuntur *mundo mortui.* (*c*) Iuvenalis. *Voluptates commendat rarior usus.* (*d*) *Fungi* fragiles sunt, & *papavera* solent decollari baculo. (*e*) Verba sunt historicis peculiaria: per *aram* significant religionem deorum, per *focum* rem domesticam. Nam & locus sacer erat Laribus. (*f*) *Delumbatus*, qui lumbos habet fractos aut casu, aut alio quovis infortunio.

(†) PSEVDOCHEI ET PHILETYMI.

PH. *Vnde tibi scatet tanta mendaciorum vis?* PS. *Vnde suppetunt araneæ fila?* PH. *Non est igitur artis, sed naturæ.* PS. *A naturâ profecta sunt semina: ars & usus auxêre facultatem.* PH. *Non te pudet?* PSEV. *Non magis quàm coccycem suæ cantionis.* PHIL. *At tibi in manu est mutare cantionem tuam: & in hoc est homini data lingua, ut vera prædicet.* PSEV. *Imò ut conducibilia. At non semper expedit vera dicere.* PHIL. *Ita nonnunquam conducit habere manus furaces.*

Et

Et hoc vitium esse tuo cognatum, testatur etiam populare (a) proverbium. PSEV. *Vtrunque vitium honestis nititur autoribus: Illud habet Vlyssem tantopere laudatum ab Homero, hoc Mercurium etiam Deum, si Poetis credimus.* PHIL. *Cur igitur vulgus execratur mendaces, fures etiam subiguntur in crucem?* PSEV. *Non ideò quòd mentiantur, aut furentur, sed quòd insciè mentiantur ac furentur: vel quia præter naturam, vel quia non satis callentes artem.* PHIL. *Estne scriptor quispiam, qui tradit artem mentiendi?* PSEV. *Bonam artis partem monstravêre tui rhetores.* PHIL. *Hi quidem tradunt artem benè dicendi.* PSEV. *Verum: sed bona pars benè dicendi est scitè mentiri.* PHIL. *Quid est scitè mentiri?* PSEV. *Vis definiam?* PHIL. *Volo.* PSEV. *Est ita mentiri, ut lucro sit, nec deprehendi possis.* PHIL. *At quotidie deprehenduntur multi.* PSEV. *Isti non sunt artifices absoluti.* PHI. *Es igitur tu absolutus artifex?* PSEV. *Propemodum.* PHIL. *Experire an me possis mentiendo fallere.* PSEV. *Et te quoque possim, vir optime, si libeat.* PHIL. *Dic igitur aliquod mendacium.* PSEV. *At iam dixi, non deprehendisti?* PHI. *Non.* PSEV. *Agè fac sis attentus. Nunc incipiam mentiri.* PHI. *Sum attentus, dic aliquid.* PSEV. *At iam iterum mentitus sum, te non deprehendente.* PHI. *Equidem nihil adhuc audio mendacij.* PSEV. *Audisses si calleres artem.* PHI. *Proinde commonstra tu.* PSEV. *Primùm appellavi te virum optimum. Annon istud est insigne mendacium, quum ne bonus quidem sis: & si*

bonus esses, optimus dici non possis, quum sint innumeri te meliores? PHI. *Hic planè fefelleras.* PSEV. *Iam fac periculum, an possis alterum mendacium ex te deprehendere.* PHIL. *Non possum.* PSEV. *Hic desidero ingenium, quod alibi præstas.* PHIL. *Fateor, ostende tu.* PSEV. *Cùm dicerem: Nunc incipiam mentiri, nónne magnificè mentiebar; quũ tot annos adsueverim mentiri, & paulò antè, quàm hoc dicerem, essem mentitus?* PHIL. *Mirum præstigium.* PSEV. *Sed nunc saltem monitus arrige aures, ut deprehendas mentientem.* PHIL. *Arrexi. Dic.* PSEV. *Imò iam dictum est, & tu meum mendacium es imitatus.* PHIL. *Tu mihi persuadebis, quòd nec aures habeam, nec oculos.* PSEV. *Quum homini sint aures immobiles, ut nec arrigi possint, nec demitti, mentiebar te arrecturum aures.* PHI. *Talibus mendaciis plena est omnis hominum vita.* PSEV. *Non talibus tantùm, ô bone. Nam hæc ludicra sunt: sunt quærem adferant.* PHIL. *Turpius est lucrum ex mendacio, quàm ex* (b) *lotio.* PSEV. *Verum est, inquam, sed iis qui mentiendi nesciunt artem.* PHIL. *Quam igitur tu calles artem?* PSEV. *Non æquum est, ut te gratis doceam: numera & audies.* PHIL. *Non emo malas artes.* PSEV. *Donas igitur gratis fundum tuum?* PHI. *Non sic insanio.* PSEV. *At ego ex hac arte mea certiores capio fructus quàm tu ex tuo fundo.* PHIL. *Manebit tibi ars tua: tantùm profer specimen, ut intelligam non omnino vanum esse quod dicis.* PSEV. *Accipe igitur* (c) *specimen. Multis multorum negotiis memet admisceo,*

emo

emo vendo, recipio, sumo mutuo, accipio depositum. PHIL. *Quid tum postea?* PSEV. *Atque hic potissimum capto eos, à quibus non facilè deprehendar.* PHIL. *Quos?* PSEV. *Stupidos, oblivioſos, incogitantes, longè semotos & mortuos.* PHIL. *Certum est, mortuos neminem redarguere.* PSEV. *Si quid cui vendo in diem, diligenter annoto in libellis rationum.* PHIL. *Quid deinde?* PSEV. *Vbi reddenda est pecunia, plus imputo mercium emptori, quàm acceperit. Is si incogitans est, aut oblivioſus, mihi certum est lucrum.* PHIL. *Quid si deprehendat?* PSEV. *Profero librum rationalem.* PHIL. *Quid si is doceat, & evincat, se non accepisse, quod imputas?* PSEV. *Reclamo quantum possum. Nam in hac arte prorsus inutilis est pudor. Denique extrema (d) ancora est, ut aliquid comminiscar.* PHIL. *Quid palàm deprehensus?* PSEV. *Nihil est facilius: erravit famulus, aut ipse lapsus sum memoria. Scitum est, multas simul miscere rationes, hìc facilius est imponere. Exempli causa. Sunt quædam dispuncta, quòd soluta sit pecunia: sunt alia, pro quibus nihil numeratum est. Hæc in posterioribus codicillis misceo sic, ut nihil dispungam. Vbi supputatur, contendimus & vinco plerunq; vel periurio. Est & hoc artis, ferè rationem ineo cum accinctо adiutore & imparato. Nam mea mihi semper parata sunt. Deponitur aliquid apud me, servo clam apud me, nec reddo. Longum est prius quàm resciscat ille, ad quem res missa est. Tandem, si non licebit inficiari, dico mihi periisse, aut*

contendo me misisse, quod non misi, incuso aurigas. Postremò, si vitare non possum, quin reddam, reddo accisum. PHIL. Bella verò ars. PSEV. Nonnunquam eodem nomine bis accipio pecuniam, si liceat. Primum domi, deinde illic quo proficiscor: & nusquam non sum. Interim tempus inducit oblivionem, cõfunduntur rationes, aliquis moritur, aut suscipit longinquam peregrinationem: ut omnia pessimè cadant, saltem interim usus sum alienâ pecuniâ. Nonnullos etiam capto specie benignitatis, ut faveant mentienti. sed semper de alieno: de meo nec matri darem teruncium. Quanquam autem in singulis videatur lucrum exiguum, ex multis tamen (multis enim memet, ut dixi, misceo) nascitur acervus, haudquaquàm pœnitendus. Porrò, ne deprehẽdar, quũ multæ sunt technæ, tũ illa præcipua: omnes omnium epistolas, quas possum, intercipio, resigno, ac lego. Si quid obfuturum suspicor, premo: aut si reddo, reddo meo tempore. Adhæc, inter longo semotos intervallo, mendaciis meis sero simultatem. PHIL. Quis iste hinc usus? PSEV. Geminus. Primùm, si non præstatur, quod alterius nomine promisi, & quo nomine munus etiam accepi (nam (t) fumos huiusmodi magni vendo) fingo per illum aut illum stetisse, quò minus perfectum sit. PHIL. Quid si neget ille? PSEV. Is procul abest, puta Basileæ; ego polliceor dare in Anglia: deinde fit, ut ortâ simultate neuter alteri credat, si quid incuser. Habes specimen artis. PHIL. At istam artem nos crassiores solemus vocare furtum, qui ficum vocamus si-

mus ficum, & (g) *scapham scapham.* PSEV. *O hominem iuris Cæsarii rudem! An licet intendere actionem furti ei, qui suppressit depositum, aut qui abiurat mutuum, aut simili technâ imposuit?* PHIL. *Oportuit.* PSEV. *Proinde vide prudentiam artificum. Ex his plus est lucri, aut certè tantundem, & minus est periculi.* PHIL. *Malè sit tibi cum tuis technis ac mendaciis. Non enim libet dicere, Vale.* PSEV. *Tu ringere cum tua pannosa veritate. Ego interim suaviter agam cum meis furtis ac mendaciis, dextro* (h) *Vlysse ac Mercurio.*

† *Pseudocheus* fusor mendaciorum. *Philetymus* amans veritatis. (*a*) Proverbium, *Qui mendax idem & furax.* (*b*) Alludit ad Vespasiani dictum: *Lucri bonus est odor ex re qualibet.* Nam is vectigal collegit ex lotio, re malè olente, at non malè olebat pecunia. (*c*) *Specimen*, id est, gustum sive exemplum. (*d*) *Extrema ancora*, id est, supremum refugium, vide proverbium de sacra ancora. (*e*) *Nomen* hic titulus est debiti, unde & pro debitoribus accipiuntur *nomina.* (*f*) Vide proverbium: *Fumos vendere.* (*g*) Græca vox ambigua est: sed opinor melius verti per ligonem à σκάπτω quod est fodio. (*h*) *Vlysses* ab Homero fingitur vafer & mendax. *Mercurius* affert lucrum, vafer quoque ipse, ac furax.

NAVFRAGIVM. Colloq. Helv. p. 397.

ANTONIVS, ADOLPHVS.

ANTO. *Horrenda* (a) *narras. Est istud navigare? Prohibeat Deus, ne mihi quicquam unquam tale veniat in mentem.* ADOL. *Imò quod hactenus commemoravi, lusus merus est præ his quæ nunc*

nunc audies. ANTO. *Plus satis malorum audivi: inhorresco, te memorante, quasi ipse periculo interfim.* ADOL. *Imò mihi iucundi sunt acti labores. Eâ nocte quiddam accidit, quod magna ex parte spem salutis ademit nauclero.* ANTO. *Quid obsecro?* ADOL. *Nox erat (b) subluſtris, & in summo malo stabat quidam è nautis in galea (sic enim vocant opinor) circumspectans, si quam terram videret: huic cœpit assistere sphæra quædam ignea: id nautis tristissimum ostentum est, si quando solitarius ignis est; fœlix, cùm gemini. Hos vetustas credidit (c) Castorem & Pollucem.* ANTO. *Quid illis cum nautis, quorum alter fuit eques, alter pugil?* ADOL. *Sic visum est poëtis. Nauclerus, qui clavo assidebat, Socie, inquit, (nam eo nomine se mutuò compellant nautæ) vidésne, quod sodalitium tibi claudat latus? Video, respondit ille, & precor ut sit felix. Mox globus igneus delapsus per funes devolvit sese usque ad nauclerum.* ANTO. *Num ille exanimatus est metu?* ADOL. *Nautæ adsueverunt monstris. Ibi paulisper commoratus, volvit se per margines totius navis, inde per medios (d) foros dilapsus evanuit. Sub meridiem cœpit magis ac magis increscere tempestas. Vidistíne unquam Alpes?* ANTO. *Vidi.* ADOL. *Illi montes (e) verrucæ sunt, si conferantur ad undas maris. Quoties tollebamur in altum, licuisset lunam digito contingere: quoties dimittebamur, videbamur dehiscente terrâ rectà ire in tartara.* ANTO. *O insanos, qui se credunt mari! O nautis frustra lu-*

Elanti-

ctantibus cum tempestate, tandem nauclerus totus pallens nos adiit. ANTO. *Is pallor præsagit aliquod magnum malum.* ADOL. *Amici, inquit, desii esse dominus navis meæ: vicêre venti: reliquum est, ut spem nostram collocemus in Deo, & quisque se paret ad extrema.* ANTO. *O verè* (f) *Scythicam concionem!* ADOL. *In primis autem inquit, exoneranda est navis. Sic iubet* (g) *necessitas, durum telum: præstat consulere vitæ, dispendio rerum, quàm simul cum reb. interire. Persuasit veritas: proiecta sunt in mare plurima vasa plena preciosis mercibus.* ANTON. *Hoc erat verè iacturam facere.* ADOL. *Aderat Italus quidam, qui legatum egerat apud regem Scotiæ. Huic erat scrinium plenum vasis argenteis, annulis, panno ac vestimentis sericis.* ANTO. *Is nolebat* (h) *decidere cum mari?* ADOL. *Non: sed cupiebat perire cum* (i) *amicis opibus suis, aut simul cum illis servari. Itaque refragabatur.* ANTON. *Quid nauclerus?* ADOL. *Per nos, inquit, liceret tibi cum tuis perire solùm, sed æquum non est, ut nos omnes tui scrinii causâ periclitemur: alioqui te unà cum scrinio dabimus in mare præcipitem.* ANTO. *Orationem verè* (k) *nauticam!* ADOL. *Sic Italus quòque iacturam fecit, multa mala precans & superis & inferis, quòd suam vitam elemento tam barbaro credidisset.* ANTON. *Agnosco vocem* (l) *Italicam.* ADOL. *Paulò pòst venti nihilo mitiores facti nostris muneribus, rupêre funes, disiecêre vela.* ANTON. *O* (m) *calamitatem!* ADOL. *Ibi rursus*

sus nos adit navita. ANTON. Concionaturus? ADOL. Salutat. Amici, inquit, tempus hortatur, ut unusquisq; Deo se commendet, ac morti se præparet. Rogatus à quibusdam nauticæ rei non imperitis, ad quot horas crederet se posse tueri navem: negavit se posse polliceri quicquam, sed ultra tres horas non posse. ANTON. Hæc concio durior etiam erat priore. ADOL. Hæc ubi locutus est, iubet incîdi funes omnes, ac malum usque ad thecam, cui inseritur, incîdi serrâ, ac simul cum antennis devolvi in mare. ANTON. Cur hoc? ADOL. Quoniam sublato ac lacero velo, erat oneri, non usui: tota spes erat in clavo. ANTON. Quid interea vectores? ADOL. Ibi vidisses miseram rerum faciem: nautæ canentes, Salve regina, implorabant matrem virginem, appellantes eam stellam maris, reginam cœli, dominam mundi, portum salutis, aliisque multis titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt sacræ literæ. ANTON. Quid illi cum mari, quæ nunquam opinor, navigavit? ADOL. Olim Venus agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari: ea quoniam desiit curare, suffecta est huic matri non virgini virgo mater. ANTON. Ludis. ADOL. Nonnulli procumbentes in tabulas adorabant mare, quicquid erat (n)olei effundentes in undas, non aliter illi blandientes, quàm solemus irato principi. ANT. Quid aiebant? ADOL. O clementissimum mare, ô generosissimum mare, ô ditissimum mare, ô formosissimum mare! mitesce, serva. Huiusmodi multa occine-

occinebant surdo mari. ANTON. Ridicula superstitio. Quid alij? ADOL. Quidam nihil aliud quàm vomebant, plerique vota nuncupabant. Aderat Anglus quidam, qui promittebat montes aureos Virgini Vualsamgamicæ, si vivus attigisset terram. Alii multa promittebant ligno crucis, quod esset in tali loco: alij rursum, quod esset in tali loco. Idem factum est de Maria virgine, quæ regnat in multis locis: & putant votum irritum, nisi locum exprimas. ANTON. Ridiculum, quasi divi non habitent in cœlis. ADOL. Erant, qui se promitterent fore Carthusianos. Erat vnus, qui polliceretur se aditurum D. Iacobum, qui habitet Compostellæ, nudis pedibus & capite, corpore tantum loricâ ferreâ tecto, adhæc cibo emendicato. ANTON. Nemo meminit Christophori? ADOL. Vnum audivi non sine risu, qui clarâ voce, ne non exaudiretur, polliceretur Christophoro, qui est Lutetiæ in summo templo, mons verius, quàm statua, cereum tantum, quantus esset ipse. Hæc cum vociferans quantũ poterat, identidem inculcaret, qui fortè proximus assistebat illi notus cubito tetigit eum ac submonuit: Vide quid pollicearis: etiam si rerum omnium tuarum (o) auctionem facias, non fueris solvendo. Tum ille voce iam pressiore, ne videlicet exaudiret Christophorus: Tace, inquit, fatue: an credis me ex animi sententia loqui? Si semel contigero terram: non daturus sum illi candelam sebaceam. ANTO. O crassum ingenium! suspicor fuisse (p) Batavum. ADOL. Non: sed erat Zelandus. ANTON. Miror

nulli

nulli in mentem venisse Paulum Apostolum, qui ipse olim nauigarit, & fractâ naui desilierit in terram. Is enim haud ignarus mali, didicit miseris succurrere. ADOL. *Pauli nulla erat mentio.* ANTO. *Precabantur interim?* ADOL. *Certatim. Alius canebat, Salve regina: alius, Credo in Deum. Erant qui peculiares quasdam preculas habebant, non dissimiles magicis adversus pericula.* ANT *Vt adflictio facit religiosos! rebus secundis nec Deus, nec divus quispiam nobis venit in mentem. Quid tu interea? Nulli divorum nuncupabas vota?* ADOL. *Nequaquam.* ANT. *Cur ita?* ADOL. *Quia non paciscor cum divis. Quid enim est aliud quàm contractus iuxta formulam: Do, (q) si facias: aut faciam, si facias: dabo cereum, si enatem: ibo Romam si serves.* ANTO. *At implorabas alicuius divi præsidium?* ADOL. *Ne id quidem.* ANT. *Quam ob rem autem?* ADO. *Quia spatiosum est cœlum. Si cui divo cõmendaro meam salutem, puta, S. Petro qui fortassis primus audiet, quòd adstet ostio, prius quàm ille conveniat Deum, prius quàm exponat causam, ego iam periero.* ANT. *Quid igitur faciebas?* ADOL. *Rectà adibam ipsum patrem, dicens: Pater noster qui es in cœlis. Nemo divorum illo citiùs audit, aut libentiùs donat, quod petitur.* ANT. *Sed interea non reclamabat tibi conscientia? Non verebaris appellare patrem, quem tot sceleribus offenderas?* ADOL. *Vt ingenuè dicam: deterrebat nonnihil conscientia: sed mox recipiebam animum, ita mecum cogitans: Nullus est pater tam iratus filio, quin si videat eum pericli-*

periclitantem in torrente aut lacu, capillis arreptũ eiiciat in ripam. Inter omneis nullus se tranquillius agebat, quàm mulier quædam, cui erat infantulus in sinu, quem lactabat. ANTON. Quid illa? ADOL. Sola nec vociferabatur, nec flebat, nec sollicitabatur; tantum complexa puellum precabatur tacitè. Interea dum navis subinde illideretur vado, nauclerus metuens ne tota solveretur, rudentibus eam cinxit à prora & à puppi. ANTON. O misera præsidia! ADOL. Interim exoritur quidam sacrificus senex, annos natus sexaginta, nomen erat Adamus: is abiectis vestibus usque ad indusium, abiectis etiam ocreis & calceis, iussit ut omnes itidem pararemus nos ad natandum. Atque ita stans in medio navis, concionatus est nobis ex Gersone quinq; veritates de utilitate confitendi, hortatus omneis, ut se quisque præpararet & vitæ & morti. Aderat & Dominicanus quidam. his confessi sunt, qui volebant. ANTON. Quid tu? ADOL. Ego videns omnia plena tumultus, tacitè confessus sum Deo, damnãs apud illum meam iniustitiam, & implorans illius misericordiam. ANTON. Quo migraturus, si sic perisses? ADOL. Hoc committebam iudici Deo. Neq; enim volebam esse mei ipsius iudex: tamen bona quædam spes interim habebat animum meum Dum hæc aguntur, redit ad nos nauta lacrymabundus. Paret, inquit, se quisque: nam navis non erit nobis usui ad quartam horæ partem. Iam enim locis aliquot convulsa hauriebat mare. Paulò pòst nauta renunciat nobis, se videre procul

turrim sacram, adhortãs, ut Divi quisquis esset eius templi præses, auxilium imploraremus. Procumbunt omnes, & orant ignotum Divum. ANTON. Si nomine compellassetis eum, fortassis audisset. ADOL. Erat ignotum: Interim nauclerus quantum potest eò navem dirigit iam laceram, iam undique combibentem undas, ac planè dilapsuram, ni rudentibus fuisset subcincta. ANTO. Dura rerum conditio. ADOL. Eò profecti sumus, ut eius loci incolæ prospicerent nos periclitantes, ac procurrentes catervatim in extremum littus, sublatis togis, & galeris in lanceas impositis, invitabant ad se: ac tactatis in cœlum brachiis significabant se deplorare nostram fortunam. ANTON. Expecto quid evenerit. ADOL. Iam mare totam navim occupárat, ut nihilò tutiores essemus futuri in navi, quàm in mari. ANTON. Hìc ad sacram anchoram confugiendum erat. ADOL Imò ad miseram. Nautæ scapham exonerant aquâ, ac demittunt in mare. In hanc omnes sese conantur conicere, nautis magno tumultu reclamantibus, scapham non esse capacem tantæ multitudinis, arriperet sibi quisq; quod posset, ac nataret. Res non patiebatur lenta consilia: alius arripit remum, alius contum, alius alveum, alius situlam, alius tabulam, ac suo quisq; præsidio nitentes, committunt se fluctibus. ANTO. Quid interim accidit illi mulierculæ, quæ sola non eiulabat? ADOL. Illa omnium prima pervenit ad littus ANTON. Quî potuit? ADOL. Imposueramus eam repandæ tabulæ, & sic alligaveramus, ut non facile posset decidere:

cidere: dedimus illi tabellam in manum, quâ vice remi uteretur: ac benè precantes, exposuimus in fluctus, conto protrudentes, ut abesset à navi, unde erat periculum. Illa lævâ tenens infantulum, dextrâ remigabat. ANT. O viraginem! ADOL. Cùm iam nihil superesset, quidam avulsit ligneam statuam virginis matris iam putrem atq; excavatam à (r) soricibus, eamq; complexus cœpit natare. ANT. Scapha pervenit incolumis? ADOL. Nulli priùs periêre. Porrò triginta sese in eam coniecerant. ANTON. Quo malo fato id factum est? ADOL. Priusquàm posset se liberare à magna navi, illius vacillatione subversa est. ANT. O factum malè! Quid tum? AD. Ego dum aliis consulo, penè perieram. ANT. Quo pacto? AD. Quia nihil supererat aptum natationi. AN. Illic subera fuissent usui. ADO. In eo rerum articulo maluissem vile suber, quàm candelabrum aureum. Circumspicienti tandem venit in mentem de ima mali parte: eum quoniam solus eximere non poterã, adsciscо socium: huic ambo innixi, committimus nos mari, sic ut ego dextrum cornu tenerem, ille lævum. Dum sic iactamur, sacrificus ille concionator nauticus medium iniecit se in humeros nostros: erat autem ingenti corpore. Exclamamus, quis ille tertius? Is perdet nos omneis. Ille contrà placidè: Sitis, inquit, bono animo, sat spacij est. Deus aderit nobis. ANTON. Cur ille tam serò cœpit esse natator? ADOL. Imò futurus erat in scapha unà cum Dominicano: (nam omnes hoc honoris illi deferebant) sed quanquam erant invicem confessi in navi, ta-

men obliti nescio quid circumstantiarum, rursus ibi in ora navis consitentur: & alter alteri manum imponit, interim scapha perit. nam hæc mihi narravit Adamus. ANTON. Quid actum est de Dominicano? ADOL. Is, ut idem narrabat, imploratâ divorum ope, abiectis vestibus, nudum se commisit natationi. ANTO. Quos divos invocabat? ADOL. Dominicum, Thomam, Vincentium, & nescio quem Petrum: sed inprimis fidebat Catharinæ Senensi. ANTON. Christus illi non veniebat in mentem? ADOL. Ita narrabat sacrificus. ANTON. Melius enatasset, si non abiecisset sacram cucullam: eâ depositâ, qui potuit illum agnoscere Catharina Senensis? Sed perge narrare de te. ADOL. Dum adhuc volveremur iuxta navim, arbitrio fluctuum huc & illuc se volventem, clavus illisus fregit femur eius, qui tenebat lævum cornu. Sic ille revulsus est. Sacrificus precatus illi requiem æternam, successit in locum illius, adhortans me, ut magno animo tuerer cornu meum, ac strenuè moverem pedes. Interim potabamus multum aquæ salsæ. Adeò Neptunus nobis non balneum tantùm salsum, sed potionem etiam salsam temperârat, quanquam sacrificus ei rei monstraret remedium. ANTON. Quod obsecro? ADOL. Quoties unda nobis occurreret, ille oppositit occipitium, ore clauso. ANTON. Strenuum senem mihi narras. ADOL. Vbi iam aliquandiu sic natantes nõnihil promovissemus, Sacrificus (quoniam erat miræ proceritatis) bono, inquit, es animo, sentio vadum. Ego nõ ausus tantum sperare felicitatis,

citatis, longiùs, inquam, abſumus à littore, quàm ut vadum ſperandum ſit. Imò, inquit, ſentio pedibus terram. Eſt, inquam, fortaſsis è ſcriniis aliquod, quod huc devolvit mare. Imò, inquit, ſcalptu digitorum planè ſentio terram. Cùm adhuc aliquandiu nataſſemus, ac rurſus ſentiret vadum, Tu fac, inquit, quod tibi videtur factu optimum: ego tibi cedo malum totum, & vado me credo: ſimulq; expectato fluctuum deceſſu, pedibus ſequutus eſt quanto potuit curſu. Rurſus accedentibus undis, utraque manu complexus utrunque genu obnitebatur fluctui, occultans ſeſe ſub undis, quemadmodum ſolent mergi & anates: rurſus abeunte fluctu, promicabat & currebat. Ego videns hoc illi ſuccedere, ſum imitatus. Stabant in arena, qui porrectis inter ſe prælongis haſtilibus, fulciebant ſeſe adverſus impetum undarum, viri robuſti, & fluctibus adſueti, ſic ut ultimus haſtam porrigeret adnatanti. Eâ contactâ, omnibus in littus ſeſe recipientibus, tutò pertrahebatur in ſiccum. Hac ope ſervati ſunt aliquot. ANTON. Quot? ADOL. Septem; verùm ex his duo ſoluti ſunt tepore, admoti igni. ANTON. Quot eratis in navi? ADOL. Quinquaginta octo. ANTON. O ſævum mare! ſaltem decimis fuiſſet contentum, quæ ſufficiunt ſacerdotibus. Ex tanto numero tam paucos reddidit? ADOL. Ibi experti ſumus incredibilem gentis humanitatem, omnia nobis mirâ alacritate ſuppeditantis, hoſpitium, ignem, cibum, veſtes, viaticum. ANTON. Quæ gens erat? ADOL. Hollandica. ANTON. Iſta nihil

humanius, quum tamen feris nationibus cincta sit. Non repetes, opinor, posthac Neptunum. ADOL. *Non, nisi mihi Deus ademerit sanam mentem.* ANTON. *Et ego malim audire tales fabulas, quàm experiri.*

(*a*) Ex abrupto incipit colloquium more comœdiarum. (*b*) Id est, quæ nonnihil habeat lucis. (*c*) Vide Pli. lib. 20. ca. 17. (*d*) *fors* sunt tabulata navis ac veluti tectum. (*e*) *Verrucæ*, id est, tubercula. Sic Cato, ni fallor collem *Verrucam* appellavit. (*f*) Scythicam concionem. i. *duram*: vide proverb. (*g*) Alludit ad illud Plinii: *Maximum telum necessitas*, Rursum ad illud: τῇ ἀνάγκῃ οὐδὲ οἱ θεοὶ μάχονται (*h*) *Decidere*, est pacisci portione rerum, ut reliqua maneant salva. (*i*) *Amicis* opibus, pro adamatis. (*k*) Semper nautæ finguntur immanes. Quale est elementum tales sunt & illi. (*l*) Nam Itali magno stomacho *barbarum* vocant quicquid est peregrinum. (*m*) Quod est culmorum, traxit ad instrumentum navis. (*n*) Ea natura est *olei*, ut lucem adferat, ac tranquillet omnia, etiam mare, quo non aliud elementum implacabilius. (*o*) *Auctio* venditionis genus, in quo à licitantibus intenditur pretium. (*p*) *Βάτταλοι* vulgari ioco dicuntur crassi. (*q*) Formulæ sunt contractuum, quos Iureconsulti vocant innominatos. (*r*) *Sorex* animal quod vulgo glirem vocant. Theodoretus in historia Ecclesiastica refert, cùm Christiani Serapidis idolum, quod grande habebatur Alexandriæ, securibus frangerent, & caput eius abstulissent, greges soricum inde procurrisse.

DIVERSORIA.

BERTVLPHVS, GVLIELMVS.

BERT. *Cur ita visum est, plerisque biduum aut triduum commorari Lugduni? Ego semel iter ingressus, non conquiesco, donec pervenero, quò constitui.*

stitui. GVL. Imò ego admiror quenquam illinc avelli posse. BERTVLP. Quamobrem tandem? GVLIEL. Quia illic locus est, unde non poterant avelli socij Vlyssis: illic Sirenes. Nemo domi suæ tractatur meliùs, quàm illic in (a) Pandocheo. BERT. Quî fit? GVLIEL. Ad mensam semper astabat aliqua mulier, quæ convivium exhilararet facetijs ac leporibus. Et est illic mira formarum felicitas. Primùm adibat materfamilias, quæ salutabat, iubens nos hilares esse; & quod adponeretur, boni consulere. Huic succedebat filia, mulier elegans, moribus ac lingua adeò festivis, ut possit vel ipsum (b) Catonem exhilarare. Nec confabulantur, ut cum hospitibus ignotis, sed veluti cum olim notis ac familiaribus. BERTVL. Agnosco Gallicæ gentis humanitatem. GVLIEL. Quoniam autem illæ non poterant adesse perpetuò, quòd essent obeunda munia domestica, reliquiq; convivæ consalutandi; continenter adstabat puellula quædam, ad omnes iocos instructa, una satis erat omnium iaculis excipiendis: hæc sustinebat fabulam, donec rediret filia. Nam mater erat natu grandior. BERT. Sed qualis erat tandem apparatus? Nam fabulis non expletur venter. GVLIEL. Profectò laitius, ut ego mirer, illos tam vili posse accipere hospites. Rursus peracto convivio, lepidis fabulis alunt hominem, ne quid obrepat tædij. Mihi videbar domi esse, non peregrè. BERTVL. Quid in cubiculis? GVLIEL. Illic nusquam non aderant aliquot puellæ, ridentes, lascivientes, lusitantes, ultrò rogabant, si quid haberemus

mus vestium sordidarum: eas lavabant, ac lotas reddebãt. Quid multis? nihil illic vidimus præter puellas ac mulieres, nisi in stabulo: quanquã & huc frequenter irrumpebant puellæ. Abeuntes complectuntur, tantoque adfectu dimittunt, ac si fratres essent omnes, aut propinquæ cognationis. BERT. Fortassis isti mores decent Gallos: mihi magis arridentGermaniæ mores, utpote masculi. GVLIEL. Mihi nunquam contigit videre Germaniam, quare te quæso, ne gravêre commemorare, quibus modis accipiant hospitem. BERTOL. An ubique sit eadem tractandi ratio, nescio quod ego vidi, narrabo. Advenientem nemo salutat, ne videantur ambire hospitem. Id enim sordidum & abiectum existimant, & indignum Germanicâ severitate. Vbi diu inclamaveris, tandem aliquis per fenestellam æstuarij (nam in his degunt ferè usque ad solstitium æstivum) profert caput, non aliter quàm è testa prospicit testudo. Is rogandus est, an liceat illic diversari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus ubi sit stabulum, motâ manu demonstrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admovet. Si celebrius est diuersorium, ibi famulus commonstrat stabulum, atque etiam locum equo minimè commodum. Nam commodiora servant venturis, præsertim nobilibus. Si quid causeris, statim audis: Si non placet, quære aliud diversorium. Fœnum in urbibus ægrè & perparcè præbent, nec multò minoris vendunt quàm ipsam avenam. Vbi consultum est equo, totus commigrasin

hypo-

hypocaustum, cum ocreis, sarcinis, luto. id est unum omnibus commune. GVL. Apud Gallos designant cubicula, ubi se exuant, extergant, calefaciant, aut quiescant etiam, si libeat. BERTV. Hic nihil tale. In hypocausto exuis ocreas, induis calceos, mutas, si voles, indusium vestes pluviâ madidas suspēdis iuxta hypocaustum, ipse te admoves ut sicceris. Est & aqua parata, si libeat lauare manus, sed ita munda plerunque, ut tibi post alia quærenda sit aqua, quâ lotionem eam abluas. GVLIEL. Laudo viros nullis deliciis effœminatos. BERTV. Quod si tu appuleris ad horam à meridie quartam, non cœnabis tamen ante nonam, nonnunquam & decimam. GVL. Quamobrem? BERT. Nihil adparant, nisi videant omnes, ut eádem operâ ministretur omnibus. GVLIEL. Quærunt compendium. BERT. Tenes. Itaque frequenter in idem hypocaustum, conveniunt octoginta aut nonagintæ pedites, equites, negociatores nautæ, aurigæ, agricolæ pueri, fœminæ, sani, ægroti. GVLIEL. Istud verò (c) cœnobium est. BERT. Alius ibi pectit caput, alius abstergit sudorem, alius repurgat perones, aut ocreas, alius eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non minor est confusio, quàm olim in turri Babel. Quòd si quem conspexerint peregrinæ gentis, qui cultu dignitatis nonnihil præ se ferat, in hunc intenti sunt omnes defixis oculis, contemplantes, quasi novum aliquod animantis genus adductum sit ex (d) Africa, adeò ut postea quam adcubuerint, reflexo in tergum vultu, continenter adspiciant, nec

dimoveant oculos, cibi immemores. GVL. *Romæ, Lutetiæ, ac Venetiæ nemo quicquam miratur.* BER. *Nefas est interim tibi quicquam petere. Vbi iam multa est vespera, nec sperantur plures adventuri, prodit famulus senex, barbâ cana, tonso capite, vultu torvo, sordido vestitu.* GVLIEL. *Tales oportebat Cardinalibus Romanis esse à poculis.* BERT. *Is circumactis oculis, tacitus dinumerat, quot sint in hypocausto: quo plures adesse videt, hoc vehementiùs accenditur hypocaustum, etiamsi alioqui sol æstu sit molestus. Hæc apud illos præcipua pars est bonæ tractationis, si sudore diffluant omnes. Si quis non assuetus vapori, aperiat rimam fenestræ, ne præfocetur, protinùs audit, Claude. Si respondeas, Non fero, audis, Quære igitur aliud diversorium.* GVL. *Atqui mihi nihil videtur esse periculosius, quàm tam multos haurire eundem vaporem, maximè resoluto corpore, atque hìc capere cibum, & horas complures commorari. Iam enim omitto ructus aliatos & ventris flatum, halitus putres: multi sunt qui morbis occultis laborant, nec ullus morbus non habet suum contagium. Certè plerique scabiem habent Hispanicam, sive ut quidam vocant Gallicam, quum sit omnium nationum communis. Ab his opinor non multò minus esse periculi, quàm à leprosis. Iam tu divina quantum discriminis sit in pestilentia.* BERT. *Sunt viri fortes: ista rident ac negligunt.* GVL. *Sed interim multorum periculo fortes sunt.* BERT. *Quid facias? Sic adsueverunt: & constantis est animi, non decedere ab instituto.* GVL.

Atque

Atqui ante annos viginti quinque nihil receptius erat apud Brabantos, quàm (e) *thermæ publicæ: eæ nunc frigent ubique. Scabies enim noua docuit nos abstinere.* BERT. *Sed audi cætera. Post redit ille barbatus* (f) *Ganymedes, ac linteis insternit mensas, quot putat esse satis illi numero. Sed ô Deum immortalem, quàm non* (g) *Milesiis! cannabea diceres ex antennis detracta. Destinavit enim vnicuiq; mensæ convivas, ad minimum octo. Iam quibus est notus mos patrius, accumbunt ubi cuique libitum fuerit. Nullum enim discrimen inter pauperem ac divitem, inter herum ac famulum.* GVL. *Hæc est illa vetus æqualitas, quàm nunc è vita submovit tyrannis. Sic opinor vixisse Christum cum suis discipulis.* BERT. *Postquam accubuerunt omnes, rursum prodit torvus ille Ganymedes, ac denuò dinumerat sua sodalitia: mox reversus apponit singulis* (h) *pinacium ligneum & cochleare ex eodem argento factum, deinde cyathum vitreum, aliquanto pòst panem: eum sibi quisque per ocium purgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam sedetur fermè horæ spacio.* GVL. *Nullus hospitum interim efflagitat cibum?* BERT. *Nullus, cui notum sit regionis ingenium. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quàm non fumosum! Non aliud oportebat bibere Sophistas, tanta est subtilitas & acrimonia. Quod si quis hospes, etiam oblatâ privatim pecuniâ, roget, ut aliunde paretur aliud vini genus, primùm dissimulãt, sed eo vultu, quasi interfecturi si vrgeas, respondent; Hîc diversat i sunt tot Comites & Marchiones: neq;*

quis-

quisquam quæstus est de vino meo: si non placet, quære tibi aliud diversorium. Solos enim nobiles suæ gentis habent pro hominibus, & horum insignia nusquam non ostentant. Iam igitur habent offam, quam obiiciant latranti stomacho: mox magnâ pompâ veniunt dissi. Primus fermè habet offas panis madefactas iure carnium, aut si dies est pisculentus, iure leguminum. deinde aliud ius: post aliquid carnium recoctarum, aut salsamentorum recalfactorum: rursus pultis aliquid, mox aliquid solidioris cibi, donec probè domito stomacho adponant carnes assas, aut pisces elixos, quos non possis omninò contemnere: sed hîc parci sunt, & subitò tollunt. Hoc pacto totum convivium temperant, quemadmodum solent actores fabularum, qui scenis admiscent choros: ita isti alternis miscent offas ac pultes; curant autem, ut extremus actus sit optimus. GVL. Et hoc est boni poëtæ. BERT. Porrò piaculum sit, si quis interim dicat, tolle hunc discum: nemo vescitur. Desidendum est usque ad præscriptum spacium, quod illi clepsydris, ut opinor, metiuntur. Tandem prodit ille barbatus, aut (k) pandocheus ipse, vestitu minimum à famulis differens, rogat, ecquid animi nobis sit. Mox adfertur vinum aliquod generosius. Amant autem eos, qui bibunt largiùs, quum nihilo plus solvat ille, qui plurimum hauserit vini, quàm qui minimum. GVLI. Mirum gentis ingenium. BERT. Quum nonnunquam sint, qui duplo plus absumant in vino, quàm solvant pro convivio. Sed antequam finiam hoc convivium, dictu mirum, quis sit ibi

sit ibi strepitus, ac vocum tumultus, postquam omnes cœperunt incalescere potu. Quid multis? Surda omnia. Admiscent se frequenter ficti mortones: quo genere hominum quum nullum sit magis detestandum, tamen vix credas, quantopere delectentur Germani. Illi cantu, garritu, clamore, saltatione, pulsu faciunt, ut hypocaustum videatur corruiturum, neque quisquam alterum audiat loquentem. At interea videntur sibi suaviter vivere. atque illic desidendum est volenti nolenti usque ad multam noctem. GVL. Nunc tandem absolve convivium. Nam me quoque tædet tam prolixi. BERT. Faciam. Tandem sublato caseo, qui vix illis placet nisi putris ac vermibus scatens, prodit ille barbatus, adferens secum pinacium escarium, in quo cretâ pinxit aliquot circulos atque semicirculos: id deponit in mensa, tacitus interim atque tristis: Charontem quempiam diceres. Qui agnoscunt picturam, deponunt pecuniam: deinde alius atque alius, donec explanatur pinacium. Deinde, notatis qui deposuerunt, supputat tacitus: si nihil desit, annuit capite. GVL. Quid si quid supersit? BERT. Fortasse redderet. & faciunt hoc nonnunquam. GVL. Nemo reclamat iniquæ rationi? BERT. Nemo qui sapit. Nam protinus audiret: Quid tu es hominis? Nihilo plus solves, quàm alii. GVL. Liberum hominum genus narras. BERT. Quod si quis ex itinere lassus, cupiat mox à cœna petere lectum: iubetur expectare, donec cæteri quoque eant cubitum. GVL. Videor mihi videre civitatem (1) Platonicam. BERT. Tum

sinus

suus cuique nidus ostenditur, & verè nihil aliud quàm cubiculum. Tãtum enim ubi lecti sunt, & præterea nihil, quo vtaris, aut quo fruaris. GVLIEL. *Illic mundicies est.* BERT. *Eadem quæ in conuiuio lintea, fortè lota ante menses sex.* GVL. *Quid interim fit de equis?* BERT. *Ad eandem disciplinam tractantur, ad quam homines.* GVL. *Sed est eadem vbiq; tractatio?* BERT. *Alicubi ciuilior est, alicubi durior est, quàm narraui: verùm in genere talis est.* GVL. *Quid si ego tibi nunc narrem, quibus modis hospites tractentur in ea parte Italiæ, quam Longobardiam vocant: rursus in Hispania, deinde in Anglia & in Vualia? Nã Angli partim Gallicos, partim Germanicos mores obtinent, vt ex his duabus gentibus mixti. Vuali se prædicant (m) αὐτόχθονας Anglos.* BERT. *Quæso te vt narres: nam mihi nunquam contigit eas adire.* GVL. *In præsentia non est ocium. Nam nauta iussit adesse me ad horam tertiam, nisi velim relinqui: & habet sarcinulam: aliàs dabitur opportunitas ad satietatem vsq; garriendi.*

(a) *Pandocheum* hospitium publicum, ita dictum quod in eo omnes promiscuè accipiantur. (b) Cato tetricus & moribus asperis ab autoribus prædicatur. (c) *Cœnobium*, id est, vitæ communio. (d) Vide proverbium, *Africa semper aliquid adfert noui*. (e) *Thermæ* balnea proprie, quæ suâ naturâ calida sunt. Vocantur item *Thermæ* quæ artificialiter calescunt. (f) Ironicæ dixit *Ganymedem barbatum*, quòd hic puer delicatus Iovi sit à poculis. (g) *Mileſia* texta mollia. (h) *Pinax* tabulam significat propriè latam & tenuem, Vnde diminutivum *pinacium*, quod nunc pro tabella nunc pro scutella ponitur. (i) Senten- Ciceronis est. Alluditur ad actus fabulæ, quorum vltimus est

est quintus. Vide proverbium: *Supremum fabulæ actum.* (k) *Pandochem* ipse hospes, qui omnes accipit. (l) *Civitas Platonica*, ubi æqualia sunt omnium omnia. (m) Id est, indigenas: aiunt enim Anglos ex Gallis & Saxonibus esse mixtos.

ADOLESCENTIS ET SCORTI.

LVCRETIA, (a) SOPHRONIVS.

LVCR. *Euge, mi lepidissime Sophroni, tandem nobis redditus es? Nam mihi videris abfuisse seculum. Primâ fronte te vix agnoscebam.* SOPHRO. *Quamobrem mea Lucretia?* LVC. *Quia pro imberbi nobis redisti barbatulus. Quid rei est meum corculum? Nam vidêre solito torvior.* SOPH. *Capio tecum seorsum colloqui familiariùs.* LVC. *Au, au, non solæ sumus, mea mentula?* SOP. *Secedamus in locum secretiorem.* LVC. *Age concedamus in cubiculum interius, si quid lubet.* SOP. *Nondum hic locus mihi videtur satis secretus* LVC. *Vnde iste novus pudor? est mihi museion, ubi repono mundum meum, locus adeò obscurus, ut vix ego te visura sim aut tu me.* SOP. *Circumspicerimas omnes?* LVC. *Rima nulla est.* SOP. *Nullus est in propinquo qui nos exaudiat?* LVCR. *Ne musca quidem mea lux. Quid cunctaris?* SOPH. *Fallemus hic oculos Dei?* LVC. *Nequaquam. Ille perspicit omnia.* SOP. *Et Angelorum?* LV. *Illorum oculos non licet effugere.* SO. *Qui fit igitur, ut non pudeat homnes id facere coram oculis Dei, ac testibus sanctis Angelis, quod pudet facere in conspectu hominum?* LVCRET. *Quid hoc novæ rei est? venisti huc concionaturus? Indue cucullam Franciscanam, conscende suggestum, & audiamus*

diamus te barbatule. SOPH. *Nec illud gravarer facere, si te queam ab isto vitæ genere revocare, non solùm turpissimo, verùm etiam miserrimo.* LVCR. *Quamobrem ô bone? victus alicunde parandus est. Sua quenque alit ars: hoc est nostrum opificium,* (b) *fundus noster.* SOPH. *Optarim, mea Lucretia, ut excussâ paulisper istâ animi temulentiâ, rem ipsam mecum considereres.* LVCR. *Serva concionem tuam in aliud tempus: nunc* (c) *vivamus, mi Sophroni.* SOPH. *Tu quæstus gratiâ facis, quicquid facis.* LVCR. *Non multum aberrasti à scopo.* SO. *Nihil decedet tuo lucro; dabo quadruplum, ut ausultes tantùm.* LVCR. *Dic quæ voles.* SOPH. *Primùm illud mihi respondè, habésne quæ tibi malè volunt?* LVCR. *Non unam.* SOPH. *Et quas tu vicissim odisti?* LVCR. *Ut merentur.* SOPH. *Proinde si posses illis facere rem gratam, facerésne?* LV. *Citiùs miscerem illis toxicum.* SOPH. *Atqui cogita nunc, an illis quidquam potueris facere gratius, quàm quod vident te vivere hanc vitam dedecorosam ac miserrimam. Quid autem poteras facere molestius iis, qui tibi bene volunt?* LVC. *Sic erat fatum meum.* SOPH. *Iam quod esse solet omnium difficillimum iis, qui deportantur in insulas, aut relegantur ad extremos orbis barbaros, hoc tu tibi tuapte sponte sumpsisti.* LVCR. *Quidnam est istud?* SOPH. *Anne sponte renunciasti omnibus affectibus, patri, matri, fratribus, sororibus, amicæ, matertera, cæterisque, quoscunque tibi natura coniunxit? Nam & illos tui pudet, nec tu sustines in illorum*

venire

venire conspectum. LVCR. *Imò feliciter commutavi affectus meos. pro paucis enim nunc habeo plurimos, quorum tu es vnus, mihi fratris loco semper habitus.* SOPH. *Mitte iocos, ac rem ipsam, ut habet, expende seriò. Quæ tam multos habet amicos, ea nullũ habet amicum; mihi crede Lucretia. Nam qui ad te commeant, non habent te pro amica, sed pro matula potiùs. Vide quò te ipsam deieceris misera. Christus te tam charam habuit, ut te suo sanguine redemerit, ut te cœlestis hæreditatis consortem esse voluerit, & tu te facis cloacam publicam, in quam commeant quilibet sordidi, impuri scabiosi, suamq; spurcitiam in te repurgant. Quod si nondum eius lepræ contagium, quam vocant scabiem Hispanicam, attigit te, non diu poteris effugere. Quod si fiat, quid te infelicius etiamsi cætera essent secunda, putares & fama, quid aliud eris quàm vivum cadaver? Matri gravabaris esse morigera; nunc servis lenæ turpissimæ. Parentis audire monita tædebat; hîc sæpe tibi vapulandum est ab ebrijs & insanis scortatoribus. Pigebat aliquid operis facere domi, quo victũ quæreres: hîc quos tumultus, quæ pervigilia sustines?* LVCR. *Vnde nobis hic concionator novus?* SOPH. *Jam mihi & illud fac cogites: iste formæ flos, qui tibi conciliat amatores, brevi defluxerit. Quid tum facies misera? Quod sterquilinium te fuerit abiectius fies ex meretrice lena. Non omnibus contigit ista dignitas: & si contingat, quid sceleratius, aut quid diabolicæ malitiæ vicinius?* LVCR. *Vera sunt, mi Sophroni propemodum, quæ*

dicis omnia. Sed vnde tibi ista nova sanctimonia, qui soleas esse nugator omnium nugacissimus? Nemo te uno frequentius aut intempestivius huc cõmeabat. Audio te fuisse Romæ. SOPH. Fui. LVCR. Atqui inde solent redire deteriores. Quo pacto tibi diversum accidit? SOPH. Dicam, quia non eodem animo modoq; Romã adij. Cæteri ferè ideò eunt Romam, ut redeant deteriores: & ad eam rem ibi suppetunt affatim occasiones. Ego cum probo viro profectus sum, cuius hortatu prolagena libellũ mecum attuli, Novum testamentum ab Erasmo versum. LVCR. Ab Erasmo? Aiunt illum esse sesquihæreticum. SOPH. Num & huc pervenit illius viri nomen? LVCR. Nullum celebrius apud nos. SOPH. Vidistin' hominem? LVCR. Nunquam: sed optarim vidisse, de quo tam multa audivi mala. SOPH. Fortassis à malis. LVCR. Imò à viris reverendis. SOPH. A quibus? LVCR. Non expedit dicere. SO. Quamobrem? LVCR. Quia si tu effutires, & res permanaret ad illos, meo quæstui non minima portio decederet. SOPH. Ne metue, lapidi dixeris. LVCR. (d) Admove aurem. SOPH. Inepta quid opus est admotâ aure, quum simus soli? anne Deus exaudiat? Proh Deum immortalem! video te piam meretricem, quæ (e) mendicos sublevet eleemosynâ. LVCRE. At ego ex istis mendicis plus capio lucri, quàm ex vobis divitibus. SOPH. Spoliant matronas bonas, ut effundant in meretrices malas. LVCR. Sed perge de libro. SOPH. Faciam, & præstat. Ibi me docuit Paulus, qui nescit mentiri, quòd nec scor-

ta,

tu, nec scortatores regni cœlestis hæreditatem consequentur. Hoc ubi legissem, sic cœpi cogitare apud me: modica res est, quam expecto ex hæreditate paterna, & tamen malim renunciare scortis omnibus, quàm à patre exhæredari: quantò magis cavendum est, ne me exhæredet pater cœlestis? Et adversus exhæredantem aut abdicantem patrem aliquod præsidium porrigunt humanæ leges: adversus exhæredantem Deum, nihil est suffragij. Itaque mihi protinùs interdixi omnem scortorum usum. LVCR. Si quidem possis continere. SOPH. Bona continentiæ pars est, ex animo continentem esse velle. Postremò super est extremum mali remedium, vxor. Romæ in Pœnitentiarij sinum totum (ſ) Augiæ stabulum effudi: is multis prudenter hortatus est ad puritatem animi & corporis, ad sacram lectionem, ad crebras preces, ad vitæ sobrietatem, pro pœna nihil aliud indixit, quàm ut flexis genibus ad summum altare dicerem Psalmum, Miserere mei Deus: & si mihi suppeteret pecunia, darem egenti cuipiam Carolinum vnum. Admiranti mihi, quòd pro tot scortationibus tantillum pœnæ infligeret, satis facetè respondit, Fili, inquit, si verè pœnitet, si vitam commutas, nihil moror pœnam: si pergis, ipsa libido tandem abs te plus satis pœnarum exiget, etiamsi sacerdos non indicat. Me vide lippum, tremulum, incurvum: at olim talis eram, qualem te hactenus fuisse prædicas. Sic ego resipui. LVCR. Ergò, ut video, perdidi meum Sophronium. SOPH. Imò lucri feciſti. Nam ante perierat, nec sibi amicus, nec

tibi. Is nunc te verè amat, ac tuam sitit salutem. LVCR. *Quid igitur suades, mi Sophroni?* SOPH. *Vt quamprimum te subducas ab ista vita. Adhuc puella es: quod contractum est labis, potest elui. Aut nube marito; nos aliquid ad dotem conferemus: aut conferte in collegium aliquod sacrum, quod lapsas recipit: aut commutato loco, dedas te in familiam alicuius honestæ matronæ. Ad horum quodlibet offero tibi meam operam.* LVCR. *Amabo te, mi Sophroni, circumspicito. Sequar tuum consilium,* SOP. *Sed interim hinc te submoveto.* LVCR. *Hui tam citò?* SOPH. *Cur non potiùs hodiè, quàm cras? si dilatio damnum habet, mora periculum.* LVCR. *Quò me vertam?* SOPH. *Colliges omnem mundum tuum, eum trades mihi vesperi, famulus clàm deferet ad fidelem matronam: aliquanto pòst ego te producam veluti deambulandi gratiâ: apud eam matronam latitabis meo sumptu, donec tibi prospexero: id fiet brevi.* LVCR. *Age mi Sophroni, trado me totam in tuam fidem.* SOPH. *Gaudebis olim facto.*

(a) *Sophronium*, continens, temperans. (b) *Hic fundus*, id est, reditus. Nam fructus annuos reddit fundus (c) *Vivamus*, pro gaudeamus, sive lætè agamus. (d) Est hoc usu receptum, ut res silendas, etiamsi duo soli sint in agro, tamen qui loquitur dicat voce submissiore, quum nihil sit opus, (e) Videtur significasse nescio quid de monachis mendicitatem professis. (f) *Augiæ stabulum*, vide prover. de diu collectis sordibus.

CON-

CONVIVIVM POETICVM.

HILARIVS, LEONHARDVS, CRATO, CONVIVÆ, MARGARETA, CHARINVS, EVBVLVS, SBRVLIVS, PARTHENIVS, MVS SERVVS HILARII.

HIL. (a) Levis apparatus, animus est lautissimus.
LEONH. Cœnam sinistro es auspicatus omine.
HIL. Imò absit omen triste. sed cur hoc putas?
LEON. Cruenti jambi haud congruunt convivio. CRA. *Euge, certum est adesse Musas: effluunt carmina imprudentibus.*
HIL. (b) Si rotatiles trochæos mavelis, en accipe. Vilis apparatus hic est, animus est lautissimus.

Quanquam & iambi, olim ad rixas & pugnas nati, post didicerunt omni servire materiæ. O pepones! habetis pepones in horto nostro natos? En lactucas (c) sessiles, succo tenerrimo, suo nomini respondentes, Has delitias quis sanus non præferat apris, murenis, & attagenis? CRA. *Si licet in convivio poëtico vera loqui, quas tu lactucas vocas, betæ sunt.* HIL. *Hoc omen avertant superi.* CRAT. *Sic res habet: vide figuram. Tum vbi succus lacteus, vbi molles aculei?* HIL. *Facis ut addubitem. Heus accerse huc famulã: Margareta Tisiphone, quid tibi venit in mentẽ, ut pro lactucis nobis apponeres betas?* MAR. *Datâ operâ feci.* HIL. *Quid ais venefica?* MAR. *Volebam experiri, an inter tot poëtas esset, qui lactucam dignosceret à beta: nam scio non posse*

dignoscere. Dicite mihi bonâ fide, quis animadvertit esse betas? CON. *Crato.* MAR. *Facilè divinabam non fuisse poëtam.* HIL. *Si quid tale posthac designâris, ego te pro Margareta vocabo* (d) *Bliteam.* CRA. *Ha ha hæ.* MAR. *Istæ nomenclaturæ nec obesiorem me reddunt, nec maculentiorem. sæpe vicies in die mihi commutat nomen: ubi quid cupit eblandiri, vocat me* (e) *Galateam, Euterpem, Caliopen, Callirhoen, Melissam, Venerem, Minervam. Quid non? Vbi quid stomachatur, repentè fio Tisiphone Megara, Alecto, Medusa, Baucis, aut aliud, quicquid illi suggesserit splendida* (f) *bilis* HIL. *Abi hinc cum tuis betis, Blitea.* MAR. *Quorsum attinebat huc evocare.* HIL. *Vt redires, unde veneras.* MAR. *Vetus dictum est. Proclivius est evocare cacodæmonem, quàm abigere.* CON. *Ha ha hæ, appositè. Vt tibi res habet Hilari opus est aliquo carmine magico, quo illam hinc abigas.* HIL. *Habeo in promptu:* φεύγετε γανθαρίδες, λύκος ἄγει ὑμᾶς διώκει. MAR. *Quid ais Æsope?* CRA. *Cave tibi Hilari, impinget colaphum, sic abegisti tuo Græco carmine. O magum egregium!* HIL. *Quid tu credis, Crato, esse hanc? Ego tali carmine abegissem decem magnos cacodæmones.* MAR. *Pili non facio tuos versos Græcanicos.* HIL. *Adhibendus est igitur, ut video, bŏbus magicis, aut si nec hic sufficiet, Mercurij* (h) *caduceum.* CRA. *Mea Margareta, scis poëtarum genus esse afflatum, non ausim dicere furiosum: rogote, ut istam rixam in aliud tempus proroges, aoss hac cœnâ, vel meâ causâ, suaviter tractes.* MA.

Quid

Quid mihi cum istius versiculis? Sæpenumerò, cùm est eundum ad macellum, non habet quod numeret, & interim cantillat versiculos. CRA. *Sic sunt poëtæ. Sed agè, fac sodes, quod dico.* MAR. *Equidem faciam in tuam gratiam, quoniam novi te probum, qui nunquam contriveris cerebrum tuum in eiusmodi deliramentis: ac demiror, quo fato in hunc incideris chorum.* CHA. *Vnde hoc coniectus?* MA. *Quia nasus obesior, & oculi nitentes, & corpus succulentum. Nunc mihi huius nasum contemplare & risum Sardonium.* CHAR. *Sed obsecro, meum suaviũ, ut istam irã mihi condones.* MA. *Abeo: nec postulo, ut quisquam cæterorum hoc nomine mihi gratias agat.* HIL. *Abiitne iam?* MAR. *Non tam procul, quin audiat te.* MVS. *Iam est in culina secum nescio quid murmurans.* CRA. *Famulam habes minimè mutam.* HIL. *Aiunt, bonam famulam oportere tribus dotibus esse præditam, ut sit fidelis, ut sit deformis, ut sit ferox, quam vulgò malam vocant. Fidelis non diminuit rem, deformem non ambiunt proci, ferox facilè tuetur ius heri sui. Nam aliquoties opus est non solùm linguâ, verumetiam manibus. Hæc mea è tribus duas habet virtutes, deformis iuxta ac mala; de fide dubito.* CR. *Linguam audivimus: sed ego metuebam tibi à manibus.* HIL. *Admovete manus peponibus: de lactucis actum est. Etenim si nunc iuberem apponi lactucas, sat scio, carduos apponeret. Sunt & melones, si quis hoc genere magis capitur. En ficu recentes, modò decerptos à matre testatur lac in pe-*

dunculo. A ficis solet aqua sumi, ne quid oblimet stomachum: en habetis: è limpidissimo fonticulo vivam ac frigidissimam, utilem & vino diluendo. CR. *At ego nescio, utrum utro diluam vino aquam, an aquam vino, adeò mihi hoc vinum videtur haustum ex eodem fonticulo Musarum.* HIL. *Tale vinum conducit acuendis ingeniis poëtarum: vos crassi crassis delectamini.* CRA. *Vtinam Crassus essem ille beatus.* HIL. *Ego malim esse Codrus aut Ennius. Quandoquidem mihi contingit habere convivas tam multos, tamq; insigniter eruditos non committam ut nihilo doctior eos dimittam. Est locus in prologo Eunuchi, qui multos torquet. nam plerique codices sic habent.*

Sic existimet, sciat;
Responsum, non dictum esse, quia læsit prior.
Qui benè vertendo, & eas describēdo malè, &c.
In his verbis desidero sensum argutum, ac Terentio dignum. Nec enim ideò læsit prior, quia malè vertit Græcas fabulas: sed quia Terentianas carpserat. EV. *Iuxta vulgò iactatum proverbium, qui pessimè canit primus incipiet. Cùm essem Londini apud Thomam Linacrum, virum sic in omni genere philosophiæ doctissimum ut nihilo secius has Grammaticorum minutias ad unguem calleat, ostendit mihi codicem manu vetustate, in quo sic habebatur scriptum:*

Sic existimer, sciat;
Responsum, non dictum esse, quale sit, prius
Qui benè vertendo, & eas describendo malè,

Ex

Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Idem Menandri phasma nunc nuper dedit.

Sic autem ordinandus est sermo, ut quale sit, *indicet subiiciendum exemplum prioris dicti. Minitabatur se vicissim reprehensurum aliquid in fabulis eius, à quo fuerat reprehensus. Atq; hic negat videri debere convitium sed responsum. Qui lacessit, iacit dictum: qui regerit lacessitus, respondet. Huius rei promittit exemplum*, quale sit, *quod Græcis dicitur* ὅιον, *Latinis, quod genus aut veluti, sive videlicet, aut puta. Deinde subiicit reprehensionem: in qua*, priùs, *adverbium respondet ad alterum adverbium veluti diversum, quod sequitur:* Nuper: *quemadmodum pronomen* Qui, *respondet ad dictionem* Idem. *Veteres enim Lavinii fabulas in totum damnat, quoniam iam exciderant ex hominum memoria. In his quas* nuper *dedisset, certa notat loca. Mihi videtur hæc Germana lectio, verusq; Comici sensus, nisi quid dissentit senatus populusq; poeticus.* CR. *Imò pedibus omnes in tuam discedimus sententiam.* EV. *At ego vicissim à vobis quiddam leve ac facilimum discere cupiam, quo pacto metiendus sit hic versiculus:*

Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

Micate digitis. HIL. *Opinor more veterum elidi, S, ut secundo loco sit anapæstus.* EVD. *Accederem, nisi casus auferendi desineret in is, natura longam. Itaq; submotâ consonante, nihilo minus manet longa vocalis.* HIL. *Vera prædicas.* CRA. *Si quis illiteratus & ignotus ingrederetur, planè*

crederet nos inter nos micatione digitorum rusticorum ludum renovare. LEO. *Nos, quantum video, frustra micamus digitis: tu, si potes, expedi.* EV. *Videte, quantula res nonnunquam torqueat homines, etiam eruditos: præpositio* Ex, *pertinet ad finem carminis præcedentis:*

Qui benè vertendo, & eas describendo malè ex
Græcis bonis, Latinas fecit non bonas
Ita nihil est scrupuli. LEON. *Sic est per Musas.* CHA. *Quandoquidem cœpimus micare digitis, velim ut aliquis mihi versum hunc ex Andria dirigat in suos pedes:*

Sine invidia laudem invenias, & amicos pares:
Nam mihi sæpè tentanti non successit. LEON. Sine in, *iambus est:* vidia *anapæstus:* laudem in, *spondæus:* Venias, *anapæst.* Et ami, *rursus anapæstus.* CHA. *Habes iam pedes quinq;, & supersunt tres syllabæ, quarum prima est longa, ut nec iambum facere possis, aut tribachym.* LEON. *Profectò vera prædicas. Hæremus in vado: quis nos expediet?* EV. *Nemo meliùs, quàm qui induxit in hoc vadum. Age Charine, ne cela, si quid habes, inter candidos amiculos.* CH. *Nisi me fallit memoria, videor mihi quiddam tale legisse apud Priscianum, qui docet, apud Latinos Comicos,* V, *consonantem perinde elidi ut vocalem, quemadmodum frequenter in hac dictione* Enimvero, *sic ut pars* Enime, *faciat anapæstum.* LEO. *Itaq; metire nobis.* CR. *Faciam: sine* inidi *proceleusmaticus est, nisi mavis, elidi, I, per synæresin, ut cùm Vergilius,* Aureo ponit

in

in fine carminis heroici, pro Auro: *Quod si placet, erit primo loco tribrachys.* alau, *spondeus est.* De inveni, *dactylus:* As & a. *dactylus:* Micos, *spondæus:* Pares: *iambus.* SB. *Charinus nos explicuit ex hoc sanè vado. Sed est in eadem scena locus, quem haud scio an quisquam animadverterit.* HIL. *Obsecro profer.* SB. *Illic hunc in modum loquitur Simo:* Sine ut eveniat quod volo. In Pamphilo ut nihil sit moræ, restat Chremes. HIL. *Quid hic te offendit?* SB. *Quum* sine *sit minitantis, nihil hic sequitur, quod faciat ad minas. Proinde suspicor à poëta scriptum fuisse:* Sin eveniat quod volo, *ut* Sin *respondeat ad si, quod præcessit* : Si propter amorem vxorẽ nolit ducere. *Proponit enim senex duas partes inter se diversas. Si Pamphilus ob amorẽ Glycerii recusat nuptias, erit quod cum illo expostulem: sin ille non recusârit, tũ mihi restat exorandus Chremes. Porrò hyperbatõ lõgius fecit interpellatio Sosiæ, & stomachus Simonis in Davum.* HI. Mos, *porrige mihi codicem.* CR. *Committis muri codicẽ?* HIL. *Tutius quàm vinum. Dispeream nisi verum dixit Sbrulius.* PAR. *Trade mihi codicem, ut ostendam alium scrupulum. In Prologo Eunuchi versus hic non constat:* Habeo alia multa, quæ nunc condonabuntur. *Quanquam. n. Comici Latini præcipuè sumunt sibi multam libertatem in hoc genere carminis, tamen nusquam memini illos senarium claudere spondæo, nisi fortè legẽdum est,* Condonabitur ἀπροσώπως, *aut* Condonabimus, *mutato numero personæ* MA. *O mores verè poëticos! In ipso limine convivii micaut digitis, & librum adhi-*

adhibent. Lusus & literas præstat servare in mensas secundas. CRA. *Non omnino pessimum consilium dat Margareta: obtemperabitur: placato stomacho revocabimus lusum, interim digitis micabimus in disco.* HIL. *Videte luxum poeticum. Habetis triplex ovorum genus, elixa, assa, frixa, omnia recentissima sunt, intra biduum nata.* PARTHENIVS. *Ego butyri esum non fero: si frixa sunt oleo, perplacebunt.* HIL. *Abi puer, disce ex Margareta, in utro frixa sint.* Mvs. *In neutro inquit.* HIL. *Nec in butyro nec in oleo? In quo igitur?* Mvs. *In lixivio, ut ait.* CR. *Qualis percontatio, talis responsio. Quid negotii est dignoscere butyrum ab oleo?* CHA *præsertim his, qui tam facilè discernunt lactucam à beta.* HIL. *Habetis ovationem: sequetur aliquando triumphus. Heus puer, circumfer oculos. Nihilne vides hîc deesse?* Mvs. *Permulta.* HIL. *Hæc ova desiderant condimentum, quo temperetur calor.* Mvs. *Quid vis?* HIL. *Dic ut ex contusis vitis (i) claviculis mittat nobis succum.* Mvs. *Dicam* HIL. *Quid huc redis inanis?* Mvs. *Negat è (k) clavis succum exprimi solere* LEON. *O famulam!* SB. *Certè fabulis condiemus ova nostra. In Epodis Horatii offendi locum quendam, non depravatum, quod ad scripturam attinet, sed depravatè interpretatum, nec à Mancinello solùm, cæterisq; recentioribus, verùm etiam ab ipso Porphyrione. Locus est in carmine, quo canit palinodiam Canidiæ veneficæ.*

Tuusq; venter Pactumejus, & tuo,
Cruore rubros obstetrix pannos lauit,

Vtcunq;

Vtcunq; fortis exilis puerpera.

Existimant enim omnes hîc, Exilis, *nomen esse, cùm sit verbum. Adscribam verba Porphyrionis, si tamen illius esse credendum est.* Exilem *autem, inquit, sub illa specie quasi puerperio facta sit deformis, per* exilitatem *corporis maciem naturalem dicit. Pudendus lapsus, si vir tantus non sensit metri legem reclamare huic sensui. Neq; enim quartus locus admittit spondæum. Verum poeta iocatur illam verè peperisse, quanquam non diu languisset ac decubuisset à partu, sed statim, exiliisset è lecto, quemadmodum solent quædam fortes puerperæ.* Hr. *Habemus tibi gratiam Sbruli, qui tam lautè condieris ova nostra.* Leo. *Isti non dissimile est quod legitur in primo Odarum libro. Odæ initium est:* Tu ne quæsieris. *Sic autem habet constans lectio:* Neu Babylonios tentaris numeros, ut meliùs quicquid erit pati. *Hunc locum ita transiliunt veteres interpretes, quasi nihil habeat scrupuli: Solus Mancinellus sentiens orationem imperfectam, iubet addi,* posis. Sb. *Habes aliquid de hac re compertius?* Leo. *Nescio: sed mihi videtur Horatius Græci sermonis idiomare reddidisse: quod nullus poëtarum facit libentiùs aut frequentiùs: nam Græcis est familiare* (l) *aparemphaton adiungere huic dictioni ὡς & ὥςε. Sic Horatius:* Vt pati *pro, ut patiaris: quanquam, quod divinat Mancinellus, non est prorsùs absurdum.* Hil. *Mihi vehementer arridet quod dicis. Curre* Mũs *& adfer, si quid est reliquum.* Cra. *Quid istud est novarum deliciarum?*

liciarum? HIL. *Hic est cucumis sectus in laminulas: Hoc est ius ex coctis intestinis cucurbitæ, conducit lubricandis intestinis.* SB. *O cœnam verè medicam!* HIL. *Boni consulite. Mox aderit gallina ex corte nostra.* SB. *Commutabimus tibi nomen, & pro Hilario vocabimus Apicium.* HILA. *Age nunc ridete quantum voletis: cras fortasse serio laudabitis hanc cœnam.* SB. *Quî sic?* HIL. *Cùm senseris tibi probè conditum esse prandium.* SB. (m) *Fame?* HIL. *Scilicet.* CH. *Scis Hilari quid provinciæ te vellem suscipere.* HIL. *Sciam, si dixeris.* CR. *Chorus canit hymnos quosdam non indoctos, sed per indoctos multis locis depravatos: eos cuperem tuâ operâ nobis restitui: Vt autem exemplum proferam, ita canimus:*

Hostis Herodes impie, Christum venire quid times?

Ordo dictionis vnius inversus geminum vitium invexit carmini. Nam Hostis *quum trochæum efficiat, nullum habet locum in carmine iambico: &* Hero *spondæus, non recipitur in sede secunda. Nec dubium est, quin versus ita primùm scriptus sit.* Herodes hostis impie. *Iam epithetum* impie, *molliùs cohæret cum* Hostis, *quàm cum* Herodes. *Porrò quoniam* Herodes *dictio Græca est, η vertitur in ε, in casu vocãdi, ut* Σωκράτης *&* Σωκράτες, *quemadmodum & in* Αγάμεμνον, *omega recti casus vertitur in omicron. Rursùm ita canimus hymnum:*

Iesu corona virginum.
Quem matèr illa concepit,

Quæ

Quæ sola virgo parturit:

Dubium non est, quin Concipit *sit pronunciandum. Nam temporis hypallage gratiam etiam addit sermoni. Ridiculum autem est nos offendi in* Concipit, *quum sequatur* Parturit. HIL. *Istius generis & ipse permulta offendi, nec pigebit olim huic rei aliquot dierum opellam dare. Nam mihi videtur Ambrosius in hoc carmine non parum habere gratiæ: adò fere finit dimetrum dictione trisyllabâ, & cæsuram ferè collocat in fine dictionis. Id crebrius apud eum fit, quàm ut casus videri possit. Si quæritis exemplum:* Deus creator, *hic est penthemimeris, accinitur* Omnium: Poliq; rector, *accinitur* Vestiens: Diem decoro, *accinitur* Lumine: Noctem soporis, *accinitur* Gratia. *Sed adest gallina satis obesa, quæ mihi totis decem annis peperit ova, & exclusit pullos.* CR. *Indigna erat quæ necaretur.* CHA. *Si licet aliquid admiscere de studiis severioribus, habeo quod proponam.* HIL. *Modo ne nimium sit tetricum.* CR. *Non est. Cepi nuper legere Senecæ epistolas & in ipso statim portu, quod aiunt, impegi. Locus est in prima epistola:* Et si volueris, *inquit*, attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. *In hac sententia affert nescio quid argutiæ, quod ego non satis adsequor.* LE. *Divinabo, si voles.* CR. *Maximè* LE *Nemo perpetuò peccat. Et tamen luxu, libidine, ambitione, cæterisq; vitiis magna vitæ pars perit, sed multò maior vitæ portio perit nihil agentibus. Porrò* nihil

agere

agere *dicuntur non qui vivunt in otio sed qui rebus frivolis, & nihil ad felicitatem conducentibus occupantur: inde proverbium:* Satius est cessare, quàm nihil agere. *Sed tota vita perit aliud agentibus.* Aliud agere *dicitur qui non est attentus ad id, quod agit. Perit igitur tota vita, quoniam dum vacamus vitiis, aliud agimus: dum vacamus frivolis, aliud agimus: dum studemus philosophiæ, quoniam id facimus supinè & oscitanter, aliud agimus, parum attenti velut ad rem minimè seriam. Hæc interpretatio si parum arridet, numeretur hæc sententia Senecæ inter eas, quas in hoc scriptore damnat A. Gellius, ut frivolè argutas.* Hil. *Mihi sanè satis arridet, sed interim strenuè ad Gallinam. Nolim vos falli: nihil prætereà parati est: quadrat enim ad id quod præcessit: Turpissima est iactura, quæ per negligentiam fit. Id autem declarat hac trimembri sententiâ. At paulò post videor mihi videre mendum:* Mortem non prospicimus: magna pars eius iam præteriit. *Nam legendum arbitror,* Mortem prospicimus. *Prospicimus enim quæ procul absunt, quum mors magna ex parte præterierit nobis.* Leo. *Si sibi permittunt philosophi, ut aliquando divertant in prata Musarum, fortasse non videbitur absurdum, si nos aliquando vel animi gratiâ divertamus in illorum regionem.* Hil. *Quid ni?* Leon. *Cùm nuper relegerem librum Aristotelis, quem inscripsit περὶ τῶν ἐλέγχων, quorum argumentum est rhetoribus cum philosophis magna ex parte commune, comperi*

insignes

insignes errores interpretum. Neq; dubitandum est quin hic, qui Græcè nesciunt, in multis locis egregiè delirarint. Aristoteles enim proponit huiusmodi genus ambigui, quod nascitur ex voce, quæ eadem declarat diversa, ὅτι μανθάνουσιν οἱ ὀπτάμενοι, τὰ γὰρ ἀποσομαπζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. τὸ γὰρ μανθάνειν ὁμώνυμον τό τε ξυιτέναι γρώμενον τῇ ἐπιστήμῃ καὶ τὸ λαμβάνειν τῷ ἐπιστήμῳ. *Id verterunt in hunc modum.* Quoniam discunt scientes. Nam secundùm os grammatici discunt. Discere enim æquivocum ad intelligere eum, qui vtitur disciplina, & accipere disciplinam. HIL. *Visus es nunc mihi Hebraicè loqui, non Latinè.* LEON. *Estne quisquam vestrùm, qui audivit hîc ullam vocem æquivocam?* HIL. *Nullam.* LEO. *Quid igitur stultius, quàm id velle vertere, quod verti non poterat? Neq; enim quemadmodum Græcis* μανθάνειν *sonat* μαθεῖν *&* μαθητεύειν: *ita Latinis Discere, doctrinam accipere, aut tradere. Quanquam, an hoc sit verum, nescio magis: arbitror sic* μανθάνειν *esse anceps apud Græcos, quemadmodum* Cognoscere *apud Latinos.* Cognoscit *enim qui novit: &* cognoscit *iudex, qui discit causam. Sic, opinor, Græcis* μανθάνειν *dicitur præceptor: qui exigit prælecta pueris, & pueri quibus prælegitur. Quàm verò venustè reddidit,* τὰ γὰρ ἀποσομαπζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. Nam secundùm os grammatici discunt, *quum vertere debuerit:* Nam Grammatici quæ dictant, docent. *Hîc interpretis erat aliud exemplum supponere, quod non eadem*

verba, sed eandem rei speciem exhiberet. Quanquam hoc loco suspicor etiam in Græca scriptura nonnihil esse mendæ: scribendum autem ὁμώνυμον τῷ τε ξωιένευ καὶ τῷ λαμβάνειν. *Paulò post subiicit aliud exemplum ambigui, quod nascitur non ex vario vocis eiusdem significatu, sed ex diversa annexione:* τὸ βέλεσθαι λαβεῖν μετὰς πολεμίους, vellẽ accipere pugnantes. *Sic enim vertit, pro eo* quod erat, Vellem me capere hostes: *& si legas* βέλεσθαι, *sermo fit dilucidior.* Vultis me capere *hostes? Nam pronomen potest præcedere verbum* Capere, *& potest sequi. Si præcedat, hic erit sensus:* Vultis ut ego capiam hostes? *Si sequatur, erit hic:* Vultis ut hostes me capiant? *Subiicit eiusdem generis aliud exemplum,* ἆρα ὅπερ γινώσκει, τοῦτο γινώσκει, *id est:* An quod quis novit, hoc novit? *Ambiguitas est in* τοῦτο. *Id si sumatur accusandi casu sensus erit:* Quicquid alicui cognitum est, id illi cognitum esse. *Si nominandi casu, sensus hic erit:* Quam rem quis intelligit, eam intelligit, *quasi cognosci non possit, nisi quod vicissim cognoscat. Rursus aliud subiicit,* ἆρα ὅπερ ὁρᾷ τοῦτο ὁρᾷ, ὁρᾷ ὁ τὸν κίονα, ὥστε ὁρᾷ ὁ κίων: *an quod quis videt id videt? sed videt columnam, columna igitur videt: Rursus in* τοῦτο *est ambiguitas, quam prius indicavimus. Verùm hæc utcunq; reddi poterant Latinis auribus: quod sequitur, nullo modo reddi poterat* ἆρα ὃ σὺ φὴς εἶναι, τοῦτο σὺ φὴς εἶναι, φὴς ὁ λίθον εἶναι, σὺ ἆρα φὴς λίθον εἶναι. *Quod illi sic reddiderunt.* Putas quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse: dicis autem lapidem esse, tu ergò lapis dicis

dicis esse. *Obsecro, quis omnino sensus humanus ex his verbis percipi possit? Ambiguitas enim partim pendet ex idiomate Græci sermonis, quæ est in maiore ac minore: quanquam in maiore est & alia ambiguitas, & in duabus dictionibus ὃ & τοῦτο: quæ si capiantur nominandi casu, sensus erit:* Quicquid te dicis esse, hoc tu es. *Sin accusandi sensus erit:* Quamcunq; rem tu dicis esse, eam dicis esse: *& ad hunc sensum subsumit:* λίθον φὴς εἶναι. *Sed ad priorem colligit* σὺ ἆρα φὴς λίθον εἶναι. *Græci sermonis proprietatem semel ausus est imitari Catullus:*

Phaselus iste, quem videtis hospites,
Ait fuisse navium celerrimus.

Sic enim ferebatur hic versus in antiquioribus editionibus. Hoc ignorato, necesse est, multis modis delirare eos, qui in hæc loca scribunt commentarios. Ne id quidem, quod inibi continenter sequitur, Latino potest esse perspicuum. Καὶ ἆρα ἐστὶ σιγῶντα λέγειν, διττὸν γάρ ἐστι τὸ σιγῶντα λέγειν τὸ τετὸν λέγοντα σιγᾶν ἢ τὸ τὰ λέγομενα. *Id reddiderunt hunc in modum:* Et putas, est tacentem dicere. *Duplex enim est* tacentem dicere, *& hunc dicere tacentem & quæ dicuntur. An non hæc Sybillæ foliis obscuriora.* HIL. *Mihi nec Græca satis liquent.* LEON. *Exponam pro mea divinatione. An possibile est tacentem dicere? Hæc interrogatio duplicem habet sensum: quorum alter est falsus & absurdus, alter esse potest verus. Nam fieri non potest, ut qui loquitur, non dicat ea quæ loquitur, hoc est, ut loquendo taceat: sed fieri potest, ut is qui loquitur, taceat eum qui loquitur. Quanquam hoc*

exemplum recidit in alteram formam, quam paulò pòst subiicit. Rursum illud admiror, quod mox in genere ambiguitatis, quæ nascitur ex pluribus dictionibus coniunctis, mutarint Græci vocem Seculi in literas ἐπίσασθαι τὰ γράμματα: *quum Latini codices habeant, Scire seculum. Hic enim duplex sensus nascitur, vel ut ipsum seculum sciat aliquid, vel ut aliquis sciat seculum. Verùm hoc mollius est in* αἰῶνα *sive in* κόσμον, *quàm in* γράμματα. *Nam literæ dicuntur absurdè scire quippiam. Verùm nihil absurdi sit, si quis dicat, aliquid nostro seculo notum esse, aut aliquem nosse suum seculum. Jam aliquantò pòst, ubi proponit exemplum ambigui ex accentu, non veritus est interpres pro verbis Homeri supponere Vergiliana, quum eadem fuerit necessitas in illo exemplo: Quicquid dicis esse, hoc est. Ex Homero refert Aristoteles.* ὕδατα πύθεται ὄμβρῳ. *Si* ὕ *adspiretur ac circumflectatur, sonat: cuius computrescit pluvia. sin* ὑ *sit exile & acutum sonat: non computrescit pluvia. Atq; hoc sumptum est ex Iliad. Δ. Alterum est* δίδομεν ὄνειρον ἀγέσθω: *accentu collocato super penultimam, sonat: concede illi. sin super primam,* δίδομεν, *sonat, damus. At poëta non sentit Iovem dicere, Concedimus illi, sed Iupiter mandat ipsi Somnio, ut illi, ad quem mittitur, concedat potiri voto. Dictum est enim* δίδομεν *pro* δίδοναι. *Pro his duobus Homericis subiecerunt hæc ex nostris poëtis, velut illud ex Odis Horatii.* Me (n) tuo longas pereunte noctes, Lydia dormis.

Etenim, si accentus sit in Me *correpto, &* Tu *sit grave,*

grave, unica dictio est Metuo, id est timeo. Quanquam hæc ambiguitas pendet non solùm ex accentu: Verumetiam ex compositione. Alterum supposuerunt ex Vergilio,

Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nymbi.

Quanquam hæc quoq; ex compositione nascitur, ambiguitas. HIL. *Sunt ista equidem arguta, dignaq; cognitu, Leonarde, sed interim vereor, ne cui convivium hoc sophisticum videatur magis, quàm poëticum, aliâs, si videbitur, vel totum diem venabimur (o) Elenchos in Elenchis.* LEON. *Hoc est, in luco ligna, in mari quæremus aquam.* HIL. *Vbi est meus Mus?* MVS. *Adest.* HIL. *Mone Margaretam, ut tradat bellaria.* MVS. *Abeo.* HIL. *Rursus adest vacuus?* MVS. *Negat se de bellariis cogitasse, & ait satisdiu sessum esse.* HIL. *Vereor ne si diutius hic philosophemur, illa nobis mensam subvertat, quemadmodum Xantippe Socrati. Consultius est igitur, ut bellaria sumamus in horto, ibi simul & ambulabimus, & liberè nugabimur: Interea sibi quisq; decerpat ex arbore, quod lubet.* CON. *Placet consilium.* HIL. *Est illic fonticulus quovis vino suavior.* CHAR. *Quî fit ut hortus tuus magis niteat, quàm aula?* HIL. *Quia hic versor frequentiùs. Si quid arridet hîc, ne parcite nostris opibus hortensibus. Iam si satis videtur deambulatum, quid si considamus hîc sub tilia, & musas cieamus?* PAR. *Agè fiat.* HIL. *Thema suppeditet hortus ipse.* PARTH. *Si præcesseris, sequemur.* HIL. *Agè faciam. Præposterè facit, cui variis deliciis ni-*

teat hortus, quum animum habeat nullis disciplinis, nullis virtutibus excultum. LEON. *Credemus adesse Musas, si reddideris eandem sententiam carmine.* HIL. *Hoc mihi longè proclivius, prosam orationem vertere carmine, quàm argentum commutare auro.* LEON. *Dic igitur.* HIL.

Cui renidet hortus undiquaq; floſculis,
Animumq; nullis expolitum dotibus
Squalere patitur, is facit præpoſtere.
Habetis carmen (*b*) Muſis & Apolline nullo.

Sed elegans fuerit, si singuli hanc sententiam diverso genere carminis reddatis. LEON. *Qui vicerit, quid præmii feret.* HIL. *Hunc calathum onustum malis, aut prunis, aut cerasis, aut mespilis, aut pyris, aut si quid aliud magis adblanditur.* LE. *Quis erit arbiter certaminis.* HIL. *Quis nisi Crato. Et idcircò solus non certabit, quò magis auscultet.* CRA. *Vereor ne talem sitis habituri iudicem, qualem olim habebat coccyx & luscinia, inter se de canendi gloria decertantes.* HIL. *Sat est, si places omnibus.* CON. *Placet arbiter, incipe Leonarde.* LEON.

Cui tot delitiis renidet hortus
Herbis, floribus, arborumq; fœtu
Et multo & vario, nec excolendum
Curat pectus, & artibus probatis,
Et virtutibus: is mihi videtur.
Lævo judicio parumque recto. DIXI.

HIL. *Charinus* (q) *arrodit unguem: expectamus*

mus aliquid elaboratum. CHAR. *Nulla adest Musa:*

Cura cui est, ut niteat hortus floſculis ac fœtibus
Negligenti excolere pectus diſciplinis optimis:
Hic labore, mihi ut videtur, ringitur præpoſtero

HIL. *Non fruſtrà arroſus eſt unguis.* EVBV. *Quoniam ordo me vocat, ne nihil adferam:*

Qui ſtudet ut variis niteat cultiſſimus hortus
Deliciis, patiens animum ſqualere, nec ullis
Artibus expoliens, huic eſt præpoſtera cura.

HIL. *Non eſt cur extimulemus Sbrulium. Nam ille ſic ſcatet verſibus, ut plerunq; vel imprudens effundat carmina.* SERVL.

Cui vernat hortus cultus & elegans,
Nec pectus ullis artibus excolit,
Præpoſterâ is curâ laborat,
Sit ratio tibi prima mentis.

PAR. Quisquis accurat, variis ut hortus
Floribus vernet, neque pectus idem
Artibus ſanctis colit, hunc habet præ-
poſtera cura.

HIL. *Nunc experiamur cui hortus ſuppeditet plures ſententias* LEON. *Quid ni faciat tam dives? Vel hoc roſetum mihi ſuggeret quod dicam. Vt brevis eſt roſæ nitor, ita fugax eſt iuventus, properas carpere roſam prius, quam marceſcat: magis adnitendum eſt, ne ſine fructu tibi effluat iuventus.* HIL. *Thema ſatis aptum carmini.* CHA. *Vt inter arbores ſuus cuiq; fœtus eſt, ita inter homines ſuæ cuiq; dotes ſunt.* EVB. *Vt terra, ſi excolatur, varias*

opes gignit, in usus humanos: neglecta, spinis ac vepribus obducitur: ita hominis ingenium, si excolatur optimis studiis, plurimas edit virtutes: sin negligas, variis occupatur vitiis. SBRVL. *Hortus quotannis colendus est, ut niteat: animus semel excultus honestis studiis perpetuò floret ac vernat.* PAR. *Vt amœnitas hortorum non avocat animum ab honestis studiis, sed ad hæc invitat potiùs, ita quærendi sunt lusus ac ioci, qui non absunt à literis.* HIL. *Euge video examen sententiarum Nunc ad versus: sed antequam id aggrediamur, meâ sententiâ fuerit exercitatio nec inelegans, nec infrugifera, si primam sententiam toties reddamus Græcis versiculis, quoties reddidimus Latinis. Hîc auspicabitur Leonardus, iam olim familiaris musis Græcanicis.* LEON. *Ineptiam, si iubes.* HIL. *Iubeo atq; impero.* LEON.

ὦ κῆπ◎ ἐστιν ἄνθεσιν γελῶν καλοῖς,
ὁ ᾠ νῆς μαλ' αὐχμῶν, τοῖς καλοῖς μαθήμασιν
ὑκ ἐστὶ κόμ◆◎, ὅτ◎ ὐκ ὀρθῶς φρονεῖ
περὶ πλείον◎ ποιῶν τὰ φαῦλ' ἢ χρείτλονα.

Ego (r) *præsulem egi: succedet qui volet.* HIL. *Charinus.* CHAR. *Imò Hilarius.* LEON. *Sed video Margaretam intervenire: adfert nescio quid deliciarum.* HIL. *Si id fecerit, me fefellerit mea furia. Quid adfers?* MAR. *Sinapi, quo condiatis vestra bellaria: an non pudet hîc garrire in multam noctem, & posteà vos poëtæ multa blateratis in loquacitatem fœminarum?* CRA. *Haud malè monet Margareta, iam tempus est, ut suum quisq;*

nidum

nidum adeat: aliâs in hoc pulcherrimo certaminis genere vel solidum diem consumemus. HIL. *Sed cui addicis præmium?* CRA. *In præsentia quidem mihi ipsi addico. Nullus enim vicit præter unum me.* HIL. *Quî vicisti, qui non certaveris?* CRA. *Vos certastis, at non decertastis. Ego, quod nemo vestrum potuit, vici Margaretam.* EVE. *Hilari, æquum postulat, auferat calathum.*

(*a*) Jambici trimetri sunt, usq; ad Euge. (*b*) Trochaici sunt tetrametri usq; ad Quanquam. (*c*) *Sessiles lactucas*, quòd non erigant sese, sed humi spargant sese (*d*) Alludit ad gemmam laudatissimam, & Græci betam appellant βλίτον unde *bliteos* appellamus stultos ac nihili, eò quod beta vilis & insipida herba sit. (*e*) *Galatea*, à colore lacteo, *Euterpe*, à delectando, Musæ nomen est. *Calliope* à pulchritudine vocis. *Calliroe* nympha quòd pulchre fluat. *Melissa*, apis; opinor fuisse ancillam Chrysippi. Baucis anus, & paupercula, apud Ovidium. (*f*) Alludit ad illud Horatii, *Sive aliud nomen iusit quod splendida bilis*, id est insania. (*g*) Hoc carmen Plinius indicat usurpari solere in magicis remediis, id est, Fugite Cantharides, lupus crudelis vos persequitur. *Cantharis* insecti genus venenum habens lethale. (*h*) Hac virga dat & adimit somnos, hac animas evocat orco: & rursus quas velit in Tartarum mittit. lege Virgil. in 4. Æneid. (*i*) Natura addidit vitium palmitibus laqueos quosdam, quibus repit & alligat sese. hos Pliniusvocat claviculos libr. 33. in Proverb. (*k*) Perversè respondet quasi parvos clavos iusserit contundi. (*l*) Infinitum, ut pati. (*m*) Alluśit ad dictum Socratis, qui dixit famem esse condimentum omnium & iucundissimum & minimo parabile, (*n*) Me tuo Horat. divisit, ut subaudias Amico. (o) *Elenchos in Elenchis*, id est, redargutiones:

λίγχειν enim redarguere est. (p) Alludit ad illud Mart. *Musis & Apolline nullo Quod scribis versus hoc Ciceronis habes.* (o) *Arrodere unguem* gestus est cogitantis. *Persius: Nec pluteum cadit nec demorsos sapit ungues. Idem chere-stratus unguem arrodens ait hoc.* (r) Alludit ad Salios sacerdotes Martis, ni fallor, qui saltabant in pompa, præsul autem qui saltat primus. Est in quibusdam choreis mos, ut unus solus auspicetur saltationem. Vnde quisquis aliis cunctantibus rem cœpit, dicitur incepisse choream.

INQVISITIO DE FIDE.

Avlvs. Barbativs.

Av. *Puerorum est cantilena: Saluta libenter. Verùm haud scio, an mihi fas sit tibi dicere salutem.* Bar. *Equidem malim qui det salutem, quàm qui dicat. Sed quamobrem istuc ais Aule?* Av. *Quam ob rem? Quia si scire vis, oles aut sulphur, aut fulmen Jovis.* Bar. *Sunt &* (a) *Veioves, sunt bruta* (b) *fulmina, multum etiam origine dissidentia à fatidicis. Nam, ut suspicor, tu de anathemate sentis.* Av. *Rem coniectas.* Bar. *Audivi quidem horrenda tonitrua, fulminis ictum non sensi.* Avl. *Quî sic?* Bar. *Quia nihilo peiùs concoquo neq; irrequietiùs dormio.* Av. *Sed hoc periculosius solet esse malum, quia non sentitur. Verùm hæc bruta fulmina, quæ tu vocas, feriunt montes & maria.* Bar. *Feriunt, sed irritis ictibus. Est & (c) fulgur è vitro seu vase æreo.* Avl. *Certè terrifat & hoc.* Bar. *Verum: sed pueros. Solus Deus habet*

habet fulmen, quo feriat animam. AV. Quid si Deus est in suo vicario? BAR. Utinam sit. AVL. Imò multi demirantur te iamdudum nõ esse quovis (d) carbone atriorem. BAR. Finge me talem. Atqui tantò magis erat optanda salus perdito, si placet Evangelica doctrina. AV. Optanda quidem, at non dicenda. BAR. Cur ita? AVL. Quò pudescat ictus fulmine, ac resipiscat. BAR. Si sic nobiscum egisset Deus, perieramus omnes. AV. Quamobrem? BAR. Quia cùm essemus inimici Dei, cultores idolorum, militantes in castris Satanæ, hoc est, modis omnibus excommunicatissimi, tum ille maximè nobiscum confabulatus est per filium suum, suoq; colloquio nos restituit in vitam, cùm essemus mortui. AV. Ista quidem verè narras. BAR. Imò malè ageretur cum omnibus ægrotis, si medicus fugeret alloquium, quoties ingens morbus gravat miserum. Imò tum maximè conveniebat adesse medicum. AV. At ego metuo, ne tu mihi citiùs adsies aliquid tui mali, quàm fiat, ut tuo morbo medear. Nonnunquam usu venit, ut pro medico fiat (e) palæstrites, qui visit ægrotum. BAR. Ita quidem usu venit in corporum morbis: verùm in animi malis est tibi parata antidotus adversum omne contagium? AV. Quænam? BA. Adamantinum propositũ, non divelli à sententia semel infixa. Deinde cur palæstram metuis, ubi res verbis agitur? AV. Est aliquid quod dicis, si modò spes sit profectus. BAR. Proverbio dicitur: Donec spirat homo sperandum esse. Et iuxta Paulum: Charitas nescit desperare, quia

quia sperat omnia. AVL. Non pessimè mones. atq; hac spe puto mihi fas esse tecum miscere sermonem aliquantisper, ac si pateris, medicum agam. BAR. Licet. AVL. Vulgò sunt invisi percontatores. Et tamen in medicis probantur, qui percontantur de singulis. BAR. Percontare à cœlo (f) usq; ad terram, si libet. AVL. Experiar, modò fidem deste responsurum ex animo. BA. Do, modò sciam, qua de re velis percontari. AV. De symbolo apostolorum. BA. Audio (g) militare verbum, nec recuso haberi pro hoste Christi, si quid hîc fefellero. AVL. Credis in Deum patrem omnipotentem, qui condiderit cœlum & terram? BA. Et quicquid cœlo terraq; continetur, atq; etiam mentes angelicas. AV. Cum Deum dicis, quid sentis? BA. Sentio mentem esse quandam æternam, quæ nec initium habuerit, nec finem sit habitura, quâ nihil esse potest nec maius, nec sapientius, nec melius. AV. Ista quidẽ satis piè. B. Quæ nutu suo omnipotenti condidit quicquid est rerum visibilium aut invisibiliũ: quæ sapientiâ mirabili moderatur ac gubernat vniversa, suâ bonitate pascit ac servat omnia, atque hominum genus collapsum gratuitò restituit. AV. Sunt quidem ista tria præcipua in Deo: sed quid fructus capiũ ex istorum cognitione? BAR. Cum Omnipotentem cogito, me totum illi submitto, ad cuius maiestatem nihil est hominum aut angelorum sublimitas. Deinde plenâ fiduciâ credo, quod ab illo factum tradunt sacræ literæ, simulq; futurum, quicquid ille promisit, quando nutu quicquid vult potest, quantumvis

homini

homini videatur impossibile. Ita fit ut meis viribus dissisus, totus ab illo pendeam, qui potest omnia. Vbi sapientiam illius intueor, nihil tribuo meæ sapientiæ: verùm credo omnia rectissimè iustissimèq; ab eo fieri, etiamsi iuxta sensum humanum videantur absurda aut iniqua. Cùm bonitatem considero, video nihil esse in me, quod illius gratuitæ beneficentiæ non debeam: & nullum arbitror esse tantum crimen, quod ille nolit ignoscere resipiscenti, neq; quicquam esse, quod ille nõ sit largiturus cum fiducia petenti. AVL. Num satis esse putas, quod credis illum esse talem? BA. Nequaquam, sed sincero affectu totam fiduciam ac spem in illum unum transfero, detestans Sathanam, omnemq; idololatriam, & quicquid est artium magicarum. Illum solum adoro, nihil illi nec præferens, nec æquans, non angelum, non parentes, non liberos, non uxorem, non principem, non opes, non honores, non voluptates, paratus & vitam illius causâ perdere, si iusserit: certus, eum non posse perire, qui se totum illi tradiderit. AVL. Nihil igitur colis, nihil times nihil amas, nisi unum Deum. BARB. Si quid veneror, si quid metuo, si quid amo præter eum, eius causâ amo, metuo, colo, omnia ad illius gloriam referens, semper illi gratias agens, sive læta contingunt, sive tristia; sive mori datur, sive vivere. AVL. Sana quidem est hactenus tua oratio. De secunda persona quid sentis? BA. Scisciture. AV. Credis Iesum fuisse Deum & hominem? BA. Maximè. AV. Qui fieri potuit, ut idem sit Deus immortalis, & homo mortalis? BA.

Istuc

Istuc illi facilè fuit efficere, qui quicquid vult, potest. Et ob divinam naturam, quam eandem habet cum patre, quicquid magnitudinis, sapientiæ, & bonitatis attribuo patri, idem tribuo & filio: quicquid debeo patri, debeo & filio: nisi quod ita visum est patri, ut per filium concederet ac donaret nobis omnia. AV. *Cur igitur sacræ literæ filium frequentius appellant Dominum, quàm Deum?* BA. *Quia Deus authoritatis hoc est principatus est nomẽ, quæ patri præcipuè convenit, qui simpliciter principium est omnium, atque ipsius etiam Deitatis fons. Dominus redemptoris & adsertoris vocabulum est. Quanquam & pater redemit per filium, & filius Deus est, sed ex Deo patre. Solus autem pater à nullo est, & in personis divinis principem locum obtinet.* AV. *Ergo & in Iesu collocas tuam fiduciam?* BA. *Quidni?* AV. *Sed Propheta maledictum dicit, qui fidit in homine.* BAR. *Sed huic uni homini data est omnis potestas in cœlo & in terra, ut in nomine eius flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium & inferorum. Quanquam nec in hoc fiduciæ spei q; meæ sacram, ut aiunt, anchoram figerem, ni Deus esset.* AV. *Cur eum filium appellat?* BA: *Ne quis somniet esse (h) creaturam* AV. *Cur unicum?* BA. *Vt discernat naturæ filium à filiis adoptivis, cuius cognominis honorem nobis etiam impertit, ut neminem præter hunc alium expectemus.* AV. *Cur eum, qui Deus erat, hominem fieri voluit?* BAR. *Vt homines homo reconciliaret Deo.* AV. *Credis conceptum citra virilem operam, opificio*

ficio spiritus sancti, ac natum ex incorrupta virgine Maria, de illius substantia sumpto mortali corpore? BA. Maximè. AV. Cur sic nasci voluit. BAR. Quia sic decebat nasci Deum, sic decebat nasci qui nostræ cõceptionis ac nativitatis sordes purificaret. Hominis filius nasci voluit Deus, ut nos in illum renascentes efficeremur filii Dei. AV. Credis illum versatum in terris, ea gessisse miracula, ea docuisse, quæ prodita sunt literis Evangelicis? BA. Certiùs quam te credo esse hominem. AV. Non sum inversus (ut) Apuleius, ut suspiceris asinum latêre sub hominis specie. Sed credis hunc eundem esse Messiam illum, quem delineârant figuræ legis, quem promiserant oracula prophetarum, quem tot sæculis expectarant Iudæi? BA. Nihil habeo persuasius. AV. Credis huius doctrinam ac vitam sufficere ad perfectam pietatem? BAR. Admodum. AVL. Credis eundem verè comprehensum à Iudæis, vinctum, colaphis & alapis cæsum, conspitum, irrisum, flagellatum sub Pontio Pilato, ac denig; suffixum in crucem, atque inibi immortuum? BA. maxime. AV. Credis illum ab omni labe peccati cuiuscunq; fuisse immunem? BAR. Quidni? Agnum absq; macula. AV. Credis, illum sua sponte hæc omnia perpessum? BA. Imò libenter atq; etiam sitienter, sed ex voluntate patris. AVL. Cur pater filium suum unicum innocentem, sibiq; charissimum, hæc tam atrocia pati voluit? BA. Vt hac victimâ nos nocentes sibi reconciliaret, in illius nomen collocantes fiduciam ac spem nostram. AV. Cur Deus passus est sic collabi

labi totum humanum genus? Et si passus est, non patuit alia via sarciendi ruinam nostram? BAR. Hoc mihi persuasit non humana ratio, sed fides, nulla ratione potuisse fieri melius, neq; ad salutem nostram utilius. AV. Cur hoc mortis genus illi potissimùm placuit? BAR. Quia iuxta mundum erat probrosissimum, quia diri lentiq; cruciatus, quia conveniebat illi, qui porrectis in omnem mundi plagam membris, omneis orbis nationes invitaret ad salutem, & homines terrenis curis affixos evocaret ad cœlestia. Deniq; ut referret nobis serpentem æneum, quem Moses suspenderat in stipite, ut quicunq; desigerent in illum oculos sanarentur à vulnere serpentum: fidemq; prophetæ liberaret, qui prædixerat: Dicite in nationibus, regnavit à ligno Deus. AV. Cur & sepeliri voluit, idq; tam accuratè, oblitus myrrha & unguentis, inclusus novo monumento è solido vivoq; saxo excisо, obsignato ostio, adhibitis etiam custodibus publicis? BAR. Quo magis constaret esse verè mortuum. AV. Cur non statim revixit? BA. Hac ipsa de causa. Etenim si mors fuisset ambigua, fuisset & ambigua resurrectio: sed hanc voluit esse certissimam. AV. Credis huius animam descendisse ad inferos. BAR. Hanc particulam non fuisse quondam additam, nec in symbolo Romano, nec in symbolo Orientalium ecclesiarum testis est Cyprianus, nec recensetur apud Tertullianum vetustissimum scriptorem: ego tamen & hoc firmiter credo, vel quia congruit cum prophetia Psalmi: non derelinques animam meam

in

in inferno. Et rursus: Domine eduxisti ab inferno animam meam: vel quia Petrus Apostolus in epistolæ prioris, de cuius authore nunquam fuit dubitatum, cap. tertio, scripsit hunc in modum: Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritu veniens prædicavit. Verùm ut credo descendisse ad inferos, ita non credo illic aliquid esse passum. Descendit enim, non ut illic cruciarctur, sed ut nobis frangeret regnum Satanæ. AV. *Nihil adhuc impium audio: sed mortuus est, ut nos peccato mortuos revocaret ad vitam. Cæterùm cur revixit?* BAR. *tribus potissimùm de causis.* AVL. *Quibus?* BAR. *Primùm, ut nobis certam spem faceret resurrectionis. Deinde, ut sciremus eum immortalem esse, nec unquam moriturum, in quo præsidia salutis nostræ collocavimus. Postremò, ut nos quoq; per pœnitentiam mortui peccatis, per baptismum una cum illo sepulti, per gratiam eius revocemur ad vitæ novitatem.* AV. *Credísne, quod idem corpus, quod mortuum fuit in cruce, quod revixit in sepulchro, quod visum & contrectatum est à discipulis, subvexerit in cœlum?* BAR. *Maximè,* AVL. *Cur voluit relinquere terras?* BA. *Vt illum omnes spiritualiter amaremus, neque quisquam in terris sibi Christum propriè vendicaret, sed omnes ex æquo tolleremus animos in cœlum, scientes illîc esse caput nostrum. Etenim si nunc homines tantoperè sibi placent ob vestis colorem ac figuram, quumque sic quidam ostẽtent sanguinem aut præputium Christi, & lac matris virginis: quid credis futurum, si mansisset*

sisset in terris vestitus, comedens, loquens? Quæ dissidia parassent ista corporis peculiaria. AV. *Credis illic immortalitate donatum assidere dextrum patri?* BA. *Quid ni? ut rerum omnium dominum & totius regni paterni consortem. Hoc ipse discipulis promiserat futurum, atque hoc spectaculum exhibuit Stephano martyri suo.* AV. *Cur hoc exhibuit?* BA. *Nè nos ulla in re trepidaremus, gnari quàm potètem patronum ac dominum habeamus in cœlis.* AVL. *Credis illum eodem corpore redituru, ut iudicet vivos & mortuos?* BAR. *Quàm habeo certum, esse hactenus peracta, quæ Prophetæ de Christo prædixerant, tam habeo certum fore, quicquid in posterum voluit nos expectare. Prior adventus exhibitus est iuxta vaticinia Prophetarum, quo venit humilis, ut nos institueret ac servaret. Exhibebitur & secundus, quo veniet sublimis in gloria patris: ante cuius tribunal sisti cogentur omnes homines cuiuscunque nationis, cuiuscunque status, sive reges, sive plebeii, sive Græci, sive Scythæ: nec solùm hi, quos adventus ille deprehendet vivos, verùm etiam omnes qui ab initio mundi vsque ad illud tempus mortui fuerint, subitò revivisent, & suo quisque corpore conspiciet iudicem. Aderunt & angeli beati, tanquam famuli fideles: aderunt & dæmones iudicandi. Tum è sublimi pronunciabit illam inevitabilem sententiam, qua diabolum cum his, qui illi adhæserunt, tradet æternis supplicijs, ut postea nulli possint nocere: pios transferi in consortium regni cœlestis, tutos ab omni mo-*

lestia

lestia: quanquam huius adventus diem nobis ignotum esse voluit. AV. Nihil adhuc audio morbi. Veniamus igitur ad tertiam personam. BAR. Vt videtur. AV. Credis in spiritum sanctum? BAR. Credo hunc esse verum Deum unà cum patre & filio. Credo hoc spiritu afflatos fuisse, qui nobis veteris ac novi Testamenti libros tradiderunt, sine cuius ope nemo pervenit ad salutem. AV. Cur appellatur spiritus? BAR. Quia quemadmodum corpora nostra vivunt halitu: ita tacito sancti spiritus afflatu vivificantur animi nostri. AV. An non licet patrem vocare spiritum? BA. Quid ni? AV. An non igitur confunduntur personæ? BAR. Non. Nam pater spiritus dicitur, quòd sit incorporeus, id quod omnibus personis est commune, iuxta naturam divinam. Sed tertia persona dicitur spiritus, quòd aliunde spiret, & per animos sese transfundat insensibiliter, velut à terra seu fluviis spirant auræ. AV. Cur personæ secundæ tribuitur nomen filii? BA. Ob perfectam naturæ & voluntatis similitudinem. AV. Est filius similior patri quàm spiritus sanctus? BA. Non, iuxta naturam divinam, nisi quod hoc magis refert proprietatem patris, quod ab ipso quoque procedat spiritus sanctus. AV. Quid igitur prohibet spiritum sanctum appellari filium? BA. Quia cum divo Hilario nusquam hunc lego genitum, nec huius lego patrem: spiritum & procedentem lego. AV. Cur in symbolo solus pater dicitur (I) Deus? BAR. Quòd hic, ut dixi, simpliciter sit author omnium, quæ sunt, ac totius Deitatis fons. AV. Dic clarùis.

BAR. *Quoniam nihil nominari potest, cuius origo non manat à patre, siquidem hoc ipsum, quòd filius ac spiritus sanctus Deus est, patri acceptum referunt. Præcipua igitur authoritas, hoc est, originis ratio, est in patre solo, quòd unus ille à nullo est. In symbolo tamen sic accipi potest, ut Dei nomen non sit personæ proprium, sed in genere positum, quod mox per patris, filii, & spiritus sancti vocabulum distinguatur in unum Deum: quæ naturæ vox comprehendit patrem, filium & spiritum sanctum, hoc est, tres personas.* AV. *Credis in sanctam ecclesiam?* BA. *Non.* A. *Quid ais? non credis?* B. *Credo sanctã ecclesiam, quæ est corpus Christi, hoc est, congregatio quædã omniũ per universum orbem, qui consentiunt in fide Evangelica, qui colunt unum Deum patrem, qui totam suam fiduciam collocant in eius filio, qui eodem huius spiritu aguntur, à cuius consortio resecatur, quisquis admittit crimen lethale.* AV. *Cur horres dicere: Credo in sanctam ecclesiam?* BAR. *Quia sic me docuit divus Cyprianus, in solum Deum esse credendum, in quo simpliciter omnem fiduciam reponimus. Ecclesia verò propriè dicta, quanquam non constat nisi ex bonis, tamen ex hominibus constat, qui ex bonis possunt fieri mali, qui falli possunt & fallere.* AVL. *Quid sentis de communione sanctorum?* BAR. *Hic articulus omninò non attingitur apud Cyprianum, quum ille nominatim indicet, quid in quibus ecclesiis plus habeatur, aut minus. Sic enim ille connectit: Sequitur namque post hunc sermonem, Sanctam ecclesiam, remissionem,*

nem peccatorum, huius carnis resurrectionem. Ac nonnullis videtur hæc pars nõ esse diversa à superiore, sed explicare & infigere, quod modò dictum erat: Sanctam ecclesiam: ut nihil aliud sit ecclesia, quàm unius Dei, unius Evangelii, unius fidei, unius spei professio, eiusdem spiritus, eorundem sacramentorum participatio: Breviter, talis quædam communio bonorum omnium inter omnes pios, qui fuerunt ab initio mundi usq; ad finem, qualis est membrorum corporis inter seipsa societas, sic ut aliorum benefacta subveniant aliis, donec viva sunt membra corporis. Cæterùm extra societatem hanc ne propria quidem benefacta conducunt cuiquam ad salutem, nisi reconcilietur sanctæ congregationi: & ideò sequitur, Remissionem peccatorum, quia extra ecclesiam non est ulla peccatorum remissio, quantumvis homo maceret se pœnitentiâ, aut exerceat opera misericordiæ. In ecclesia, inquam, non hæreticorum, sed sancta, hoc est, spiritu Christi congregata, est remissio peccatorum per Baptismum & post Baptismum per pœnitentiam & claves ecclesiæ datas. Av. Ista sunt adhuc sani hominis. Credísne futuram carnis resurrectionem? Bar. Frustrà crederem cætera, si hoc, quod est omnium caput, non crederem. Av. Quid sentis, cùm dicis, Carnem? Bar. Corpus humanum humanâ animâ animatum. Av. Num unaquæq; anima recipiet suum corpus, quod exanime reliquerat? Ba. Idem hoc unde demigrarat, Et ideò in symbolo Cypriani additum est, Huius carnis. Av. Qui fieri potest

*ut corpus iam toties ex aliis in alia versum possit idem revivisc*ere? BAR. *Qui potuit, quicquid vult, ex nihilo creare, an huic difficile sit, quod ex sua forma mutatum est, in pristinam naturam restituere? Non anxiè disputo, quibus modis id fiat: mihi satis est, quòd qui promisit hoc futurum, sic verax est, ut mentiri non possit, sic potens est, ut quicquid velit, nutu valeat efficere.* AVL. *Quid opus erit tum corpore?* BA. *Vt totus homo glorietur cum Christo, qui hîc totus adflictus erat pro Christo.* AV. *Quid sibi vult quod addit: Et vitam æternam:* B. *Ne quis suspicetur nos sic revicturos, quemadmodum sub vernum tempus reviviscunt ranæ, rursus morituræ. Nam hîc duplex mors est, corporis, bonis ac malis omnibus communis, & animi. Mors autem animi peccatum est. At post resurrectionem piis erit æterna vita, tum corporis, tum animi. Nec enim corpus erit amplius obnoxium morbis, senio, fami, siti, dolori, lassitudini, morti, aut ulli incommodo: sed spirituale factum spiritus arbitrio movebitur: nec animus deinceps ullis vitiis aut doloribus solicitabitur, sed sine fine fruetur summo bono, qui est Deus Contrà, impios mors æterna possidebit, tum corporis, tum animi. Nam & corpus habebunt ad æternos cruciatus immortale, & animum peccatorum stimulis semper adflictum, absque spe veniæ,* AV. *Credis hæc ex animo ac serio?* BAR. *Sic, inquam, ut mihi minus certum sit, te mecum colloqui.* AVL. *Ego cùm essem Romæ, non omnes reperi æquè syncere credentes.* BA. *Imò, si excutias*

tias, reperies & alibi multos, quibus hæc non æquè persuasa sunt. AV. *Quum in tam multis & arduis consentias nobiscum, quid obstat, quò minus totus sis noster?* BA. *Istud ex te audire cupio. Nam ipse mihi videor* (m) *orthodoxus, etiamsi vitam meam nolim* (n) *præstare, tametsi sedulò conor, ut professioni respondeat.* AV. *Vnde igitur tantum bellum inter vos & orthodoxos?* BA. *Exquire. Sed, heus medice, si non pœnitet huius prœmii, sumes nobiscum prandiolum, & à prandio per otium percontaberis de singulis: præbebo brachium utrunq;, inspicies excrementa tum crassiora, tum liquidiora. Denique facies, si videbitur, totius huius pectoris Anatomiam, quò certiùs de me iudices.* AV. *At religio est, tecum mensam habere communem.* BA. *Atqui id solent medici, quò melius observent, quid affectent aut peccent ægroti.* AV. *Sed vereor ne videar favere hæreticis.* BA. *Imò nihil est sanctius, quàm favere hæreticis.* AV. *Quî sic?* BAR. *Nónne Paulus optavit anathema fieri pro Iudæis plusquàm hæreticis? An non favet ille, qui studet, ut quis ex malo fiat bonus, ex mortuo vivus?* AVL. *Maximè.* BAR. *Sic igitur fave, nec erit quod metuas* AV. *Nunquam audivi ægrotum commodius respondentem. Agè duc me ad prandium.* BAR. *Medicè accipieris, & ut decet apud ægrotum: & sic curabimus corpuscula cibo, ut nihilo seciùs animus idoneus sit ad disputandum.* AV. *Fiat bonis* (o) *avibus.* BA. *Imò malis piscibus fiet, nisi fortè nunc oblitus es esse diem Veneris.* AV. *Id quidem, est præter* (p) *symbolum nostrum.*

(a) *Veiοves* sunt Ioves siniſtri & noxii. Sic vocant poëtæ, numen lævum Veiovem. (b) Vide Plinium libro 2. cap. 42. *Bruta*, quia sine ratione veniunt, nec quicquam portendunt. (c) Videtur proverbium, *Fulgur à vitro* (d) Videtur innuere quempiam excommunicatum. Vide proverbium *Carbone atrior*. (e) Paleſtrites. (f) luctator nimirum cum inviſit phreneticum. Vide Lapithas Luciani. (f) *A cœlo uſq; ad terram*. Plautinum proverb. pro à capite uſque ad pedes. (g) Militare verbum. Qui baptizantur, dant nomen imperatori Chriſto, cuius ſacramentis auctorantur. Et ſymbolum apud milites ſignum eſt, quod inter ipſos convenit, ſive id vocale eſt, ſive mutum. (h) Arrius docuit filium Dei etiam iuxta perfectiſſimam naturam fuiſſe creaturam. At qui naturâ filius eſt, gignitur ex ſubſtantia Patris. Dei ſubſtantia inviſibilis eſt, eandem igitur oportet eſſe patris & filii, de divinis perſonis loquor. (i) Nam is mentem hominis tegebat, ſub aſininâ ſpecie, quum multi ſint, qui ſub humanâ ſpecie tegunt aſinum. (k) An ſaxa naſcantur & augeſcant incertum. Viva tamen ſaxa dicuntur, quæ nondum ſuo loco ſunt mota. (l) Eſt pars illius quæſtionis quæ præceſſit. Cur in ſacris filius frequentiùs appellatur Dominus quàm Deus? nunc, poſteaquam eſt & ſpiritus mentio facta, rogat, cur in ſymbolo ex tribus perſonis ſolus pater dictus ſit Deus. De re nulla eſt dubitatio, tantum de conſuetudine ſcripturarum eſt quæſtio. (m) Orthodoxus, id eſt rectæ opinionis, cui contrarium eſt hæretici vocabulum. (n) Præſtare dicitur, qui ſuo periculo vitium aut corrigit aut defendit. (o) Id eſt feliciter: alter arripuit iocum ex ambiguo, (p) Rurſus iocus ex ambiguo. Nam in ſymbolo Apoſtolorum nulla mentio eſt de piſcibus, & dicuntur ſymbola conviviorum.

(*) TE-

(*) ΓΕΡΟΝΤΟΛΟΓΙΑ. ἠθοποιία.

(**) EVSEBIVS, PAMPIRVS, POLYGAMVS, GLYCION.

EVS *Quas* (a) *novas aves hîc ego video? Nisi me fallit animus, aut parum prospiciunt oculi, video tres veteres congerrones meos considentes, Pampirum, Polygamum & Glycionem. Certè ipsi sunt.* PAM. *Quid tibi vis cum tuis* (b) *vitreis oculis fascinator? Congredere propiùs Eusebi.* POL. *Salve multùm exoptate Eusebi.* GLY. *Benè sit tibi vir optime.* EVS. *Salvete vos omnes unâ salute pariter mihi carissima capita. Quis Deus, aut casus Deo felicior, nos coniunxit? Nam nemo nostrûm vidit alium annis, opinor, iam quadraginta. Mercurius caduceo suo non potuisset melius nos in vnum contrahere. Quid hic agitis?* PAM. *Sedemus.* EV. *Video, sed quâ de causâ?* POL. *Opperimur currum, qui nos devehat Antverpiam.* EVS. *Admercatum?* PAM. *Scilicet: sed spectatores magis quàm negociatores: quanquam aliis aliud est negotii.* EV. *Et nobis eodem est iter. Verùm quid obstat quò minus eatis?* PAM. *Nondum convenit cum aurigis.* EV. *Difficile genus hominum, Sed visne, ut illis imponamus?* PAM. *Liberet si liceret.* EVS. *Simulemus nos velle simul abire pedites.* PAM. *Citiùs credent cancros volaturos, quàm nos tam grandes pedibus hoc iter confecturos.* GL. *Vultis rectum verumq; consilium?* POL. *Maximè.* GL. *Illi potant: id quò faciunt*

diutiùs, hoc plus erit periculi, ne cubi nos deiiciant in lutum. POL. Admodùm diluculò venias oportet, si sobrium aurigam velis. GL. Quò maturiùs perveniamus Antverpiam, nobis quatuor solis currum stipulemur Contemnendum sentio tantillam pecuniæ. Hoc damni multis commoditatibus pensabitur: sed bimus commodiùs ac mutuis fabulis suavissimè transigemus hoc iter. PAM. Rectè suades Glycion, ut in vehiculo quoq; iucundus comes pro vehiculo sit: Quin & iuxta Græcorum proverbium, liberiùs loquemur, non de (c)plaustro, sed in plaustro. GL. Transegi: conscendamus. Vah! Nunc mihi libet vivere, posteaquàm ex tanto intervallo videre contigit mihi charissimos olim sodales. EV. Ac mihi videor renubescere. POL. Quot annos supputatis, ex quo Lutetiæ conviximus EVS. Arbitror haud pauciores quadraginta duobus. PAM. Tum videbamur omnes æquales. EVS. Ita fermè eramus, aut si quid erat discriminis perpusillum erat. PAM. At nunc quanta inæqualitas? Nam Glycion nihil habet senii, & huius avus videri queat Polygamus. EVS. Profectò sic res habet, Quid rei in caussa? PAM. Quid? aut hic cessavit, ac restitit in cursu; aut ille antevertit. EV. Ohe, non cessant anni, quatumvis cessent homines. POL. Dic bona fide Glycion, quot annos numeras? GL. Plures quàm ducatos. POL. Quot tandem? GL. Sexaginta sex. EV. Overe (d) πθωνῦ γῆρας, quod aiunt. POL. Sed quibus tandem artibus remoratus es senectutem? nam neq; canicies adest, neque rugosa cutis, vigent oculi,

oculi, nitet (δ) utrinq; dentium series, color vividus est, corpus succulentum. GL. Dicam artes meas, modò tu vicissim narres nobis artes tuas, quibus senectutem acceleraſti. POL. Recipio me facturum. Dic igitur, quò te contuliſti relictâ Lutetiâ? GLY. Rectà in patriam, illic commoratus ferè annum, dispicere cœpi de deligendo vitæ genere: quam ego rem non leve momentum habere credo ad felicitatem: circumspiciebam quid cuique succederet, quid secùs. POL. Miror tibi tantum fuisse mentis, quum Lutetiæ nihil fuerit tenuitatis. GL. Tum ferebat ætas. Et tamen, ô bone, non hîc meo Marte rem omnem gessi. POL. Mirabar. GL. Priusquam quicquam aggrederer, adii quendam è civibus natu grandem, longo rerum usu prudentissimum, totiusq; civitatis testimonio probatissimum, ac meo quidem iudicio etiam felicissimum. EV. Sapiebas. GLY. Huius usus consilio duxi vxorem. POL. Pulchrè dotatam? GL. Dote mediocri, ac planè iuxta proverbium (ε) τὴν κατ' ἑαυτὸν. Nam & mihi res erat mediocris. Ea res mihi planè cessit ex animi sententia. POL. Quot annos tum eras natus? GL. Viginti fermè duos. POL. O te felicem. GL. Non totum hoc fortunæ debeo, ne quid erres. POL. Qui sic? GL. Dicam. Alii priùs diligunt, quàm deligant; ego iudicio delegi, quam diligerem: & tamen hanc magis duxi ad posteritatem, quàm ad voluptatem. Cum ea vixi suavissimè annos non plures octo. POL. Reliquit orbum? GL. Imò supererat quadriga liberorum, filii duo, filiæ totidem. POL.

paroch.

Privatus

Privatus ne vivis, an magistratu fungeris? GL. *Est mihi munus publicum, poterant contingere maiora: verùm hoc mihi delegi, quòd tantum haberet dignitatis, ut me vindicaret à contemptu, cæterùm minimè molestis negociis obnoxium. Ita nec est, quòd quisquam obiiciat, me mihi vivere: & est vnde nonnunquam & amicis dem operam. Hoc contentus, nihil vnquam magis ambii. Verum sic gessi magistratum, ut illi ex me dignitas accreverit. Hoc ego pulchrius duco, quàm ex muneris splendore dignitatem mutùò sumere.* EVS. *Nihil verius.* GL. *Sic inter cives meos consenui charus omnibus.* EVS. *Istuc verò difficilimum est, quum non absrè dictum sit: Qui neminem habet inimicum, eum nec amicum habere quenquam, & felicitatis semper invidiam esse comitem.* GLY. *Insignem felicitatem comitari solet invidia: mediocritas tuta est. Et hoc mihi perpetuum studium fuit, ne quid mei commodi ex aliorum incommodis compararem. Illam, quam Græci vocant* (f) ἀπραξίαν, *quantum licuit, amplexus sum. Nullis negotiis ingessi memet, sed præcipuè continui me ab his, quæ sine offensa multorum suscipi non poterant. Itaq; si iuvandus erit amicus, sic illi benefacio, ut hac de causa nullum mihi parem inimicum. Et si quid ortum fuerit simultatis alicunde, aut purgatione lenio, aut officiis extinguo, aut dissimulatione patior intermori: à contentione semper abstineo: quæ si inciderit, malo rei, quam amicitiæ facere iacturam. In cæteris Mitionem quendam ago: nulli lædo os, arrideo omnibus*

mnibus, saluto ac resaluto beniginter, nullius animo repugno, uullius institutum aut factum damno, nemini me præfero, patior suum cuique pulchrum esse. Quod taceri velim, nemini credo: Aliorum arcana non scrutor: & si quid fortè novi, nunquam effutio. De his, qui præsentes non sunt, aut taceo, aut amicè loquor ac civiliter. Magna pars simultatum inter homines nascitur ex linguæ intemperantia. Alienas simultates, nec excito, nec alo, sed ubicunq; datur oportunitas, aut extinguo, aut mitigo. His rationibus hactenus vitavi invidiam, ac benevolentiam civium meorum alui. POL. Non sensisti gravem cœlibatum? GL. Mihi quidem nihil accidit acerbius in vita vnquam vxoris morte, ac vehementer optassem illam vnà mecum consenescere liberisque communibus frui: sed, quando aliter visum est superis, indicavi sic magis expedire utriq;, neq; causam putavi, cur me inani luctu discrutiarem, præsertim quum is nihil prodesset defunctæ. PO. Nunquam ne incessit libido repetendi matrimonii, præsertim quum istud tibi feliciter cesserit? GL. Incessit: sed liberorum caußâ duxeram vxorem, liberorum caußâ rursus non duxi: POL. At miserum est cubare solum totas noctes. GL. Nihil est difficile volenti. Tum cogita, quantas etiam habeat commoditates cœlibatus. Quidam omni ex re decerpunt, si quid est incommodi, qualis fuisse videtur Crates ille, cuius titulo fertur epigramma, vitæ mala colligens. Nimirum his placet illud (g) Optimum non nasci. Mihi magis arridet Metrodorus,

vnde

vnde quaq; decerpas, si quid ineſt boni. Sic enim fit vita dulcior. Et ego ſic induxi animum, ut nihil vehementer vel oderim vel expetam. Ita fit, ut ſi quid obtingat boni, non efferar aut inſoleſcam: ſi quid decedat non admodum crucier. POL. Natu philoſophus es vel ipſo Thalete ſapientior, ſiquidem iſtuc potes. GL. Si quid ægritudinis obortum eſt animo, ut multa fert huiuſmodi vita mortalium, protinus eiicio ex animo, ſive ſit ira ex offenſa, ſive quid aliud indignè factum. POL. At ſunt quædam iniuriæ, quæ vel placidiſſimo moveant ſtomachum: tales ſunt frequenter & famulorum offenſæ. GL. Nihil ego patior reſidere in animo meo. Si mederi queam medeor: ſin minus, ſic cogito, quid proderit me ringi re nihilo meliùs habiturâ? Quid multis? Patior ut hoc mox impetret à me ratio, quod paulò pòſt tempus eſſet impetraturum. Certè nullus eſt tantus animi dolor, quem patiar mecum ire cubitum. EV. Nihil mirum, ſi tu non ſeneſcis, qui tali ſis animo. GLY. Atq; adeò, ne quid reticeam apud amicos, cùm primis cavi, ne quid flagitii committerem, quod vel mihi, vel liberis meis probro eſſe poſſet, Nihil n. irrequietius animo, ſibi malè conſcio. Quòd ſi quid culpæ admiſſum eſt, non eo cubitum priùs quàm me Deo reconciliâro, Veræ tranquillitatis, ſeu, ut Græcè dicam εὐθυμίας fons eſt, benè convenire cum Deo. Nam qui ſic vivunt, his nec homines magnopere nocere poſſunt. EVS. Num quando te cruciat metus mortis? GL. Nihilo magis quàm macerat dies nativitatis. Scio morien-

dum

dum: ista solicitudo fortassis adimat mihi aliquot vitæ dies, certè nihil possit adiicere. Itaque totam hanc curam superis committo: ipse nihil aliud curo, quàm ut benè suaviterq; vivam. Non potest autem suaviter, nisi qui benè. PA. At ego senescerem tædio, si tot annos degerem in eadem vrbe, etiamsi Romæ contingat vivere. GLY. Habet quidem locì mutatio voluptatis nonnihil, longinquæ verò peregrinationes, ut prudentiam addunt fortassis, ita plurimum habent periculorum. Mihi videor tutiùs totum orbem obire in tabula Geographica, neque paulò plus videre in historiis, quàm si viginti totos annos ad Vlyssis exemplum per omneis terras mariaque volitarem. Habeo prædiolum, quod abest ab urbe non plus quàm duobus millibus passuum, ibi nonnunquam ex urbano fio rusticus, atq; ibi recreatus, redeo novus hospes in urbem: nec aliter saluto, ac salutor, quàm si renavigassem ex insulis nuper inventis. EVS. Non adiuvas valetudinem pharmacis? GL. Nihil mihi rei cum medicis. Nec incidi venam unquam, nec devoravi catapotia, nec hausi potiones. Si quid oboritur (i) lassitudinis, moderatione victus, aut rusticatione propello malum. EVS. Nihil ne tibi cum studiis? GL. Est. Nam in his est præcipua vitæ oblectatio: verùm his oblecto me, non macero. Siquidem vel ad voluptatem studeo, vel ad utilitatem vitæ, non autem ad ostentationem. A cibo sumpto aut pascor literatis fabulis, aut lectorem adhibeo: nec unquam incumbo literis ultra horam, tum surgo, & arreptâ testudine paulisper

lisper obambulans in cubiculo, vel cãtillo, vel repeto mecum quid legerim, & si in promptu est congerro, refero: mox ad librum redeo. Evs. *Dic mihi bonâ fide, nullane sentis incommoda senectutis, quæ feruntur esse plurima?* Gl. *Somnus aliquanto deterior est, nec perinde tenax memoria, nisi si quid infixero.* (k) *Liberavi fidem meam. Exposui vobis magicas artes meas, quibus alo iuventutem meam: nunc referat nobis pari fide Polygamus, vnde tantum collegerit senii.* Pol. *Equidem nihil celabo tam fidos sodales.* Evs. *Narrabis etiam tacituris.* Pol. *Cùm agerem Lutetiæ, quàm non abhorruerim ab Epicuro, nostis ipsi.* Ev. *Sanè meminimus, sed arbitrabamur, te mores eos vnà cum adolescentiâ Lutetiæ relicturum.* Pol. *Ex multis, quas illic adamaram, unam mecum abduxi domum, eamq; gravidam.* Evs. *In ædes paternas?* Pol. *Recta: Sed mentitus eam esse coniugem cuiusdam amici mei, qui mox esset venturus.* Gly. *Id credidit pater?* Pol. *Imò rem olfecit intra quatriduum. Mox sæva iurgia, nec tamen interim temperabam à conviviis, ab alea, cæterisq; malis artibus. Quid multis? Cum pater non faceret obiurgandi finem, negans se tales gallinas alere velle domi, ac subinde minitans abdicationem: (l) verti solum, & cum Gallina mea, Gallus aliò demigravi: ea genuit mihi aliquot pullos.* Pam. *Undè res suppetebat?* Pol. *Nonnihil furtim dabat mater, ac præterea conflatum est æris alieni plus satis.* Evs. *Reperiebantur tam fatui, ut tibi crederent?* Pol. *Sunt qui nullis credant libentius*

tius. PAM. *Quid tandem?* POL. *Tandem ubi pater serio pararet abdicationem, interceſſerunt amici, ac bellum hoc his legibus compoſuerunt: ut noſtratem vxorem ducerem, cum Galla divortium facerem.* EVS. *Erat vxor?* POL. *Interceſſerant verba* (m) *futuri temporis, ſed acceſſerat congreſſus præſentis temporis.* EVS. *Qui licuit igitur ab illa divertere?* POL. *Poſt reſcitum eſt, meæ Gallæ Gallum eſſe maritum, vnde pridem ſe ſubduxerat.* EV. *Ergo nunc habes vxorem?* POL. *Non, niſi præter hanc octavam.* EV. *Octavam? Non ſine augurio dictus es Polygamus. Fortaſſis ſteriles omnes deceſſêre.* POL. *Imò nulla non reliquit aliquot catulos domi meæ.* EVS. *Ego malim totidem gallinas, quæ mihi ponerent ova domi. Non tædet polygamiæ?* POL. *Adeò tædet, ut ſi hæc octava moreretur hodie, perendie ducerem nonam. Imò hoc me malè habet, quòd non liceat habere binas aut ternas, quum vnus gallus gallinaceus tot gallinas poſſideat.* EV. *Equidem haud miror gallinacee, ſi parùm pinguiſti, quódq; tantum ſenii tibi collegeris. Nihil enim æquè accelerat ſenectutem, quam immodicæ atque intempeſtivæ compotationes, impotentes amores mulierum, & ſalacitas immoderata. Sed quis alit familiam?* PO. *Ex obitu parentum acceſſit res mediocris, & gnaviter laboratur manibus.* EV. *Deſciviſti igitur à literis?* PO. *Planè ab equis, quod aiunt, ad aſinos, ex* (n) *heptatechno factus monotechnus faber.* EV. *Miſer, toties tibi ferendus erat luctus, toties cælibatus?* POL. *Nunquam*

vixi cœlebs ultra dies decem, semperq; nova nupta veterem luctum expulit. Habetis bonâ fide vitæ meæ summam, atque utinam Pamphirus narret nobis suæ quoque vitæ fabulam, qui satis bellè portat ætatem. Nam, ni fallor, me duobus aut tribus annis est grandior. PAM. Dicam equidem si vobis audire vacat tale somnium. EV. Imò voluptè fuerit audire. PA. Ubi domum rediissem, statim pater senex urgere cœpit, ut aliquod vitæ genus amplecterer, unde non nihil quæstus accederet rei familiari, ac post longam consultationem placuit negotiatio. PO. Miror hoc vitæ genus arrisisse potissimùm. PA. Eram naturâ sitiens cognoscendi res novas, varias regiones, urbes, linguas ac mores hominum. Ad id maximè videbatur apposita negotiatio. Quibus ex rebus nascitur & prudentia. PO. Sed misera videlicet, quæ plerunque magnis malis sit illis emenda. PAM. Sic est. Itaq; pater numeravit sortem satis amplam, ut dextro Hercule, ac benè fortunante Mercurio, negotiationem auspicarer, simulq; ambiebatur uxor cum ampliſſima dote, sed eâ formâ, quæ vel indotatam commendare poterat. EV. Successit? PAM. Immò prius, quàm redirem domum, periit & sors & usura. EVS. Naufragio fortassis. PA. Planè naufragio. Nam impegimus in scopulum quâvis (p) Maleâ periculosiorem. EV. In quo mari occurrit iste scopulus, aut quod habet nomen? PA. Mare non possum dicere, sed scopulus plurimorum infamis exitiis, Latinè dicitur Alea, quomodo vos Græci nominetis nescio. EV. O te stultum! PA. Imò stultior pater,

pater, qui tantam summam crederet adolescenti. GLY. Quid deinde factum est? PAM. Nihil actum, sed cœpi cogitare de suspendio. GL. Adeón' erat pater implacabilis? Nam res sarciri potest, & venia datur ubique (q) protopiro, multò magis Pampiro debebatur. PAM. Verum fortasse narras: sed interim miser excidi ab uxore. Nam parentes puellæ simul atq; cognoverunt hæc auspicia, renunciárunt adfinitatem. Et amabam, ut qui perditissimè. GL. Miseret me tui. Sed quid interim consilii tentatum est? PAM. Id quod solet in rebus desperatis. Pater abdicabat: perierat res, perierat uxor: undique audiebam gurges, nepos, heluo. Quid plura? Seriò mecum deliberabam, an suspenderem me, an aliquò conijcerem memet in monasterium. GL. Crudele consilium. Scio utrum elegeris: mitius mortis genus. PAM. Imò quod mihi tunc visum est crudelius, adeò mihi displicebam totus. GLY. Atqui complures eò se deiiciunt, ut suaviùs vivãt. PAM. Corraso viaticulo, furtim me subduxi procul à patria. GL. Quò tandem? PA. In Hiberniam. Illic factus sum Canonicus ex horum genere, qui extimè linei sunt, intimè lanei. GL. Apud Hibernos igitur hybernasti? PAM. Non, sed duos menses apud hos versatus, navigavi in Scotiam. GL. Quid te offendit apud illos? PA. Nihil nisi quòd institutum illud mihi videbatur mitius, quàm pro meritis eius, qui non uno suspendio dignus erat. EV. Quid in Scotia designatum est? PA. Illic ex lineo factus sum pelliceus apud Carthusios. EVS. Homines

planè mundo mortuos. PAM. Ita mihi visum est cum audirem illos canentes. GLY. Quid? canunt etiam mortui? Quot menses apud illos egisti Scotus. PAM. Propemodum sex. GLY. O constantiam! EV. Quid illic offendit. PAM. Quia mihi visa est vita segnis ac delicata. Deinde multos illic reperi non admodùm sani cerebri ob solitudinem, ut arbitror. Mihi parum erat cerebri, verebar ne totum periret. PO. Quò deinde devolasti? PA. In Galliam. Illic reperi quosdam totos pullatos ex instituto divi Benedicti, quo colore vestis testantur se lugere in hoc mundo, & inter hos qui pro summa veste cilicium ferrent reti simile. GLY. O gravem corporis macerationem! PAM. Hic egi menses undecim. EV. Quid obstitit, quò minus illic maneres perpetuò? PAM. Quia plus illic reperi cæremoniarum, quàm veræ pietatis. Præterea audieram esse quosdam his multò sanctiores, quos Bernardus ad severiorem disciplinam revocasset, pullâ veste mutatâ in candidam: apud hos vixi menses decem. EV. Hic quid offendebat? PAM. Nihil admodùm. Nam hos reperi sat commodos sodales. Sed movebat me Græcorum proverbium (1) δεῖ τὰς χελώνας ἢ φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν. Itaque decretum erat, aut non esse monachum, aut insigniter esse monachum. Acceperam esse quosdam Brigidenses, homines planè cœlestes: ad hos me contuli. EVS. Quot menses illic egisti. PAM. Biduum, nec id sanè totum. GLY. Usque adeò placuit hoc vitæ genus? PAM. Non recipiunt, nisi qui mox obstringant se professioni. At ego nondum

nõdum adeò insaniebam, ut facilè me præberem capistro, quod nunquam liceret excutere. Et quoties audiebam canentes virgines cruciabat animum uxor erepta. GLY. Quid deinde? PAM. Ardebat animus amore sanctimoniæ, nec usquam satis fiebat animo meo. Tandem obambulans incidi in quosdam præferentes crucem. Hoc signum mihi protinùs arrisit, sed remorabatur electionem varietas: alii gestabant albam, alii rubram alii viridem, alii versicolorem, alii simplicem, alii duplicem, nonnulli quadruplicem, alii aliâ atq; aliâ figurâ variatam. Ego, ne quid intentatum relinquerem, omnes fermè formas gessi. Verùm ipsâ re comperi, longè aliud esse circumferre crucem in pallio seu tunica, quàm in corde. Tandem fessus inquirendo, sic mecum cogitabam: ut semel omnem sanctimoniam assequar, petam terram sanctam, ac redibo domum sanctimoniâ onustus. PO. Num eò profectus es? PAM. Maximè. PO. Vnde suppetebat viaticum. PAM. Demiror istud nunc deniq; tibi venire in mentem, ut rogares, ac non multò antè percontatum fuisse. Sed nosti proverbium (ſ) τέχνιον πᾶσα γῦν τρέφει. GL. Quam artem circumferebas? PAM. Chiromanticam. GL. Vbi eam didiceras? PAM. Quid refert? GLY. Quo præceptore? PAM. Eo, qui nihil non docet, ventre. Prædicebam præterita, futura, præsentia. GL. Et sciebas? PAM. Nihil minus: sed divinabam audacter, idque tutò videlicet priùs accepto pretio. PO. An ars tam ridicula poterat alere te? PAM. Poterat & quidem cum duobus

famulis. Tantum est ubique fatuorum & fatuarum. Attamen, cùm Hierosolymam adirem, addideram me in comitatum cuiusdam magnatis prædivitis, qui natus annos septuaginta, negabat se æquo animo moriturum, nisi prius adisset Hierosolymam. Evs. Ac domi reliquerat uxorem? Pa. Atq; etiam liberos sex. Ev. O senem impiè pium! Atque illinc rediisti sanctius? Pam. Vis verum fatear? aliquantò deterior, quàm iveram. Ev. Sic, ut audio, excussus est religionis amor. Pa. Imò magis incanduit. Itaque reversus in Italiam, addixi me militiæ. Evs. Itáne religionem venabaris in bello, quo quid esse potest sceleratius? Pa. Erat sancta militia. Evs. Fortassis in Turcas. Pa. Imò sanctius quiddam, ut tum quidem prædicabant. Ev. Quidnam? Pa. Iulius secundus belligerabatur adversus Gallos. Porrò militiam mihi commendabat etiam multarum rerum experientia. Ev. Multarum sed malarum. Pam. Ita pòst comperi. Et tamen hîc duriùs vixi quàm in monasteriis. Ev. Quid tum postea? Pam. Iam mihi vacillare cœpit animus, utrum ad negotiationem intermissam redirem, an religionem fugientem persequerer. Interim venit in mentem utrunque alteri posse coniungi. Ev. Quid? ut simul esses & negotiator & monachus? Pam. Quidni? Nil religiosius ordinibus mendicantium, & tamen nihil similius negotiationi. Volitat per omnes terras ac maria, multa vident, multa audiunt, penetrant omneis domos plebeiorũ, nobilium, atq; regum. Evs. At non cauponantur.

Pam.

PAM. *Sæpe nobis feliciùs.* EVS. *Quod genus ex his delegisti?* PAM. *Omneis formas expertus sum.* EV. *Nulla placuit?* PAM. *Imò perplacuerant omnes, si licuisset statim negotiari. Verùm perpendebam, mihi diu sudandum in choro, priusquàm crederetur mihi negotiatio. Iámque cogitare cœpi de venanda Abbatia: sed primùm non omnibus hic favet Delia, & sæpe longa est venatio. Itaque consumptis hunc in modum annis octo, cùm esset nunciata mors patris, domum reversus, ex consilio matris duxi uxorem, & ad veterem negotiationem redii.* GL. *Dic mihi cùm tam subinde novam vestem sumeres, ac velut in aliud animal transformareris, quî potuisti servare decorum?* PAM. *Qui minus quàm hi, qui in eadem fabula nonnunquam aliam atque aliam sumunt personam?* EVS. *Dic nobis bonâ fide, qui nullum vitæ genus non expertus es, quod omnium maximè probas?* PAM. *Non omnibus omnia congruunt: mihi nullum magis arridet, quàm hoc, quod secutus sum.* EVS. *Multa tamen incommoda habet negotiatio.* PAM. *Sic est. Sed quando nullum vitæ genus omnibus caret incommodis, hanc* (t) *Spartam, quæ contigit, orno. Verùm nunc superest Eusebius, qui non gravabitur apud amicos vitæ suæ* (u) *scenam aliquam explicare.* EV. *Imò totam fabulam, si videtur: nam habet actus non multos.* GLY. *Erit magnoperè gratum.* EVS. *Vbi redissem in patriam annum apud me deliberavi, quodnam vitæ genus amplecti vellem: simulque meipsum exploravi, ad quod genus essem pro-*

pensus aut idoneus. Interim oblata est præbenda, quam vocant, satis opimi proventus: accepi. GLY. *Vulgo malè audit hoc vitæ genus.* EVS. *Mihi, ut sunt res humanæ, satis exoptandum videtur. An mediocrem felicitatem esse putatis, subitò velut è cœlo dari tot commoda, dignitatem, ædes honestas, benéque instructas, annuos reditus satis amplos, sodalitium honorificum: deinde templum, ubi si libeat, vaces religioni?* PAM. *Illic me luxus offendebat & concubinarum infamia: tum quòd plerique istius generis odêre literas.* EVS. *Ego non specto quid agant alii, sed quid mihi sit agendum & melioribus me adiungo, si non possum alios meliores reddere.* PO. *In isto genere vixisti perpetuò?* EV. *Perpetuò: nisi quòd interim quatuor annos primùm egi Patavii.* PO. *Quamobrem.* EV. *Hos annos ita partitus sum, ut sesquiannum darem studio medicinæ, reliquum tempus Theologiæ.* PO. *Cur id?* EV. *Quò melius & corpus & animum meum moderarer, nonnunquam & amicis consulerem. Nam & concionor nonnunquam pro mea sapientia. Sic hactenus satis tranquillè vixi, contentus unico sacerdotio, nec præterea quicquam ambiens, recusaturus etiamsi offeratur.* PAM. *Vtinam liceret discere, quid agant cæteri nostri sodales, quibus cum tum familiariter viximus.* EVS. *De nonnullis possum commemorare quædam, sed video nos non procul abesse à civitate, quare si videtur, conveniemus in idem diversorium: ibi per otium de cæteris conferemus affatim.* HVGVTIO *auriga. Vnde tam mi-*

seram

seram sarcinam nactus es lusce? HENRICVS *auriga. Imò quò tu defers istud lupanar ganeo?* HVG. *Debueras istos frigidos senes alicubi* (x) *effundere in urticetum, ut calescerent.* HEN. *Imò tu istum gregem cura, ut præcipites alicubi in profundam lamã, ut refrigerentur: nam calent plus satis.* HVG. *Non soleo præcipitare sarcinam meam.* HEN. *Non? Atqui nuper vidi te sex Carthusienses deiecisse in cœnum, sic, ut pro candidis emergerent nigri: tu interim, quasi re benè gestâ, ridebas.* HVG. *Nec iniuriâ: dormiebant omnes, ac multum ponderis addebant currui meo.* HEN. *At mei senes egregiè sublevarunt currum meum, per totum iter perpetuò garrientes. Nunquam vidi meliores.* HVG. *Non soles tamen talibus delectari.* HEN. *Sed hi senes boni sunt.* HVG. *Quî scis?* HEN. *Quia per eos temperi per viam cereviſiam insigniter bonam.* HVG. *Hahahæ. Sic tibi boni sunt.*

(*) Id est. Senile colloquium, sive vehiculum. (**) *Eusebius* Pius. *Pamphus* omnia expertus. *Polygamus* qui sæpe duxit uxorem *Glycon*, dulcis, sive dulciot. (a) Alludit ad peregrinas aves, *Rara avis.* (b) Significat vitrea perspicilla, & fascinatio est in oculis. (c) Alludit ad proverbium. *Eplaustro loquitur.* (d) *Tithoni senecta* de longæva, sed florida senectute, vide proverb. (e) Vtrinq; , id est, supernè & infernè: Est enim gemina series, (e) Id est, pro mea sorte: vide proverb. Pitaci, *æqualem tibi ducito.* (f) Otium sive abstinentia à negotiis. (g) *Optimum non nasci*, vide proverb. (h) Catapotia Græce, trochisci, sive pilulæ, quas deglutimus. (i) Lassitudo nulla de causa oborta, significat morbum instare iuxta medicos. (k) Id est, persolvi quod debui. Et enim qui promittit, obstringit

stringit fidem suam. (l) *Verti solum* de exulibus propriè dicitur, qui demigrant in aliam regionem. (m) Alludit ad sententiam Iureconsultorum, quam sequuntur & Theologi. *Si quis dicat puellæ, Ducam te, & mox habeat rem cum illa, ratum est matrimonium, perinde quasi dixisset, Duco te.* Hoc & multi adolescentes capiuntur magno suo malo discentes hoc sophisma. (n) Id est septem artium perito. Tot enim numerantur artes liberales. (o) Retulit verba Persii. Herculi vovebatur decima bonorum pars, ita illo favente putabant res domesticas prosperari. (p) *Maleæ periculosioræ* de Malea promontorio naufragiis infami, vide proverb. *Maleam legens.* (q) Id est: primùm experienti. (r) Vide proverb. *Testudines edendæ aut non* (s) Id est. artificiolum quævis terra alit. vide Chiliades. (t) Vide proverbium: *Spartam nactus es, hanc orna.* (u) Fabula dividitur in scenas, ad id alludit. Et scenam aperit qui operta patefacit (x) Faciunt hoc non rarò aurigæ Brabantini velgratis, nonnunquam conducti.

ΠΤΩΧΟΠΛΟΥΤΣΙΟΙ.

FRANCISCANI.

CONRADVS, BERNARDVS, PASTOR, PANDOCHEVS, VXOR.

CONR. *Atqui* (a) *pastorem decet hospitalitas.* PAS. *Pastor sum ovium, non amo lupos.* CON. *At non perinde fortassis odisti* (b) *lupas. Sed quo tandem merito sic abhorres à nobis, ut ne tecto quidem digneris? Neq; enim te gravabimus cœnâ.* PAS. *Dicam: quia si conspiceretis in ædibus meis* (c) *gallinam aliquam, aut pullos gallinaceos, cras in concione traducerer apud populum. Hanc soletis referre gratiam communicati hospitii.* CON. *Non omnes*

omnes sumus istiusmodi. PAS. Sitis cuiusmodi voletis: ego vix sancto Petro viderem, si tali cultu veniret ad me. CONRAD. Si ita stat sententia, saltem indica diversorium aliud. PAS. Est in hoc vico diversorium publicum. CON. Quod habet signum? PAS. In tabula pensili videbitis canem os inserentem in ollam: hoc agitur in culina. Ad abacum rationalem sedet lupus. CON. Signum inauspicatum. PAS. Fruamini. BER. Quod genus pastoris hoc est? per illum liceret perire fame. CONR. Si non melius pascit oves, quàm nos, oportet esse parùm obesas. BER. In malis rebus opus est bono consilio. Quid fiet? CON. Perfricanda frons est. BER. Nimirum inutilis est pudor, cùm urget necessitas. CON. Admodùm: sanctus Franciscus aderit nobis. BER. Pro Fortuna. CO. Non expectabimus Pandochei responsum pro foribus, sed rectà irrumpemus in ipsum vaporarium, nec facilè patiemur nos eiici. BER. O facinus impudens! CON. Hoc satius, quàm noctem agere sub dio, ac perire frigore. Interim depone pudorem in sacculo, cras resumpturus, ubi videbitur. BER. Scilicet, sic res ipsa suadet. PAN. Quod animantium genus hic video? CON. Servos Dei, filios sancti Francisci, vir optime. PAN. An Deus talibus servis delectetur nescio, ego mihi nolim multos esse domi. CON. Quamobrem. PAN. Quia ad edendum & bibendum plus quàm viri estis, ad laborandum nec manus habetis, nec pedes. Ohe vos estis filii sancti Francisci? Soletis prædicare eum esse virginem, & ille habet tot filios? CONR.

Spiritu

Spiritus filii sumus, non carnis. PAN. *Infelix genutor ille. Nam quod in vobis pessimum est, animus est: corpore nimium valetis, planeq; melius habetis istâ parte, quàm expediat nobis, qui alimus vxorem & filios.* CON. *Tu fortè suspicaris nos esse ex eorum genere, qui degenerant à progenitoris instituto: nos sumus Observantes.* PAN. *Ego igitur observabo, ne quid adferatis, detrimenti. Nam istud genus ego odi pessimè* CON. *Quamobrem te quæso?* PAN. *Quia circumfertis dentes, nec circumfertis pecuniam. Hoc genus hospitum mihi est ingratissimum* CONR. *At laboramus vobis.* PAND. *Vultis ostendam vobis quomodo laboretis?* CON. *Ostende* PAN. *Inspicite picturam vobis proximam ad lævam: illîc videtis vulpem concionantem, sed à tergo anser collum profert è cuculla. Rursus videtis lupum absolventem confessum, sed prominet pars ovis occultatæ sub veste. Videtis simiam adsidentem ægroto in veste Franciscana, alterâ manu præfert crucem, alteram habet in crumena ægrotantis.* CON. *Non inficiamur, hac veste nonnunquam tegi lupos, vulpes, ac simias: sed fatemur etiam sæpe tegi porcos, canes, equos, leones ac regulos: quin eadem vestis tegit multos bonos viros. Vestis ut neminem reddit meliorem, ita nullum reddit deteriorem: Proinde iniquum est quenquam ex veste æstimare, alioqui tua vestis, quâ nonnunquam uteris, esset execranda, quæ multos tegit fures, homicidas, veneficos, & adulteros.* PAN. *De veste cedam, si numeretis.* CON. *Rogabimus Deum pro te.* PAN. *Ego vicißim pro vobis*

vobis, operam operâ pensans. CON. Atqui non ab omnibus accipiendum. PAN. Cur vobis religio est contingere pecuniam? CON. Quia pugnat cum professione nostra. PAN. Itidem cùm mea professione pugnat admittere gratuitum hospitem. CON. At nos cogit regula non contingere pecuniam. PAN. At mea regula diversum præcipit. CON. Vbi est tua regula? PAN. Lege versus istos.

Hospes in hac mensa fuerint cùm viscera tensa,
Surgere ne properes, ni priùs adnumeres.

CONR. Nos non erimus tibi sumptui. PAN. At qui mihi non sunt sumptui, ne quæstui quidem sunt. CON. Deus abundè pensabit, si quid officii nobis præstiteris. PAN. Istis verbis non alo familiam. CON. Abdemus nos in angulum vaporarii, neque cuiquam erimus molesti. PAN. Non fert tales homines hoc vaporarium. CON. Itáne nos eiicis, fortassis hac nocte devorandos à lupis? PAN. Lupus (b) lupinam non est, ut nec canis caninam. CON. Crudelis esses, si hoc faceres Turcis: quales quales sumus, homines sumus. PAN. Surdo canitis. CON. Tu molliter foves corpus tuum, nudus recubans post vaporarium: & nos extrudis frigore nocturno perituros, etiamsi parcant lupi. PAN. Sic vixit Adam in paradiso. CON. Vixit, sed innocens. PAN. Et ego innocens. CON. Fortassis detractâ syllabâ primâ. At vide, si tu nos nunc extrudis è paradiso tuo, ne Deus te non recipiat in suum. PAN. Bona verba. VX. Mi vir, tot tua malefacta, saltem hoc beneficio pensa: patere hos

hac nocte tecto nostro uti: sunt viri boni, senties quæstum hinc fieri uberiorem posthac. PAN. *Ecce deprecatricem: suspicor convenire inter vos: nec admodùm lubens audio hoc elogium à muliere,* (e) *Viri boni.* VX. *Hau. non ita est: sed cogita quoties peccaris aleâ, temulentiâ, rixis, pugnis, saltem hac eleemosynâ redime tua peccata, ne eiicias hos, quos optâris tibi adesse morienti. Scurras & sanniones recipis sæpenumerò, & hos extrudis?* PAN. *Vnde ista concionatrix nobis? Abi tu, & cura rem culinariam.* VX. *Id quidem fiet.* BER. *Mitescit & sumit indusium lineum: spero fore rectè.* CON. *Et mensam insternunt pueri: benè habet, quòd nulli veniant hospites: alioqui nobis erit exulandum:* Bern. *Feliciter cecidit, quòd è proximo oppidulo retulimus nobiscum lagunculam vini, & agni coxam assam: alioqui hîc, ut video, ne fœnum quidem impartisset nobis.* CON. *Iam accubuêre pueri, adiungamus nos in mensæ partem, sic tamen ne cui incommodemus.* PAN. *Vobis imputandum arbitror, quòd hodie nullum habeo convivam, præter domesticos & vos inutiles.* CON. *Nisi frequenter hoc accidit, imputa nobis.* PAN. *Frequentiùs quàm vellem.* CON. *Noli laborare: vivit adhuc Christus, qui non deseret suos.* PAN. *Audivi vos dici evangelicos. Et Evangelium prohibet per viam circumferri peram aut panes, vos manicas habetis pro pera, ut video, nec panes modò circumfertis, verùm etiam vinum & delitias carnium.* CON. *Fruere nobiscum si libet.* PAN. *Meum vinum ad istud collatum,*

tum, vappa est. CON. Gusta & de carnibus: nobis enim supereſt. PAN. O felices mendicos! vxor mea nihil hodiè coxit præter caules & laridum rancidum. CON. Communicemus, si videtur, noſtros apparatus. Nam noſtra nihil refert, quibus veſcamur. PAN. Cur igitur non circumfertis caules & vappam? CON. Quoniam hæc nobis obtrudere maluerunt, apud quos hodie pranſi ſumus. PAN. Gratis pranſi? CON. Maximè. Imò gratias etiam egerunt, & abeuntes his (ſ) apophoretis onerarunt. PAN. Vnde venitis? CON. Baſileâ. PAN. Hui è tam longinquo? CON. Sic eſt. PAN. Quod tandem genus hominum eſtis vos, qui ſic oberratis ſine iumento, ſine crumenâ, ſine famulitio, ſine armis, ſine commeatu? CON. Vides qualecunq; veſtigium Evangelicæ vitæ. PAN. Mihi videtur erronum vita, qui vagantur cum reticulo. CON. Tales errones erant Apoſtoli: talis erat & Dominus Ieſus. PAN. Noſtis artem Chiromanticam? CON. Nihil minus. PAN. Vnde igitur ſuppetit victus. CON. Ab eo qui promiſit. PAN. Quis ille? CON. Qui dixit: Nolite eſſe ſoliciti, hæc omnia adiicientur vobis. PAN. Promiſit, ſed quærentibus regnum Dei. CON. Id facimus pro virili. PAN. Apoſtoli clarebant miraculis, ſanabant ægrotos: proinde non mirum illis ubiq; ſuppetiſſe victum: vos nihil tale poteſtis. CON. Poſſemus, ſi ſimiles eſſemus Apoſtolis, & ſi res poſceret miraculum. At miracula data ſunt ad tempus incredulis, nunc nihil opus, niſi piâ vitâ & ſæpè felicius eſt ægrotare, quàm valere: ſæpe

felicius

felicius mori, quàm vivere. PAN. Quid igitur vos facitis? CON. Quod possumus, pro sua quisq; dote divinitùs donatâ, consolamur, exhortamur, admonemus, corripimus, vbi se dederit occasio: nonnunquam & concionamur sicubi comperimus pastores mutos. si nõ datur prodesse, damus operam, ne quem lædamus moribus & linguâ. PAN. Vtinam cras velis nobis concionari. Nam dies est apud nos festus. CON. Cui divo? PAN. Antonio. CON. Fuit is quidem vir bonus: sed vnde dies festus? PAN. Dicam: abundat hic vicus subulcis propter vicinum nemus glandiferum. Et persuasum est, Antonio delegatam curam eius pecoris: & ideò colunt illum, ne sæviat neglectus. CON. Vtinam verè colerent illum. PAN. Quo pacto? CON. Sanctissimè coluit Divos, quisquis imitatus est. PAN. Totus hic vicus cras perstrepet compotationibus, saltationibus, lusibus, rixis & pugnis. CON. Sic Ethnici quondam colebant Bacchum suum. Miror autem, si sic cultus Antonius non sævit in homines, ipso pecore stultiores. Qualem habetis pastorem? mutum ac malum? PAN. Qualis sit aliis nescio, mihi optimus est: nam hic potat totos dies: neq; quisquam plures adducit, aut meliores combibones, magno meo bono. Atq; adeò demiror illum nunc abesse. CON. Nos experti sumus parum commodum. PAN. Quid audio? salutastis hominem? CON. Ambivimus apud illum hospitium: ille non aliter, quàm lupos abegit à limine, & huc iussit abire. PAND. Ha, ha, nunc intelligo. Hinc est, quòd noluit adesse, quòd sciret

sciret vos hic futuros. CON. Est ne mutus? PAN. Mutus? nemo illo vocalior in vaporario, ac strenuè boat in templo, concionantem nunqaam audivi. Sed quid pluribus opus? vos ipsi sensistis, ut intelligo non esse mutum. CON. Estne peritus sacrarum literarum? PAN. Ait se peritissimum: sed quicquid talium rerum didicit, didicit in (g) secretâ confessione, sic ut fas non sit proferre apud alios. Quid multa? Dicam in summa: qualis est populus, talis est & sacerdos, & planè nacta est suum patella operculum. CON. Fortasse non dabit locum concionaturo. PAN. Dabit, ad me recipio: sed hac lege, ne quid in illum iaculêre, quemadmodum plerique soletis. CON. Rei malæ assueverunt, qui hoc solent: ego clàm admoneo pastorem, si quid offendit: quod superest, Episcoporum est munus. PAN. At tales aves rarò huc devolant. Equidem video vos esse viros bonos. Sed quid sibi vult ista vestium varietas? Nam plerique hoc ipso iudicant vos esse malos, quòd sic vestiamini. CON. Vnde id? PAN. Nescio, nisi quòd tales multi comperiantur. CON. Multi hoc ipso iudicant nos esse sanctos, quòd sic vestiamur: peccant utrique: sed tamen humanius peccant, qui ex veste benè de nobis suspicantur, quàm qui malè. PAN. Esto sanè. Sed quæ tandem utilitas tot discriminum? CON. Quid tu censes? PAN. Mihi quidem nulla videtur, nisi in pompis, aut in bellis. In (h) pompis enim circumferuntur variæ personæ sanctorum, Iudæorum, Ethnicorum: has ex diverso cultu dignoscimus. In bellis autem hoc præstaret cultuum

varietas, ut suum quæque vexillum copiæ sequerentur, neq; fieret ordinum confusio. CON. Pulcrè dicis: & hæc vestis est militaris: alius alium Ducem sequimur, sed omnes militamus sub uno Cæsare Christo. Verùm in veste tria spectanda sunt. PAN. Quæ? CON. Necessitas, usus & decorum. Cur sumimus cibum? PAN. Ne pereamus fame. CON. Sic aliquando sumenda vestis, ne pereamus frigore. PAN. Fateor. CON. Hoc melius præstat hæc vestis, quàm tua: tegit enim & caput & collum & scapulas, unde plurimum est periculi. Usus postulat varia vestium genera. Equitaturo convenit brevis, quiescenti longa: in æstate tenuis, in hyeme densa. Sunt Romæ, qui singulis diebus ter commutent vestem: mane sumunt duplicatam pellibus, sub meridiem accipiunt simplicem, rursus sub noctem aliquantò crassiorem: verùm non omnibus suppetunt mutatoria: proinde hæc vestis reperta est una ad plurimos usus accommoda. PAN. Quî sic? CON. Si flat Boreas, aut si fervet Sol, adducimus cucullam: si calor offendit, demittimus in tergum: si quiescendum est, demittimus vestem: si ambulandum subducimus, aut succingimus etiam. PAN. Non pessimè sapuit, quisquis hoc invenit. CON. Est autem hoc ad benè vivendum præcipuum, ut homo consuescat esse paucis contentus: alioqui si deliciis aut adfectibus indulgere cœperimus, nullus erit finis. At nulla vestis inveniri potuit, quæ una tot commoditatibus subserviret. PAN. Adsentior. CON. Nunc decorum inspiciamus. Dic mihi bonâ fide, si

tu

tu sumeres uxoris tuæ vestem, nónne dicerent omnes te facere præter decorum? PAN. Dicerent me insanire. CON. Quid tu diceres, si illa sumeret vestem tuam? PAN. Fortasse nihil mali dicerem, sed contunderem eam (i) bonis fustibus. CON. Atqui nihil refert, quâ veste utaris. PAN. Hic plurimum refert. CON. Nec mirum. Nam & Ethnicorum leges puniunt virum ac fœminam, si diversi sexus cultum sumserint. PAN. Nec iniuriâ. CON. Age, quid si senex octogenarius sumeret sibi vestitum adolescentis quindecim annos nati: aut contra, si iuvenis sumeret vestem senis, nónne dicant omnes rem esse (k) fustuario dignam? Aut sanus coleretur ad modum adolescentulæ, & contrà. PAN. Admodum. CON. Itidem si laicus sumat cultum sacerdotis: contrà sacerdos laici. PAN. Vterque faceret indecorè. CON. Quid si privatus sumeret ornamentum principis; aut sacerdos privatus, Episcopi; num faceret indecorè? PAN. Scilicet. CON. Quid si civis sumeret cultum militis, plumas, cæteráque stultitiæ Thrasonicæ insignia? PAN. Rideretur. CON. Quid si inter milites Anglus gestaret crucem albam, Helvetius rubram, Gallus nigram? PAN. Faceret impudenter. CON. Quid itaque miraris nostrum hunc cultum? PAN. Quid intersit inter privatũ & principem, inter virum aut fœminam, scio: quid intersit inter monachum ac non monachum, nescio. CON. Quid inter est inter pauperem & divitem? PAN. Fortuna. CON. Et tamen indecorum esset, si pauper imitaretur cultum

divitis. PAN. *Verùm ut nunc fermè coluntur divites.* CON. *Quid inter fatuum & sapientem?* PA. *Aliquantò plus quàm inter divitem & tenuem.* CO. *Nónne moriones aliter vestiuntur, quàm qui sapiunt?* PAN. *Nescio quid vos deceat, attamen vester cultus non multum abest ab illorum cultu, si quis addat auriculas & tintinnabula.* CON. *Hoc planè deest. Et sumus huius mundi moriones, si modo verè sumus, quod profitemur.* PAN. *Quid vos sitis, nescio: illud scio, multos esse moriones, gestantes auriculas & tintinnabula, qui plus sapiant iis, qui gestant pilea (l) suffulta pellibus, (m) epomides, reliquaque sapientum insignia. Itaque mihi stultissimum videtur, sapientiam veste profiteri potius, quàm ipsa re. Vidi quendam plusquàm morionẽ, qui gestabat vestem usq; ad talos demissam, epomidem magistri nostri: aderat & vultus, qui videri posset gravis Theologi: disputabat apud omneis, non sine specie gravitatis: magnatibus autem non minus erat iucundus, quàm qui vis alius morio, quum stultitiæ genere superaret omneis.* CON. *Quid igitur tu postulas? ut princeps, qui ridet morionem, commutet cum illo vestem?* PAN. *Fortassis hoc postularet aliquando decorum, quod tu proponis, si libeat repræsentare veste quicquid est in animo.* CON. *Vrges tu quidem: sed tamen arbitror, non sine causa vestem suam additam morionibus.* PAN. *Ob quam?* CON. *Ne lædantur à quoquam si quid imprudenter dixerint, aut fecerint.* PAN. *Non dicam interim, quòd ista res quosvis irritat potius ad lædendum,*

dum, adeò ut frequenter è stultis fiant insani. Nec video cur, quum bos cornupeta, qui occiderit hominem, aut canis, aut sus, qui occiderit infantem, afficiantur supplicio: morio qui sceleratiora commiserit, præsidio stultitiæ sinatur vivere: illud expeto, cur vos distinguamini cultu à cæteris? Nam si quævis causa sufficit ad diversum cultum, oporteret pistorem aliter vestiri, quàm piscatorem, calcearium aliter, quàm vestiarium, aliter pharmacopolam, quàm œnopolam: aliter aurigam, quàm nautam. Vos si sacerdotes estis, cur secus vestimini, quàm reliqui sacerdotes? Si laici, cur à nobis differtis? CON. Olim monachi nihil aliud eramus, quàm purior pars laicorum: & hoc intererat inter monachum & alium laicum, quod nunc interest inter frugalem & probum virum suis manibus alentem familiam; & inter (o) Snaphanum ex prædationum reditu iactantem sese: post Romanus Pontifex, addidit nobis suos honores: vestis ex nobis nacta est dignitatem, quæ nunc nec laicorum est, nec sacerdotum: sed tamen huius, qualis qualis est, non puduit aliquando Cardinales & summos Pontifices. PAN. At tandē decorum illud unde sumitur? CON. Nonnunquam ex ipsa rerum natura, nonnunquam ex consuetudine mortalium & opinione. Nónne iudicarent omnes absurdum si quis tergore bubulosic vestiretur, ut cornua prominerent in capite, & cauda traheretur humi. PAN. Ridiculum sanè. CON. Rursum si quis vestem haberet, quæ faciem ac manus tegeret, pudenda ostenderet? PAN. Multò absur-

dius. CON. *Ob id notati sunt ab Ethnicis quoque scriptoribus, qui* (p) *multitia sumerent, fœminis etiam indecora. Verecundius enim est nudum esse, qualem te offendimus in vaporario, quàm uti veste pellucente.* PAN. *Ego puto totum hoc de cultu pendere à consuetudine ac persuasione mortalium.* CO. *Quî sic?* PAN. *Non multi sunt dies, quod hîc diversati sunt, qui se prædicarent peragrasse varias regiones nuper inventas, & quas in priscorum cosmographorum picturis desideramus. Hi se narrabant pervenisse ad insulam quandam cœli temperatissimi, ubi summi dedecoris loco habebatur, tegere corpus.* CON. *Isti fortassis belluarum ritu vivebant.* PAN. *Imò, ut aiebant, humanissimam agebant vitam. Degebant sub rege, eum comitabantur ad opus manè, non amplius quàm horam, etiam singulis diebus.* CON. *Quid operis faciebant.* PAN. *Evellebant radicum genus, quod illis tritici loco est, & tritico tum gratius, tum salubrius: quo peracto, redeunt ad suum quisque negotium & quod cuiusq; lubitum est animo, faciunt. Sanctè educant liberos, vitant & puniunt flagitia, sed nullum acerbius quàm adulterium.* CON *Quo supplicio?* PAN. *Fœminis ignoscitur: datur hoc sexui: cæterùm viris adulterii convictis, hæc pœna est, ut per omnem vitam in publicum prodeant membro pudendo velo obtecto.* CON. *O grave supplicium!* PAN. *Atqui consuetudo persuasit illis hoc esse quovis supplicio gravius.* CON. *Vbi contemplor quid possit persuasio, propemodum adsentior tibi. Etenimsi quis vellet furem*

furem ac homicidam afficere extremâ ignominiâ, nónne satis esset, si præcideret illi interulam supernates, si partes pudẽdas turpiter prominentes lupinis pellibus convestiret, caligas diversis coloribus variegaret: vestem, quæ thoracem tegit ad brachia totam conscinderet, veluti rete faciens e veste, scapulas & pectus nudaret, barbam partim demeteret novaculâ, partim demitteret, partim intorqueret, capillos tonderet, adderet pileũ undique sectum, cum ingenti fasciculo plumarũ, ac sic iuberet prodire in publicum? Nónne magis traduceret hominẽ, quàm si morionis cucullam adderet cum auriculis prælongis, ac tintinnabulis? Et tamẽ sic ultrò sese ornant milites, ac sibi placent, & reperiunt, quibus hoc pulchrũ videatur, quum nihil possit esse insanius. PAN. Imò non desunt honesti cives, qui hoc pro viribus æmulentur. CON. Atqui si quis nunc conetur Indorum æmulari cultum, qui plumis avium vestiuntur, nónne pueris omnibus videretur insanire? PAN. Prorsus. CON. Atqui quod nos miramur etiam longè insanius est illo. Proinde ut verum est, nihil esse tam absurdum, quod non commendet adsuetudo, ita negari non potest, in vestibus esse quoddam decorum, quod apud sanos & cordatos semper decorum est; ac rursus indecorum, quod apud omneis qui sapiunt, indecorum videri debet. Quis enim non videt, quoties videt fœminas onustas longâ vestis (q) coronide, quæ nobilitatem generis caudæ longitudine metiuntur? Quanquam hoc non pudet imitari quosdam Cardinales duntaxat in palliis. Et tamen res est adeò vio-

lenta cõsuetudo, ut non sit huic, aut illi, liberum mutare, quod receptum est. PAN. Satis de consuetudine. Sed dic tu mihi, quid sentias, utrum existimes satius, monachos non differre à cæteris cultu, an differre. CON. Equidem arbitror simplicius & Christianius, non æstimari quenquam ex cultu, modò sit honestus ac decorus. PAN. Cur igitur vos non abiicitis cucullas? CON. Cur Apostoli non statim vescebantur cibis quibuslibet? PAN. Nescio, dic tu. CON. Quoniam obstabat invicta consuetudo. Quod enim penitùs infixum est animis hominum, multóque usu confirmatum inveteravit, ac velut in naturam abiit: subitò tolli, sine magnâ pernicie tranquillitatis humanæ non potest: sed ita paulatim submovendum est, quemadmodum ille revulsit pilos (r) caudæ equinæ. PAN. Tolerarem, si monachorum omnium esset unus cultus: tot discrimina quis ferat? CON. Hoc malum usus invexit, qui nihil non invexit. Benedictus non commentus est novum cultum: sed is, quo tum utebatur cum suis, erat cultus laici simplicis ac probi. Nec Franciscus invenit novam formam: sed hæc erat vestis pauperum ac rusticorum. Posteriores, additis quibusdam, verterunt rem in superstitionem. Nónne videmus & hodie quosdam annos tenentes sui seculi cultum, qui magis est diversus à cultu horum temporum, quàm meus cultus abest à tuo? PAN. Videmus. CON. Itaq; cum hunc cultum vides, vides reliquias prisci seculi. PAN. Ergò nihil habet aliud sanctimoniæ cultus vester? CON. Nihil prorsus. PAN. Quidam

iactant

iactant istos cultus præmonstratos divinitùs à divâ virgine matre. CON. Ista sunt hominum somnia. PAN. Sunt qui desperent se posse à morbo revalescere, nisi vestiantur cultu Dominicano: Imò, qui ne sepeliri quidem velint, nisi veste Franciscanâ. CON. Ista qui suadent, aut captatores sunt, aut fatui: qui credunt, superstitiosi. Deus non minus dignoscit nebulonem in veste Franciscana, quàm in militari. PAN. At minor est plumarum varietas in avibus, quàm in vobis cultus. CON. An non itaq; pulchrum est imitari naturam? sed pulchrius vincere? PAN. Vtinam vinceretis & rostrorum varietate. CON. Sed agè varietati quoq; patrocinabor, si pateris. Nonne aliter vestitur Hispanus, aliter Italus, aliter Gallus, aliter Germanus, aliter Græcus, aliter Turca, aliter Saracenus? PAN. Scilicet. CON. Et in eâdem regione quanta varietas vestium, etiam in eiusdem sexus, ætatis, & ordinis hominibus? Quantò alius cultus Veneto, alius Florentino, alius Romano? Atq; hæc intra unam Italiam. PAN. Credo. CON. Hinc nata est & nostra varietas. Dominicus sumsit cultum à probis agricolis eius Hispaniæ partis, in qua vixit. Benedictus à rusticis Italiæ partis eius, in qua vixit. Franciscus ab agricolis diversæ partis: atque item de cæteris. PAN. Proinde quantum video, vos nihilo estis sanctiores nobis, nisi sanctiùs vixeritis. CON. Imò peiores vobis, qui parùm piè viventes graviùs offendamus animos simplicium. PAN. Est igitur aliqua spes de nobis, qui nec patronum habemus nec cultum,

nec regulam, nec professionem? CONR. *Habes ô bone: vide ut serves, quære à (s) susceptoribus tuis, quid professus sis in baptismo: quam vestem illîc acceperis. Et humanam regulam desideras, qui regulâ evangelicam professus sis. Desideras hominem patronũ, qui patronum habeas IESVM Christum: Cùm duceres uxorem, nihil professus es? Cogita quid debeas coniugi, quid liberis, quid familiæ, & senties te plus habere sarcinæ, quàm si Francisci regulam professus esses.* PAN. *Credisne ullum Pandocheum ingredi cœlum?* CON. *Quid ni?* PAN. *Multa fiunt ac dicuntur in hac domo, quæ parum respondent Euangelio.* CON. *Quæ?* PAN. *Alius bibit plus satis, alius obscœnè loquitur, quidam rixantur, quidam obtrectant: deniq;, an cætera sint casta, nescio.* CON. *His occurrendum est, quantum potest si non potest, certè ne alas quæstus causâ hæc mala, néve accersas.* PAN. *Nonnunquam parum bonæ fidei sum in vino.* CON. *Quî sic?* PAN. *Vbi sensero illos plus satis incalescere, largiter aquam admisceo.* CO. *Istud quidem levius est, quàm si quibuslibet vendas vinum periculosis medicamentis infectum.* PAN. *Dic mihi seriò, quot dies fuisti in hoc itinere?* CON. *Mensem fermè.* PAN. *Quis interim vos curat?* CON. *Nónne bene curantur qui habent uxorem, liberos, parentes & cognatos?* PAN. *Sæpenumerò* CON *Tu non habes nisi unam uxorem, nos centum: tu non nisi unicum patrem, nos centum: tu non nisi unicam domum, nos centum: tu non nisi paucos liberos, nos innumeros: tu non nisi paucos cognatos, nos infinitos.*

infinitos. PAN. *Quî sic?* CON. *Quia latiùs se porrigit cognatio spiritus, quàm carnis. Et ita nobis pollicitus est Christus & experimur verum, quod pollicitus est.* PAN. *Ne tu mihi præbuisti sat lepidum convivam: emoriar, nisi malim hanc confabulationem quàm pastoris mei compotationẽ. Cras dignaberis aliquid dicere populo. Et si posthac continget te hac facere iter, scito tibi hîc paratum locũ.* CON. *Quid si alii veniant?* PAN. *Non erunt ingrati modo tui similes.* CON. *Meliores, ut spero.* PAN. *Verùm inter tam multos malos quomodo dignoscam bonos?* CON. *Dicam paucis, sed in (t) aurem.* PAN. *Dic.* CON. *Meminero, & faciam.*

(*a*) *Hospitalitas.* Nam à pascendo dicitur pastor, & à præbendo Græcis parochus. (*b*) Jocus est ex ambiguo, lupa uxor lupi & lupa scortum. (*c*) Gallinam appellabat concubinam, pullos liberos. (*d*) Alluśit ad proverbium, *Canis caninam non est.* (*e*) Vulgus Gallorum virum bonum appellat, cuius uxor parum est pudica. (*f*) Apophoreta, quæ dantur in fine convivii, sic ut liceat cuiq;, si velit domum auferre. (*g*) Secretâ confessione vulgaris iocus est in ignavum. (*h*) Pompæ sunt spectacula quæ populo exhibebantur, vulgò nunc vocantur processiones à verbo πέμπω. (*i*) *Bonis fustibus*, Jocus est in contrariis malis, & bonis. (*k*) Fustuario, id est, fustigatione. (*l*) Gestant tales pileos apud Germanos aliquot doctores iuris, in Hispania Theologi insigniuntur flocco albo in summo pileo. Lovanii pileo violaceo & epomide, quæ imponitur humeris, nulli usui futura, nisi ut significet magistrum nostrum (*m*) *Epomis* cucullæ genus, quæ suffulta similiter pellibus aut serico. Magistris nostris ab humeris dependet. (*n*) *Oenopola*, qui vendit vinum. (*o*) Sic Germani vocant prædonum genus subitò ex arcibus adorientium

rientium viatorem, mitigato vocabulo. (p) *Multitium*, vestis pellucida mulierum propriè. Iuvenal. *Dum tua multitia sumas.* (q) *Coronidem vestis*, nunc caudam vocant. (r) Caudæ equinæ, id est, paulatim: vide proverb. Caudæ pilos equinæ vellere. (s) Susceptores vulgò, nunc patrimas ac matrimos vocant, qui spondent pro pueris baptizatos. (t) Simili ioco Reuchlinus claudit opus de verbo mirifico.

ABBATIS ET ERVDITÆ.

(a) ANTRONIVS, MAGDALIA.

AN. *Quam hîc ego supellectilem video?* MAG. *An non elegantem?* AN. *Nescio quàm elegantem. certè parùm decoram, & puellæ & matronæ.* MA. *Quamobrem?* AN. *Quia librorum plena sunt omnia.* MA. *Tu tantus natu, tum abbas & aulicus, nunquam vidisti libros in ædibus heroinarum?* AN. *Vidi, sed Gallicè scriptos: hîc video Græcos & Latinos.* MAG. *An soli Gallicè scripti libri docent sapientiam?* ANT. *Sed decet hoc heroinas, ut habeant, quo delectent ocium.* MA. *An solis* (b) *heroinis licet sapere, ac suaviter vivere?* AN. *Malè connectis sapere, & suaviter vivere: non est muliebre sapere, heroinarum est suaviter vivere.* MA. *Nónne omnium est benè vivere?* AN. *Opinor.* MAG. *Quî potest autem suaviter vivere, qui non vivat benè?* AN. *Imò: quî potest suaviter vivere, qui vivat benè?* MA. *Ergo tu probas eos qui vivunt malè, modò suaviter.* AN. *Arbitror illos benè vivere, qui vivunt suaviter.* MAG. *Sed ista suavitas unde proficiscitur, è rebus extrariis, an ex animo?* ANT.

E rebus

E rebus extrariis. MA. O subtilem abbatem, sed crassum philosophum! Dic mihi quibus rebus tu metiris suavitatem. AN. Somno, conviviis, libertate faciendi quæ velis, pecuniâ, honoribus? MAG. Verùm si istis rebus Deus addiderit sapientiam, num vives suaviter AN. Quid appellas sapientiam. MAG. Hoc est, si intelligeres, hominem non esse fœlicem, nisi bonis animi: opes, honores genus, neque feliciorem reddere, neq; meliorem. AN. Valeat ista quidem sapientia. MAG. Quid si mihi suavius sit legere bonum autorem, quam tibi venari, potare aut ludere aleâ, non videbor tibi suaviter vivere? AN. Ego non viverem. MA. Non quæro quid tibi sit suavissimum, sed quid deberet esse suave. ANT. Ego nolim meos monachos frequentes esse in libris. MAG. At meus maritus hoc maximè probat. Sed quamobrem tandem non probas hoc in monachis tuis? ANT. Quoniam experior illos minùs morigeros: respondent ex Decretis, ex Decretalibus, ex Petro & Paulo. MA Imperas igitur quæ pugnant cum Petro & Paulo? ANT. Quid illi doceant nescio: sed tamen non amo monachum responsatorem, neq; velim quenquam meorum plus sapere, quàm ego sapiam. MAG. Istud ita vitari possit, si tu desperam, ut quàm plurimùm sapias. ANT. Non est otium. MAG. Quî sic? AN. Quia non vacat. MAG. Non vacat sapere? AN. Non. MA. Quid obstat? AN. Prolixæ preces, curæ rei domesticæ, venatus, equi, cultus aulæ. MA. Ítáne ista tibi sunt potiora sapientiâ? AN. Nobis sic usu venit. MA. Iam illud

mihi

mihi dicito, si quis Iupiter hanc potestatem daret, ut possis & monachos tuos & teipsum vertere in quodcunq; animal velles; an illos in porcos verteres, teipsum in equum? AN. *Nequaquam.* MAGD. *Atqui sic vitares ne quis plus te uno saperet.* AN. *Mea non magni referret, quod genus animantis essent monachi, modò ipse essem homo.* MA. *An hominem esse censes, qui nec sapiat, nec velit sapere.* AN. *Mihi sapio.* MA. *Et sibi sapiunt sues.* AN. *videre mihi sophistria quæpiam, ita argutaris.* MA. *Non dicam, quid tu mihi videaris. Sed cur hæc displicet supellex?* AN. *Quia fusus & colus sunt arma muliebria.* MA. *Nonne matronæ est administrare rem domesticam, erudire liberos?* ANT. *Est.* MA. *An rem tantam existimas administrari posse sine sapientiâ?* ANT. *Non arbitror.* MAG. *At hanc sapientiam docent me libri.* AN. *Ego domi habeo sexaginta duos monachos, tamen nullum librum reperies in meo cubiculo.* MAG. *Benè itaq; prospectum est monachis illis.* AN. *Feram libros, non verò Latinos.* MAGD. *Quapropter?* ANT. *Quia non convenit ea lingua fœminis.* MA. *Expecto causſam.* AN. *Quia parum facit ad tuendam illarum pudicitiam.* MAG. *Ergo nugacissimis fabulis pleni libri Gallicè scripti faciunt ad pudicitiam?* ANT. *Aliud est.* MAG. *Dic istud, quicquid est, apertè.* AN. *Tutiores sunt à sacerdotibus, si nesciant Latinè.* MA. *Imò istinc minimum est periculi vestrâ operâ: quandoquidem hoc agitis sedulò, ne sciatis Latinè.* ANT. *Vulgus ita sentit: quia*

rarum

rarum & insolitum est fœminam scire Latinè. MA. Quid mihi citas vulgum, pessimum benè gerendæ rei authorem? Quid mihi consuetudinem, omnium malarum rerum magistram? Optimis adsuescendum: ita fiet solitum, quod erat insolitum: & si ave fiet, quod erat insuave: fiet decorum, quod videbatur indecorum. AN. Audio. MAG. Nónne decorum est, fœminam in Germania natam discere Gallicè. AN. Maximè. MA. Quamobrem? AN. Vt loquatur cum his, qui sciunt Gallicè. MAG Et mihi putas indecorum, si discam Latinè, ut quotidie confabuler cum tot authoribus, tam facundis, tam eruditis, tam sapientibus tam fidis consultoribus? AN. Libri adimunt multum cerebri fœminis, quum alioqui parum illis supersit. MA. Quantum vobis supersit, nescio: certè mihi quantuluncumq; est, malim in bonis studiis consumere, quàm in precibus sine mente dictis, in pernoctibus conviviis, in exhauriendis capacibus pateris. ANT. Librorum familiaritas parit insaniam. MAG. An colloquia combibonum, scurrarum & sannionum tibi non pariunt insaniam? AN. Imò depellunt tædium. MAG. Quî fiat igitur, ut tam amœni confabulones mihi pariant insaniam? ANT. Sic aiunt. MAG. At aliud ipsa loquitur res. Quantò plures videmus, quibus immodica potatio, & intempestiva convivia quibus temulenta pervigilia, quibus impotentes adfectus pepererunt insaniam? AN. Ego sanè nollem uxorem doctam. MA. At ego mihi gratulor, cui contigerit maritus tui dissimilis. Nam & illum

mihi

mihi, & me illi chariorem reddit eruditio. AN. *Immensis laboribus comparatur eruditio, ac post moriendum est.* MAG. *Dic mihi, vir egregie, si cras tibi moriendum esset, utrum malles mori stultior, an sapientior.* ANT. *Si citra laborem contingeret sapientia.* MAG. *Sed nihil homini citra laborem contingit in hac vita: tamen quicquid paratum est, quantisvis laboribus comparatum est, hîc relinquendum est: Cur pigeat nos in re omnium pretiosissima sumere laboris aliquid, cuius fructus nos in alteram quoq; vitam comitatur?* AN. *Frequenter audivi vulgo dici: Fœminam sapientem bis stultam esse.* MAG. *Istud quidem dici solet, sed à stultis. Fœmina, quæ verè sapit, non videtur sibi sapere: contra quæ, quum nihil sapiat, sibi videtur sapere, ea demùm bis stulta est.* ANT. *Nescio quomodo fit, ut quemadmodum clitellæ non conveniunt bovi, ita nec literæ mulieri.* MAG. *Atqui negare non potes, quin magis quadrent* (c) *clitellæ bovi, quàm mitra asino aut sui. Quid sentis de Virgine matre?* AN. *Optimè.* MA. *Nónne versabatur in libris?* ANT. *Versabatur, at non in istis.* MAG. *Quid igitur legebat:* ANT. *Horas canonicas.* MAG. *Ad quem usum?* AN. *Ordinis* (d) *Benedictini.* MAG. *Sit ita sanè. Quid Paula & Eustochium, nónne versabantur in sacris libris?* AN. *Verùm istuc nunc rarum est.* MA. *Sic olim rara avis erat Abbas indoctus: nunc nihil vulgatius: olim principes & Cæsares eruditione non minus, quàm imperio præminebant. Neq; tamen usque adeò rarum est, quàm tu putas:*

sunt

sunt in Hispania, sunt in Italia, non paucæ mulieres ad primè nobiles, quæ cum quovis viro queant contendere: sunt in Anglia Moricæ, sunt in Germania Bilibaldicæ, & Blaurericæ. Quod nisi caveritis vos, res eò tãdem evadet, ut nos præsideamus in scholis Theologicis: ut concionemur in templis: occupabimus mitras vestras. AN. *Ista Deus avertat.* MA. *Imò vestrum erat hoc avertere: quòd si pergetis, ut cœpistis, citiùs anseres concionaturi sint, quàm vos mutos pastores ferant. Videtis iam inverti mundi scenam: aut deponenda est persona, aut agendæ sunt suæ cuique partes.* AN. *Vnde incidi in hanc fœminam? Si quando visus nos, ego te suaviùs accipiam.* MAG. *Quibus modis?* AN. *Saltabimus, bibemus affatim, venabimur, ludemus, ridebimus.* MAG. *Mihi quidem iam nunc ridere libet.*

(*a*) Alludit ad proverbium. *Antronius Asinus.* (*b*) *Heroinas* appellat potentes aulicas quasi semideas. (*c*) Vide proverbium: *Bos clitellas.* (*d*) Ridiculè, cùm benedictus nondum esset natus.

EPITHALAMIVM PETRI ÆGIDII.

ALYPIVS, BALBINVS, MVSÆ.

AL. *Deum immortalem, quod ego novum spectaculum hîc video!* BAL. *Aut tu vides, quod nusquam est, aut mei parum prospiciunt oculi.* AL. *Atqui mirum spectaculum est, & amabile.* BA. *Enecas, dic ubi vides?* AL. *Ad lævam in hoc colle nemoroso.* BALB. *Collem video.* ALY. *Non vides*

puellarum chorum? BAL. Quid tibi venit in mentem, ut nos ad istum modum ludos facias? Ego ne muscam quidem puellam usquam conspicor. AL. Tace, prodeunt è nemore. Papæ, qui nitor! quæ gratia! non humanum est hoc spectaculum. BA. Quæ hunc agitant intemperiæ? AL. Agnosco: novem sunt Musæ, cum tribus Gratiis: demiror quid agant: nunquam vidi cultiores, aut magis alacres: omnes sunt redimitæ lauro, & suum quaque gerit organum. Porrò Gratiæ quàm amabiliter sibi hærent, quàm decet nullo adstricta cingulo vestis, ac liberis diffluens laciniis. BAL. At ego nunquam audivi quenquam magis dilirantem, quàm te. AL. Imò neminem vidisti me feliciorem. BA. Cur hic solus habes oculos? AL. Quia non bibisti ex fonte Musarum: nam his solis conspicuæ sunt Musæ. BA. Ego affatim hausi è fonte Scoti. AL. Non ille fons est Musarum, sed lacus ranarum. BA. Non potes efficere, ut & ipse videam hoc spectaculum? AL. Possem, si quidem adesset laurus: nam liquor è fonte limpido, ramo lauri adspersus, oculos reddit huiusmodi spectaculorum perspicaces. BA. Ecce laurus, ecce fonticulus. AL. Commodùm profectò. BAL. Adsperge. AL. Intende, vidésne? BA. Quantum anteà. Adsperge rursus. AL. Iámne vides? BAL. Tantundem. Adsperge copiosius. AL. Iam vides, opinor. BA. Imo vix te vidi. AL. Miser, quàm penitùs oculos tuos ol sedit (sc.) τὸ σκότος. Hæc ars vel auriga daret oculos. Verùm non est quòd cruciem: præstiterit fortasse non videre, ne tali præmio

videa

videas Musas, quali (b) Actæon vidit Dianam. Periculum enim esset, ne te vertant in (c) hystricem, aut aprum sylvestrem, aut porcum, aut camelum, aut ranam, aut graculum. Efficiam tamen ut audias, modò non obstrepas. Jam huc deflectunt viam, occurramus: (d) χαίρετε πεισπόδητοι θεαί. Mv. Καὶ σὺ μάλα χαῖρε φιλόμουσε. Al. Quid vellicas? Ba. Non præstas, quod promiseras. Al. An non audis? Ba. Audio, sed velut asinus lyram. Al. Loquar igitur Latinè. Quò nam est iter tam cultis, tam q; alacribus? Num invisitis Lovanienses Academiam? Mv. Bona verba. Al. Quamobrem? Mv. Quis nunc illic nobis locus, ubi tot porci obgrunniunt, obrudunt asini, (f) oblectiunt cameli, obstrepunt graculi, obgarriunt picæ? Al. Atqui sunt & illic, quibus vestrum numen est venerandum. Mv. Scimus, eóque post annos aliquot illuc commigrabimus. Nondum revoluta seculorum periodus, diem illum fatalem advexit. Erit enim qui illic nobis amœnum exstruet domicilium, vel templum potius, quo vix alibi magnificentius ac sanctius. Al. Non est fas scire, quisnam tantum decus invecturus sit nostræ ditioni? Mv. Tibi fas est. nostrorum sacrorum (g) mystæ. Non dubium est, quin tibi notum sit toto orbe celebre Buslidianorum nomen. Al. Heroicum genus nominasti, & ornandis summorum principum aulis natum. Quis enim non veneratur magnum illum Franciscum Buslidium Besontinæ Ecclesiæ præsulem, qui unus non unum Nestorem præstitit Philippo, maximi Maximiliani

filio, Caroli, qui maior futurus est, patri? Mv. O felicès nos! nisi fata virum illum terris invidissent. Quantus erat ille Mœcenas honestorum studiorum, quàm candidus fautor ingeniorum. Sed reliquit fratres duos: Ægidium, admirabili iudicio prudentiáque virum, & Hieronymum. Al. Hieronymum novimus omni literarum genere perpolitum, omni virtutum genere decoratum. Mv. Nec eum fata longævum esse patientur: tametsi nemo dignior est immortalitate. Al. Vnde ista nostis? Mv. Apollo nobis denarravit. Al. Quænam est ista fatorum invidia, ut optima quæque protinùs subducant? Mv. Id quidem non est huius temporis philosophari: sed Hieronymus hic summa cum laude moriens, universas opes suas destinabit instituendo Lovanii collegio, in quo gratis & publicitùs tres linguas eruditissimi viri profitebũtur. Ea res magnum ornamentum adiunget & studiis, & Caroli gloriæ, tum non illibenter versabimur Lovanii. Al. Quò nunc igitur est iter? Mv. Antverpiam. Al. Musæ & Gratiæ ad Mercatum? Mv. Nequaquam. Imò ad nuptias. Al. Quid virginibus cum nuptiis? Mv. Ad tales nuptias non est indecorum ire virgines. Al. Quas igitur nuptias narras? Mv. Sanctas puras, castas, ad quas non puderet ipsam adire Palladem, & arbitror adfuturam. Al. Non est fas scire sponsi nomen & sponsæ? Mv. Arbitror tibi non ignotum esse candidissimum illum iuvenem, & omnibus politioris literaturæ delitiis expolitissimũ, Petrum Ægidium. Al. Gemmam nominasti, non hominem.

hominem. Mv. Ei nubet Cornelia, virguncula vel ipso digna Apolline. Al. Ille quidem vestri cultor eximius à teneris annis fuit. Mv. Huic igitur canemus Epithalamium. Al. Et saltabunt Gratiæ? Mv. Non modò saltabunt, verumetiam duo candidissima pectora indissolubilibus mutuæ benevolentiæ nodis copulabunt, ut nihil unquam inter illos possit incidere iræ vel tædii. Illa perpetuùm nihil audiet, nisi mea lux: ille vicissim nihil, nisi, anime mi. Atq; huic iucunditati ne senectus quidem quicquam detrahet, imò potiùs adiunget aliquid. Al. Demirarer si, qui sic vivunt, possint senescere. Mv. Rectè mones: nam maturitas erit potiùs, quàm senectus. Al. Atqui novi permultos, quibus intra menses tres, istæ verborum blanditiæ longè in diversum versæ sunt, & in convivio pro lepidis iocis volitabãt disci & quadrulæ. Maritus, pro, Anime mi, audiebat Fungus, Lagena, Spongia: uxor, Scropha, (h) Acco, Vomica. Mv. Vera prædicas: sed istusmodi nuptiæ Gratiis iratis coierant: hîc perpetuò morum iucunditas alet mutuam benevolentiam. Al. Narras tu quidem raram matrimonii felicitatem. Mv. Tam raras virtutes rara decet felicitas. Al. Quid? coibunt nuptiæ absque Iunone & Venere? Mv. Iuno quidem non aderit, rixosa dea, & cui rarò benè convenit cum suo Iove. Ne Venus quidem illa (i) terrestris & ebriosa, verùm altera illa cœlestis, quæ conciliat formas animorum. Al. Proinde sterile matrimonium mihi narras. Mv. Nequaquam, imò felicissimè fœcundum. Al. Quid illa

cœlestis gignit, nisi animos? Mv. *Imò addit & corpora, sed ipsis animis morigera, perinde quasi gemmeo (k) myrothecio indas opobalsamum.* Al. *Vbinam est ea?* Mv. *En tibi, procul adventat.* Al. *Video: Deum immortalem, qui fulgor, quæ forma maiestas! Ad hanc quidem altera Venus invenusta est.* Mv. *Vides quàm modesti Cupidines, nequaquam cæci, quemadmodum illi, quibus altera dementat animos mortalium: sed oculatissimi; nec habent insanas faces, sed ignes placidissimos: nec habent plumbeas cuspides, quibus immittunt odium amantis, ac miseros animos amore nõ mutuo discruciant.* Al. *Planè matrem referunt. O felicem illam domum, & superis egregiè charam! Cæterùm, licétne audire epithalamium carmen, quod illi destinastis?* Mv. *Imò rogamus, ut libeat audire.*

CLIO.

Candida laurigero nubit Cornelia Petro:
Auspiciis adsint numina dextra bonis.

MELPOMENE.

Contingat illis Turturum concordia.
Corniculæ vivacitas.

THALIA.

Ille charitate (*l*) Gracchum Tiberiũ præcesserit,
Qui suæ vitam antepositit coniugis Corneliæ.

EVTERPE.

Illa charitate superet (*m*) coniugẽ Admeti Ducis.
Quæ volens mortem mariti morte mutavit suâ.

THERPSICHORE.

Ille non flagret leviore flammâ,

Atta-

Attamen fato meliore, quàm olim
Plancius raptæ sociæ gravatus
Esse superstes

ERATO.

Illa non flagret meliore flammâ,
Attamen longè meliore fato,
Casta quàm sanctum deamavit olim
Portia Brutum.

CALLIOPE.

Sponsum moribus undiquaque sanctis,
Nec Nasica probatus antecellat.

VRANIA.

Vxor moribus undiquaque castis,
Vincat (n) Sulpitiam Paterculanam,

POLYHYMNIA.

Laudetur simili prole puerpera,
Adcrescat domui res simul & decus.
Sed livore vacet, si fieri potest,
Factis egregiis debita gloria.

AL. *Prorsus inviderem illi Petro Ægidio, nisi tantus esset hominis candor, ut ipse nemini possit invidere.* MV. *Sed iam tempus est, ut cœptum carpamus iter.* AL. *Nunquid est quod interim velitis renunciari Lovanium?* MV. *Vt nostro nomine salutes amicos omnes candidos ac nostri studiosos, sed præ cæteris vetustissimum nostri chori cultorem Johannem Paludanum, Iodocum Graverium, Martinum Dorpium & Iohannem Borsalum.* AL. *Id quidem fiet diligenter. Quid cæteris?* MV. *Dicam in aurem.* AL. *Res non est (o) magni sumptus: itaq; fiet quamprimùm.*

(a) Hæc vox tenebras significat. Alluſum eſt ad Scoti nomen. (b) *Actæon* cum caſu vidiſſet Dianam nudam, verſus eſt in cervum. (c) *Hiſtrix* ſpinoſum animal, quod ſpinas eiaculatur. (d) Id eſt, avete optatiſſimæ Deæ. (e) Id eſt, & tu multum ſalve Muſarum amator. (f) *Blaſire* propriè camelorum eſt. (g) *Muſtæ*, qui ſacris initiati ſunt, a verbo μυέω, quod ipſum à ſilentio dictum. (h) *Acco*, mulier eſt, ob ſtultitiam nobilis. *Vomica* hulcus, ſic appellamus nobis moleſtos. (i) Alluſit ad hoc, quod Socrates apud Platonem facit duas Veneres & duas Cupidines. (k) *Myrotheciun* vaſculum unguentarium. (l) Lege Plutarchum in Gracchis, ſtatim in principio. (m) Hæc fuit *Alceſte*, de qua extat tragœdia Euripidis. Meminit & Valer. Max. lib. 4. cap. 6. Atque ibidem de Plancio & Horiſtilla. Rurſus ibidem de *Portia* Catonis filia Bruti uxore. (n) *Sulpitia* Paterculi filia, uxor Fulvii Flacci, quæ ob pudicitiam è centum matronis lecta fuit ad dedicandum Romæ Veneris ſimulachrum. Meminit T. Livius. (o) Videtur hoc dictum in aurem: ut ſuſpendant ſeſe.

EXORCISMVS SIVE SPECTRVM.

THOMAS, ANSHELMVS.

TH. *Quid bonæ rei, quòd tecum rides tam ſuaviter, quaſi theſaurum nactus ſis?* AN. *Non procul aberrat à ſcopo tua divinatio.* THO. *At non imparties ſodali quicquid iſtùd eſt boni?* AN. *Imò iamdudum optabam mihi dari quempiam, in cuius ſinum effũderem hoc meum gaudiũ.* TH. *Agè igitur, imparti.* AN. *Audivi modo fabulam lepidiſſimam, quã iures eſſe comicum figmentum, niſi mihi locus, perſonæ, totaque res eſſet tam nota, quàm tu notus es mihi.* TH. *Audire geſtio.* AN. *Noſtine Polum Fauni generum.* TH. *Maximè.* AN. *Is eſt & autor*

&

& actor huius fabulæ. THO. Facilè crediderim. Nam ille vel absque persona possit quamvis agere fabulam. AN. Sic est. Nosti, opinor, & prædium, quod habet non ita procul à Londino. TH. Phy! non semel illic compotavimus. AN. Agnoscis igitur viam utrinque arboribus pari digestis intervallo septam. TH. Ad lævam ædium partem, altero ferè baliſtæ iactu. AN. Tenes. Alterum viæ latus habet alveum siccum dumis, ac vepribus obsitum: è ponticulo iter est ad apertam planiciem. TH. Memini. AN. Iam pridem vagabatur rumor ac fabula per eius loci rusticos, iuxta ponticulum hunc obversari spectrum quoddam, cuius subinde exaudirentur miserandi eiulatus: suspicabantur animam esse cuiuspiam, quæ diris cruciatibus torqueretur. TH. Quis autor erat istius rumoris? AN. Quis nisi Polus? Hoc proœmium præstruxerat suæ fabulæ? THO. Quid isti venit in mentem, ut ista confingeret? AN. Nescio, nisi quia sic est hominis ingenium: gaudet huiusmodi commentis ludere stultitiam populi. Dicam, quid nuper designârit huius generis. Simul equitabamus aliquammulti Richemondam, inter quos erant, quos tu diceres cordatos homines: Cœlum erat mirè serenum, nec ulla usquam nubecula suffuscatum. Ibi Polus intentis in cœlum oculis signavit totam faciem ac scapulas imagine crucis, & vultu ad stuporem composito, ita secum. Deum immortalem, quid ego video! Rogantibus, qui proximè equitabant, quid videret: rursus obsignans se maiore cruce: Avertat, inquit, clementissimus Deus hoc ostentum.

Cùm instarent aviditate cognoscendi, ille defixis in cœlum oculis, ac digito commonstrans cœli locum: Nónne, inquit, videtis illic immanem draconem, igneis armatum cornibus, caudâ in circulum retortâ: Cùm negarent se videre, atque ille insissiset oculos intẽdere, ac locum subinde commonstraret, tandem unusquispiam, ne videretur parum oculatus, adfirmavit se quoq; videre. Hunc imitatus est unus item atq; alter. pudebat enim non videre, quod tam esset perspicuum. Quid multis? Intra triduum rumor hic totam Angliam pervaserat, tale portentum apparuisse. Mirum autem quantum fama popularis addidit fabulæ. Nec deerant, qui quid sibi vellet ostentum interpretarentur serio. Horum stultitiâ ille, qui commentus fuerat argumentum, magna cum voluptate fruebatur. TH. *Agnosco hominis ingenium. Sed redi ad spectrum.* AN. *Interea commodùm divertit ad Polum Faunus quidam sacerdos, ex eorum genere, quibus non satis est, appellari Latinè Regulares, nisi* (a) *Græcè cognomen idem accinatur, parochus vici illic alicundè vicini. Is sibi non vulgariter videbatur sapere, præsertim in rebus sacris.* TH. *Intelligo, repertus est Actor fabulæ.* AN. *Super cœnam ortus est sermo de rumore spectri. Cùm Polus sentiret Fauno rumorem hunc non solùm auditum esse, verùm etiam creditũ, cœpit hominem obtestari, vir doctus ac pius succurreret animulæ tam dira patienti. Et si quid dubitas, inquit, explora rẽ, obambula ad decimam iuxta põticulum illum, & audies miserum eiulatum: adiunge tibi quem voles*

comitem

comitẽ, ita & tutior audies, & certiùs. T. Quid deinde A Cœnâ peractâ, Polus ex more abit venatum aut aucupatũ. Faunus obambulans cùm iam tenebræ sustulissent certum de rebus iudicium, tandem audit miserã dos gemitus: hos Polus artifex mirè effingebat, abditus illic in vepreto, adhibitâ ad id ollâ fictili, quo vox è cavo reddita lugubrius quiddam sonaret. TH. Hæc fabula, ut video, vincit (b) Phasma Menandri. AN. Magis istuc dices, si totam audieris. Faunus domum se recepit, narrare cupiens quid audisset. Polus aliâ viâ compendiariâ iam anteverterat. Ibi Faunus narrat Polo, quod erat actum, & aliquid etiam adfingit, quò res esset admirabilior. TH. Poterat interim Polus tenere risum? AN. Illéne? Vultum habet in manu: dixisses rem seriò agi. Tandem Faunus, vehementer obtestante Polo, suscepit negotium exorcismi, ac totam eam noctem agit insomnem, dum dispicit, quibus modis rem adgrederetur tutò, nam sibi quoq; miserè metuebat. Primùm itaq; congesti sunt exorcismi efficacissimi, & additi novi nonnulli per viscera beatæ Mariæ, per ossa beatæ Vuerenfridæ. Deinde delectus est locus in planicie vicinâ vepreto, unde vox exaudiebatur: circumductus est circulus satis amplus, qui crebras haberet cruces, variasq; notulas. Hæc omnia peragebantur verbis conceptis. Adhibitum est vas ingens, plenum aquæ consecratæ. Addita est in collum sacra stola, quam vocant, unde pendebat initium evangelii secundum Iohannem. In loculis habebat cerulam, à Romano Pontifice quotannis consecrari

secrari solitam, quæ vulgò dicitur Agnus Dei. His armis olim se muniebant adversus noxios dæmones, priùs quàm illis Franciscí cuculla cæpit esse formidabilis. Hæc omnia procurata sunt, ne, si spiritus malus esset, impetum faceret in exorcistam. Nec tamen ausus est se solum huic circulo committere: sed decretum est, adhibendum esse sacerdotem alterum. Ibi Polus metuens, ne si nasutior adiunctus fuisset, proderetur fabulæ mysterium, adiungit parochum quendam ex vicinia, cui rem totam aperit: sic enim postulabat actio fabulæ. & erat is, qui à tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus ritè præparatis, sub horam decimam Faunus cum parocho circulum ingreditur. Polus, qui præcesserat, è vepreto gemit miserabiliter: Faunus auspicatur exorcismum. Interim Polus clam per tenebras subducit se in villam proximam: illinc adducit aliam personam fabulæ, nec enim poterat nisi per multos agi. TH. Quid faciunt? AN. Conscendunt equos nigros, ignem occultum secum ferunt. Vbi non procul abessent à circulo, ignem ostentant, quò metu Faunum abigerent è circulo. THO. Quantum operæ sumpsit Polus ille, ut falleret! AN. Sic est homo. Verum ea res propemodum pessimè cesserat illis. TH. Quî sic? AN. Nam equi subitò prolato igne consternati, parum abfuit, quin & se præcipitarent & sessores. Habes primum actum fabulæ. Vbi reditum est in colloquium, Polus velut ignarus omnium, rogat quid esset actum. Ibi Faunus narrat sibi conspectos duos teterrimos cacodæmones, in nigris equis,

oculis

oculis igneis, ac naribus spirantes ignem, qui tentassent ingredi circulum, verùm efficacibus verbis abactos in malam rem. His rebus quum accrevisset animus Fauno, postero die summo cum apparatu rediit in circulum: cumq; diu multis obtestationibus provocasset spectrum, Polus rursum cum collega suo procul ostendit sese ex equis atris, horrendo fremitu, quasi cuperent irrumpere in circulum. TH. Nihil habebant ignis? AN. Nihil: nam id malè cesserat: sed audi aliud commentum. Ducebant longum funem: eo leviter per humum tracto, dum hinc atq; hinc uterq; se proripit, velut abacti exorcismis Fauni, sacerdotem utrumq; una cum vase, quod habebant aquæ sacræ plenum, provolvunt in terram. TH. Hoc præmii tulit pro sua actione parochus? AN. Tulit: & tamen hoc maluit perpeti, quàm deserere cœptam fabulam. His ita gestis, ubi reditum est ad colloquium, deprædicat apud Polum Faunus, quanto fuisset in periculo, & quàm fortiter utrumque cacodæmonem suis verbis profligasset: iamq; certam conceperat fiduciam, nullum esse tam noxium aut impudentem dæmonem, qui posset in circulum irrumpere. TH. Faunus ille non multum abest à fatuo. AN. Nihil adhuc audisti. Hucusq; progressa fabulâ, commodum supervenit Poli gener: nam eius filiam duxerat natu maximam, iuvenis, ut scis, ingenio mirè festivo. TH. Scio, nec abhorrens ab huiusmodi iocis. AN. Abhorrens? Nullum ille (c) vadimonium non desereret, si talis vel spectanda, vel agenda esset fabula. Huic socer rem omnem

mnem denarrat, atq; illi delegat partes, ut animam agat. Sumit ornatum, ac lubens convolvit se linteo, quemadmodum apud nos solent funera: habet prunam vivam in testa, quæ per linteum reddebat speciem incendii. Sub noctem itum est ad locum, ubi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit exorcismos omnes. Tandem procul inter vepretum ostendit sese anima, subinde ostentans ignem ac miserè suspirans. Hanc cùm Faunus obtestaretur, ut eloqueretur quisnam esset: subitò prosiluit è vepreto Polus, ornatu cacodæmonis, ficto q; fremitu: nihil, inquit, tibi iuris est in hanc animam, mea est: ac subinde procurrit usque ad oram circuli, velut impetum facturus in exorcistam, moxq; velut submotus verbis exorcismi, & vi aquæ sacræ, quam illi multum adsperserit, retrocessit. Tandem abacto (d) pædagogo dæmone, nascitur dialogismus Fauni cum anima: percontanti & obtestanti respondit se esse animam hominis Christiani. Rogat quo nomine vocaretur, respondit: Faunus. Faunus, idem, inquit, mihi nomen est. Jamque ex communi nomine res cœpit illi magis esse cordi, ut Faunus Faunum liberaret. Cùm Faunus multa percontaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum, subducebat sese anima, negans sibi fas esse diutius colloqui, quod tempus urgeret, quò cogeretur abire, quò libéret dæmoni: pollicita tamen est sese postridie redituram horâ quâ fas esset. Rursus convenitur in ædibus Poli, qui (e) choragus erat fabulæ. Ibi denarrat exorcista, quid esset gestum, nonnulla etiam admentiens,

que

quæ sibi tamen persuadebat esse vera. Adeò favebat negotio quod agebatur. Iam hoc compertum erat, animam scilicet esse Christianam, quæ sub in clemẽtissimo dæmone diris cruciatibus vexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verùm in exorcismo proximo ridiculum quiddam accidit. TH. Obsecro quid nam? AN. Cùm Faunus evocasset animam, Polus, qui dæmonem agebat, prorsus sic adsilit, quasi intra circulum irrupturus, cumque contrà Faunus pugnaret exorcismis, multamq; vim aquæ aspergeret, tandem exclamat dæmon se nepili quidem facere ista omnia. Rem, inquit, habuisti cum puella: meiiuris es. Id cum Polus loco diceret, tamen forte fortunà verum dixisse visus est: nam exorcista hoc dicto tactus ilicò recepit se in centrum circuli & nescio quid immissitavit in aurem parocho. Id Polus sentiens, recepit sese ne quid audiret, quod audire fas non esset. TH. Sanè Polus religiosum ac verecundum agebat dæmonem. AN. Sic est. Reprehendi poterat actio, quòd parum meminisset decori. Exaudivit tamen parochi vocem indicentis satisfactionem. TH. Quam? AN. Vt ter diceret gloriosum Psalmum. 78. Deus, venerunt Gentes: ex hoc coniiciebat, illum ter habuisse rem eâdem nocte. TH. Hoc sanè regularis ille præter regulam. AN. Homines sunt & lapsus erat humanus. TH. Perge quid deinde factum. AN. Iam Faunus ferocior redit ad oram circuli, & ultrò provocat dæmonem, At ille iam timidior refugiebat: Fefellisti me, inquiens, si sapuissem, non monuissem te. Persuasum est

hoc

hoc multis, quæ semel sacerdoti confessus sis prorsus abolita esse è memoria dæmonis, ne possit opprobrare TH. Iocum planè ridiculum narras. AN. Sed ut aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum est cum anima. Summa huc evasit. Roganti exorcistæ, num quâ viâ posset à cruciatu liberari, respondit illa, posse, si pecunia, quam reliquisset fraude partam, restitueretur. Ibi Faunus: Quid, inquit, si per bonos viros dispensaretur in pios usus? Respondit & hoc profuturum. Hic exhilaratus exorcista, summâ diligentiâ percontatus est, quanta esset summa. Illa dixit ingentem, quod illi erat bonum atque commodum. Indicavit & locum, sed procul dissitum, ubi thesaurus hic defossus esset. Præscripsit, in quos usus vellet impendi. TH. In quos? AN. Vt tres susciperent peregrinationem, quorum unus adiret limina Petri, alter iret salutatum Iacobum Compostellanum, tertius oscularetur pectinen Iesu, qui est Treveris. Deinde per aliquot Monasteria magna vis Psalteriorum ac Missarum perageretur. Quod supereset, ipse pro suo arbitratu dispensaret. Iam totus erat in thesauro Fauni animus: illum toto pectore devorârat. TH. Vulgaris morbus est, quanquam hoc nomine peculiariter malè audiunt sacerdotes. AN. Vbi nihil esset omissum, quod ad pecuniæ negotium pertineret, exorcista submonitus à Polo cœpit animam de curiosis artibus percontari: de alcumistica, deque magia. Et ad hæc anima quædam respondit pro tempore, cæterùm pollicita se plura indicaturam, simul atq;

illius

illius operâ liberata fuisset à pædagogo dæmone. Sit hic, si videtur, tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit ubique seriò prædicare rem prodigiosam, nihil aliud crepare in colloquiis, in cõviviis: polliceri monasteriis magnifica quædam: & omninò nihil iam humile loquebatur. Adiit locum, reperit signa, non ausus tamen est effodere thesaurum, quòd anima iniecisset scrupulum, ingenti periculo facturum, si prius, quàm essent peractæ Missæ, thesaurus attingeretur. Iam multis nasutioribus subolebat fucus. Quum tamen ille nusquam non deprædicaret suam stultitiam, clàm admonitus est ab amicis, præsertim ab Abbate suo, ne qui hactenus, esset vir prudens, nũc diversum de se specimen daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoveri, quò minus crederet rem esse seriam, adeóque penitus hæc imaginatio occupavit animum hominis, ut præter spectra & malos genios nihil somniaret, nihil loqueretur. Abierat mentis habitus in ipsam faciem, quæ sic pallebat, sic erat extenuata, sic deiecta, ut larvam esse diceres, non hominem. Quid multis? minimum aberat à verâ dementiâ, ni celeri remedio succursum fuisset. TH. Nimirum hic erat extremus actus fabulæ. ANS. Eum tibi reddam. Polus & huius gener huiusmodi technam commenti sunt. Effinxerunt epistolam raris literis descriptam, idque non in chartis vulgaribus, sed in his, in quibus aurifices reponunt bracteas auri, subrubentibus, ut scis, luto. Epistolæ sententia hæc erat: Faunus dudum captivus, nunc liber, Fauno liberatori suo optimo salutem

æternam. Non est mi Faune, cur te diutius in hoc negotio macores: respexit Deus animi tui piam voluntatem, & illius merito me liberavit à suppliciis: ego nunc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud D. Augustinum, qui proximus est Apostolorum choro. Vbi veneris ad nos, agam tibi gratias coràm. Interim cura, ut vivas suaviter. Datum è cœlo empyreo, Idibus Septembribus. Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, sub sigillo annuli mei. Hæc epistola clam posita est in altari, ubi facturus erat rem divinam Faunus: Ea peractâ, subornatus est, qui eum submoneret de re, quasi casu deprehensa. Nunc eam circumfert epistolam, & ostentat ceu rem sacram, nihilque credit certius, quàm eam è cœlo perlatam ab angelo. TH. *Istud non est liberasse hominem insaniâ, sed mutasse insaniæ genus.* AN. *Sic est profectò, nisi quod nunc insanit suaviùs.* TH. *Antehac non soleo multum tribuere fabulis, quæ vulgò feruntur de spectris, sed posthàc multò minus tribuam: suspicor enim ab hominibus credulis, & Fauni similibus, multa pro veris prodita literis, quæ simili artificio sunt adsimulata.* AN. *Ego pleraq; huius generis esse credo.*

(a) Luditalioqui Canonici non dicuntur à regula, sed à præbenda, quam nunc vocant. Nam Canon aliquando est certus cibi potûsve modus, qui dabatur militibus. (b) *Phasma*, id est, apparitio. Nomen est fabulæ, in quo puella potiebatur amatore, ficta apparitione deæ, cui fiebant sacra. Vide Donatum in prologo Eunuchi. (c) *Vadimonium*, id est, quamlibet rem seriam. Vide Chiliad. (d) *Padagogo*, qui servabat animam, nec ab ea discedebat.

Sic

Sic Terent. Phædriam vocat puellæ pædagogum. (e) *Choragus*, qui producit ac seducit personas in fabulis, quasi præfectus fabulæ.

ALCVMISTA.

(*) PHILECOVS, LALVS.

PHI. *Quid est novæ rei, quòd sic Lalus apud se se ridet, ac penè in cachinnos solvitur. subinde signãs se cruce? interpellabo felicitatem hominis. Salve multùm amicissime Lale, vidêre mihi admodum felix.* LA. *Atqui felicior ero, si te impartiam hoc gaudio.* PH. *Fac igitur quàmprimùm me bees.* LA. *Nosti Balbinum?* PH. *Senem illum eruditum, ac vitæ etiam laudatæ?* LA. *Sic est ut dicis: sed nullus est mortalium, qui sapit omnibus horis, aut qui sit undiquaq; perfectus. Habet hoc vir ille inter multas egregias dotes nævi, iam olim insanit in artem, quam vocant alcumisticam.* PH. *Haud tu quidem nævum narras, sed insignem morbum.* LA. *Vtcunq; est, ille toties delusus ab hoc hominum genere, tamen dudum mirificè passus est sibi dari verba.* PH. *Quo pacto?* LA. *Adiit illum sacerdos quidam, salutavit honorificè, mox sic exorsus est: Doctissime Balbine, mirabere fortassis, quòd ignotus sic interpellem te, quem scio nunquam non sanctissimis studiis occupatissimum. Annuit Balbinus: qui mos est illi: nam verborum est mirè parcus.* PH. *Prudentiæ narras argumentum.* LA. *Verùm alter prudentior sic pergit: Ignosces tamen huic meæ importunitati, si cognôris caussam, cur te adierim. Dic, inquit Bal-*

binus: sed paucis, si potes. Dicam, inquit ille, quanto potero compendio. Scis, vir omnium doctissime, esse varia mortalium fata, ego nescio, utro in numero me ponam felicium, an infelicium. Etenim si meum fatum altera ex parte contemplor, videor mihi pulchrè felix: sin ex altera, nihil me infelicius. Vrgente Balbino, ut rem conferat in compendium. Finiam, inquit, doctissime Balbine. Id erit mihi facilius apud virum, cui totum hoc negotium sic notum est, ut nulli notius. PH. Rhetorem mihi depingis, non alcumistam. LA. Mox audies alcumistam. A puero mihi, inquit, contigit hæc felicitas, ut artem omnium maximè expetendam discerem: illam, inquam, totius philosophiæ medullam alcumisticam. Ad nomen alcumistices nonnihil experrectus est Balbinus gestu duntaxat: cæterùm gemitu iussit, ut pergeret. Tum ille: Sed ô me miserum, inquit, qui non inciderim in eam viam quam oportuit. Cùm Balbinus rogasset, quasnam vias diceret: Scis, inquit, optimè (quid enim te fugit, Balbine, virum undiquaque doctissimum) duplicem esse huius artis viam: alteram, quæ dicitur longatio: alteram, quæ dicitur curtatio. At mihi malo quodam fato contigit in longationem incidere. Balbino sciscitante, quod esset discrimen viarum. Impudentem me, inquit, qui hæc apud te loquar, cui sciam hæc omnia sic esse nota, ut nulli notiora. Itaque supplex huc ad te accurri, ut misertus nostri, digneris impartire nobis viam illam felicissimam curtationis. Quò peritior es huius artis, hoc potes minore negotio communicare nobis.

nobis. Noli tantum Dei donum celare fratrem dolore periturum. Itate Iesus Christus semper maioribus locupletet dotibus. Quum hic non faceret obtestandi finem, Balbinus fateri coactus est, se prorsus ignorare, quid esset longatio aut curtatio: iubet exponat ipse vim harum vocum. Tum ille: Quanquam, inquit, scio me loqui peritiori: tamen, quando ita iubes, faciam. Qui totam ætatem in hac arte divina contriverunt, duabus rationibus vertunt rerum species: alterâ, quæ brevior est, sed pluscula habet periculi: alterâ, quæ longior est, sed eadem tutior. Ego mihi videor infelix, qui hactenus sudarim in ea via, quæ meo animo non arridet: neque quenquam nancisci potui, qui alteram, cuius amore depereo, vellet indicare. Tandem Deus immisit in mentem, ut te adirem, virum non minus pium, quàm doctum. Doctrina tibi præstat, ut facile possis dare, quod peto: pietas commovebit, ut velis opitulari fratri, cuius salus tibi in manu est. Ne longum faciam, cùm huiusmodi sermonibus veterator ille amovisset à se suspicionem fuci, fidémque fecisset, sibi viam alteram esse perspectissimam, iampridem pruriebat Balbino animus. Tandem non temperans sibi: Valeat, inquit, illa curtatio, cuius ego ne nomen quidem unquam audivi, tantum abest, ut teneam: dic mihi bonâ fide, longationem tenes exactè? Phy, inquit ille, ad unguem: sed displicet longitudo. Cùm Balbinus rogasset, quantum temporis requireretur. Nimium, inquit; totus penè annus: sed inserim tutissima est. Ne labora, inquit Balbinus,

etiamsi toto biennio sit opus, modò fidas arti tuæ. Vt rem in pauca conferam, convénit inter eos, ut negotium adgrederentur clàm in ædibus Balbini, hac lege, ut ille suppeditaret operam, Balbinus sumptum, lucrum ex æquo & bono divideretur: quãquam impostor modestus ultrò totum lucrum, quod provenisset, Balbino deferebat: utrinque iuratum est de silentio, quod faciunt, qui mysteriis initiantur. Iam ilicò numeratur pecunia, unde artifex mercaretur ollas, vitra, carbones, reliquaque, quæ ad instruendam officinam pertinent. Ibi noster alcumista suaviter in scorta, aleam & compotationes (a) decoquit eam pecuniam. PH. Hoc nimirum est (b) vertere rerum species. LA. Urgente Balbino, ut rem adgrederetur: An non tenes, inquit, illud? Dimidium facti, qui benè cœpit habet. Magnum est, benè præparare materiam. Tandem cœpit adornari fornax. Hìc rursus erat opus novo auro, velut illecebra venturi auri. Siquidem ut piscis non capitur absq; esca; ita aurum alcumistis non provenit, nisi pars auri admisceatur. Interea Balbinus totus erat in supputationibus. subducebat enim, si uncia páreret quindecim, quantum esset lucri rediturum ex unciis bis mille. tantum enim decreverat insumere. Cùm hanc quoq; pecuniam decoxisset Alcumista, iamque mensem unum atque alterum multum operæ simulasset circa folles & carbones, rogante Balbino, ecquid procederet negotium: primùm obmutuit: urgenti tandem, respondit: Sicut solent res præclaræ, quæ semper difficiles habent aditus. Causabatur

erratum

erratum in emendis carbonibus. quernos enim emerat, quum abiegnis esset opus, aut colurnis. Ibi perierant aurei centum: nec eo segnius reditum est ad aleam. Data nova pecunia, mutati carbones: Iamque maiore studio res cœpta est, quàm anteà. quemadmodum in bello milites, si quid secùs accidit, quàm vellent, virtute sarciunt. Cùm menses iam aliquot ferbuisset officina, & expectaretur fœtus aureus ac ne mica quidem auri esset in vasis (iam enim & illud omne decoxerat alcumista) inventa est alia causatio, nimirum vitra, quibus usus fuerat, non fuisse temperata sicut oportuit. Etenim ut non ex quovis ligno Mercurius fingitur, ita non quibuslibet vitreis conficitur aurum. Quò plus erat impensum, hoc minus libebat desistere. PH. Sic solent aleatores, quasi non multò satius sit hoc perdere, quàm totum. LA. Sic est: deierabat alcumista, nunquam sibi sic impositum fuisse: nunc errore deprehenso, cætera fore tutissima, & hoc dispendii magno cum fœnore sarturum sese. Mutatis vitreis tertia instaurata est officina. Admonebat Alcumista rem feliciùs successuram, si virgini matri, quæ, ut scis Paraliis colitur, mitteret aliquot aureos dono. artem enim esse sacram, nec absq; favore numinum rem prosperè geri. Id consilium vehementer placuit Balbino homini pio, ut qui nullum prætermitteret diem, quin perageret rem divinam. Suscepit religiosam profectionem alcumista, nimirum in proximum oppidulum atque illic votivam pecuniam decoxit in ganeis. Reversus domū, nunciat sibi summam esse spem,

negotium ex animi sententia successurum, adeò Divam virginem votis suis visam annuere. Vbi multo iam tempore sudatum esset, ac ne mica quidem auri nascereturr usquam, expostulanti Balbino, respondit, sibi nihil unquam tale accidisse in vita, toties artem experto, nec satis posse conjectare quid esset in causa. Cùm diu divinatum esset, tandem illud venit in mentem Balbino: num quo die prætermisisset audire sacrum, aut dicere preces horarias, quas vocant: nam nihil succedere, his omissis. Ibi impostor: Rem, inquit, acu tetigisti. Me miserum semel atq; iterum id admissum est per oblivionem, & nuper a prolixo convivio surgens, oblitus sum dicere salutationem virginis. Tum Balbinus: Non mirum, inquit, si res tanta non succedit. Recipit artifex se pro prætermissis sacris duobus, duodecim auditurum, & pro unica salutatione decem repositurum. Cum alcumistam prodigum subinde defecisset pecunia, nec suppeterent petendi causæ, tandem hanc technam commentus est: rediit domum admodùm exanimatus, ac voce lamentabili: Perii, inquit, funditùs Balbine, perii, actum est de capite meo: Obstupuit Balbinus, & tanti mali causam avebat cognoscere. Sabodorati sunt, inquit, aulici quod egimus: nec aliud expecto, quàm ut mox deducar in carcerem. Ad hanc vocem expalluit etiam seriò Balbinus. Nam scis apud (c) nos capitale esse, si quis alcumisticam exerceat absq; principis permissu. Pergit ille: Non, inquit, metuo mortem: utinam illa contingat, metuo quiddam crudelius. Roganti quid hoc esset: Rapiar, inquit,

inquit, aliquò in turrim: illic per omnem vitam cogar his laborare, quibus non libet. An ulla mors est, quæ non potior esse debeat, quàm talis vita? Ibi res ventilata est consultatione. Balbinus, quoniam callebat artem Rhetoricam, pulsavit omnes status, si quà periculum vitari posset. Non potes inquit, inficiari crimen? Nequaquam, ait ille. Inter regios satellites res sparsa est, & habent argumenta, quæ dilui non possint. Ne defendi quidem factum poterat, ob legem manifestam. Cùm multis in medium adductis, nihil videretur firmi præsidii: tandem alcumista, cui iam opus erat præsente pecuniâ: Nos, inquit, Balbine, lentis consiliis agimus, atqui res poscit præsens remedium. Iam arbitror adfuturos qui me abripiant in malam rem. Demiq; cùm nihil occurreret Balbino, tandem alcumista: Nec mihi quicquam occurrit, inquit, nec quicquam superesse video, nisi ut fortiter peream: nisi fortè hoc placet, quod unum superest, utile magis quàm honestum, nisi quod durum est telum necessitas. Scis, inquit, hoc hominum genus avidum esse pecuniæ, eoq; facilius corrumpi posse, ut fileant. Quamvis durum sit illis furciferis dare, quod profundant: tamen, ut nunc res sunt, nihil video melius. Idem visum est Balbino, ac numeravit aureos triginta, quibus redimeret silentium. PH. Miram Balbini liberalitatem mihi prædicas. LA. Imò in re honesta citiùs dentem extudisses ab eo, quàm nummum. Sic prospectum est alcumistæ, cui nihil erat periculi, nisi quòd non haberet, quod daret amicæ. PH. Demi-

ror Balbino in tantum nihil esse nasi. LA. Hic duntaxat naso caret, in cæteris nasutissimus. Rursum nova pecunia instruitur fornax, sed præmissa ad virginem matrem precatiuncula, ut cœptis faveret. Iam totus exierat annus, dum illo nunc hoc, nunc illud causante, luditur opera, & perit impensa. Interim extitit casus quidam ridiculus. PH. Quisnam? LA. Alcumista furtivam consuetudinem habebat cum uxore cuiusdam aulici: maritus, conceptâ suspicione, cœpit hominem observare. Tandem cum illi nunciatum esset, sacrificum esse in cubiculo, præter expectationem rediit domum, pulsat ostium. PH. Quid facturus homini? LA. Quid? nihil suave: aut occisurus erat, aut exacturus. Vbi maritus instans minitaretur se vi effracturum ostium, ni aperiret uxor, magnoperè trepidatum est, & circumspicitur præsentaneum aliquod consilium. Nec erat aliud, quàm quod ipsa dabat res. Abiecit tunicam ac per fenestram angustam deiecit sese non absq; periculo, nec sine vulnere ac fugit. Scis tales fabulas ilicò spargi. Itaq; permanavit & ad Balbinum. Neq; id fore non divinârat artifex. PH. Hic itaq; medius tenetur. LA. Imò feliciùs elapsus est hinc, quàm è cubiculo. Audi technam hominis. Nihil expostulabat Balbinus, sed nubilo vultu satis indicabat, se non ignorare, quod vulgò ferebatur. Noverat ille Balbinum esse virum pium, in nonnullis penè dixerim superstitiosum. Et qui tales sunt, in quamvis magno peccato, facilè condonant supplici. Itaque datâ operâ iniicit mentionem de successu negotii, queritans

queritans non perinde succedere, ut solet, aut vellet addebat, se vehementer mirari, quid esset in causa. Ibi per occasionem commotus Balbinus, qui alioqui videbatur destinasse silentium, & erat, qui facile commoveretur: Non est, inquit, obscurum, quid obstet: peccata obstant, quò minus succedat, quod à puris purè tractari convenit. Ad hanc vocem artifex procubuit in genua, subinde tundens pectus, & vultu voceq; lachrimabili: Verissimum, inquit, dixisti Balbine: peccata, inquam, obstant, sed mea peccata, non tua. non enim pudebit me turpitudinem meam apud te, velut apud sacerdotem sanctissimum, confiteri. Vicerat me carnis infirmitas: pertraxerat me Satanas in laqueos suos. Et ô me miserum, è sacrifico factus sum adulter! Non tamen omninò periit hoc munus, quod misimus virgini matri. Perieram certo exitio, ni illa succurrisset. Iam maritus effringebat fores, fenestra erat arctior, quàm ut possem elabi: in tam præsentaneo periculo venit in mentem sanctissimæ Virginis, procidi in genua, obtestatus sum, si gratum fuisset munus, ut opitularetur. Nec mora, repeto fenestram (sic enim urgebat necessitas) & satis amplam reperi ad effugium. PH. Credidit ista Balbinus? LA. Credidit? Immò etiam ignovit, & admonuit religiosè, ne se præberet ingratum beatissimæ Virgini. Numerata est rursus pecunia danti fidem, se post hac rem sacram purè tractaturum. PH. Quis tandem finis? LA. Perlonga est fabula: sed ego paucis absolvam. Cùm eiusmodi commentis diu lusisset hominem, neq;

mediocrem pecuniarum vim ab eo extorsisset, tandem venit illò, qui nebulonem à puero noverat. Is facilè divinans illum idem agere apud Balbinum, quod nusquam non egerat, clàm aggreditur illum: exponit qualẽ artificem domi suæ foveret: monet ut quamprimùm ableget hominem, ni mallet ipsum aliquandò compilatis scriniis fugere. PH. *Quid hic Balbinus? videlicet curavit hominem conuiciendum in carcerem.* LA. *In carcerem? Imò numeravit viaticum, obtestans per omnia sacra, ne quod accidisset effutiret. Et sapuit meâ quidem sententiâ, qui hoc maluerit, quam esse fabula cõviviorum & fori, deinde venire in periculum confiscationis. Nam impostori nihil erat periculi: artis tantum tenebat, quantum Asinus quivis, & in hoc genere favorabilis est impostura. Quòd si furti crimen intentasset, à suspendio tutum reddebat unctio, neq; quisquam lubens gratis alat talem in carcere.* PH. *Misereſceret me Balbini, nisi ipse gauderet deludi.* LA. *Nunc mihi properandum est in aulam: alias referam his etiam multò stultiora.* PHI. *Cùm vacabit & audiam lubens, & fabulam, fabulâ pensabo.*

(*) *Lalus* loquax. *Philecous* avidus audiendi. (*a*) *Decoquere*, est nequiter profundere. Qui profundit, in id vertit, quo fruitur. Inde decoctores. (*b*) *Vertere rerum species.* Nam id profitentur alcumistæ. (*c*) Plin. 30. cap. 1. refert Britannos mirè insaniſſe in magiam usq; ad ipsius ætatem. Sunt adhue qui in alcumistica parum sobrii sunt, quanquam lex capitalis opposita est.

(*) HIPPO-

(*) HIPPOPLANVS.

AVLVS, PHÆDRVS. Colloq. Helv. p. 243.

AV. *Deum immortalem* (a) ὡς σαυνοπροσωπεῖ *noster Phædrus, & subinde in cœlum suspicit! Adoriar. Quid accidit noverei Phædre?* PHÆD. *Quamobrem istuc interrogas Aule?* AVL. *Quoniam è Phædro mihi videris factus Cato, tanta est in vultu severitas.* PH. *Non mirum, amice, modò confessus sum peccata mea.* AV. *Phy, iam desino mirari: sed dic agè bonâ fide, confessus es omnia?* PH. *Omnia, quæ quidem in mentem veniebant, unico duntaxat excepto.* AV. *Cur unũ hoc reticuisti?* Ph. *Quia nondum potuit mihi displicere.* AVL. *Oportet esse peccatum suave.* PH. *An peccatum sit, nescio: sed tamen, si vacat, audies.* AV. *Audiam equidem lubens.* PH. *Scis quanta sit impostura apud nostros in his, qui vendunt aut locant equos?* AV. *Plus scio quàm vellem, non semel ab illis delusus.* PH. *Nuper incidit mihi iter, cùm satis prolixum tùm etiam accelerandum: Adeo quendam ex illis, quem dixisses eius generis minimè malum, & intercedebat mihi cum homine etiam nonnihil amicitiæ. Narro; mihi rem esse seriam: opus esse præstrenuo equo: si unquam præbuisset se mihi bonum virum, nunc præstaret. Ille pollicetur sese sic mecum acturum, ut ageret cum fratre suo charissimo.* AV. *Fortasis & fratri impositurus.* PH. *Inducit in stabulum: iubet ut eligam ex omnibus equis quemcunq; vellem. Tandem unus plus cæteris arridebat:*

ille

ille probat iudicium meum, deierans eum equum frequenter à multis expetitum esse: se eum maluisse servare amico singulari, quàm ignotis addicere. Conventum est de pretio, numeratur pecunia præsens: conscendo. Mira alacritate gestiebat equus in egressu, dixisses feroculum esse: nam erat obesulus & pulchellus. Vbi iam equitassem sesqui horam, sensi planè lassum, nec calcaribus quidem impelli posse. Audieram tales ab illis ad impostoram ali, quos è specie iudicares insignes, cæterum laboris impatientissimos. Ego continuò mecum, Captus sum, Agè par pari referam, ubi rediero domum. AV. *Quid hîc consilii capiebas, eques absq; equo?* PH. *Id quod res dabat, deflexi in proximum vicum: illic clàm apud quendam, mihi notum deposui equum, & conduxi alterum: profectus sum, quò destinaram: reversus sum: reddo conductitium equum: reperio meum* (b) *sophistam, ut erat obesum & pulchrè requietum: eo vectus, redeo ad impostorem, rogo ut in stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Percontatur quàm commodè me gesserit: ego verò deiero per omnia sacra, me nunquam in vita conscendisse tergum equi felicioris, volasse potiùs quàm ambulasse, nec tam longo itinere unquam sensisse lassitudinem, nec pilo factum ob laborem macriorem. Hæc cum illi persuasissem esse vera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse, quàm hactenus suspicatus esset.*

Itaq; prius quàm abirem, rogabat num mihi venalis esset equus, primò negabam, quod si inciderit

iter

iter denuo, non facilè fore nanciſci ſimilem: attamen nihil eſſe mihi tam charum quod non eſſet venale pretio largo, etiamſi quis meipſum, inquam, cuperet emptum. AV. Næ tu pulchrè Cretenſem agebas cum Cretenſi? PH. Quid multis? Non dimittit me, niſi pronunciatâ equi indicaturâ. Indicavi non paulo pluris quàm emeram. Digreſſus ab homine, mox ſuborno, qui mihi partem agat huius fabulæ, pulchrè inſtructum atq; edoctum. Is ingreſſus domum, inclamat locatorem: ait ſibi opus eſſe inſigni equo, & laboris egregiè patienti. Alter oſtendit multos, & peſſimum quenq; maximè prædicat: ſolum illum, quem mihi vendiderat, quoniam exiſtimabat verè talem, qualem prædicaveram non laudat. At alter ilicò rogat, num & ille venalis eſſet: nam deſcripſeram illi formam equi, & locum indicaram. Locator primùm obticeſcere atq; alios ambitiosè prædicare. Cùm iſte, cæteris utcunq; probatis ſemper ageret de uno illo, tandem locator apud ſe. Planè fefellit me iudicium de illo equo, ſiquidem hic peregrinus agnovit ſtatim hũc inter omnes. Cùm inſtaret ille: Tandem, hic venalis eſt inquit, ſed precio fortaſſis deterreberis. Non eſt, inquit ille, magnum pretium, ſi rei dignitas reſpondeat: Indica. Indicavit aliquantò pluris quàm indicaram ipſi captans & hoc lucri. Tandem convenit de pretio: datur arrha ſatis magna, nempè regalis aureus, ne qua ſuſpicio incideret ſimulatæ emptionis. Emptor iubet equo dari pabulum: ſe mox ait rediturum, & abducturum: dat etiam ſtabulario drachmam.

Ego

Ego simulatque cognovi pactionem esse firmam sic ut rescindi non posset, rursus ocreis & calcaribus armatus, redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adest ille, rogat, quid velim. Ilicò, inquam, adornetur equus meus. Nam è vestigio proficiscendum est ob rem maximè seriam. At qui modò, inquit, mandabas, ut aliquot dies alerem equum tuum. Verum, inquam: sed præter expectationem obiectum est negotium, idque regium, quod nullam patitur dilationem. Hic ille, Eliges ex omnibus quem voles, tuum habere non potes. Rogo, quamobrem? Quoniam venditus est, inquit. Ibi ego simulatâ magnâ perturbatione, Prohibeant, inquam superi, quod dicis. Hoc obiecto itinere non venderem eum equum, etiam si quis numeret quadruplum: incipio rixam, clamo me perditum. Tandem incaluit & ille. Quid opus, inquit, his iurgiis? Indicasti equum, ego vendidi, si numero precium, nihil habes quod mecum agas, sunt in hac urbe leges, ad exhibendũ equum me non potes compellere. Cùm din clamassem, aut equum exhiberet, aut emptorem: tandem iratus numerat precium. Emeram quindecim aureis: æstimaram viginti sex. Ille æstimârat triginta duobus. Cogitabat apud se: præstat hoc lucri facere, quàm equum reddere. Abeo dolenti similis, ac vix placatus etiam datâ pecuniâ. Ille rogat, ut boni consulam, se aliis in rebus pensaturum hoc incommodi. Sic impositum est impostori. Habet equum nullius pretii. Expectat, ut qui arram dedit veniat numeratum pecuniam. At nemo venit, nec unquam ventu-

rus

turus est. Av. Interim nunquam tecum expostulavit? Ph. Quâ fronte, aut quo iure id faceret? Convenit quidem semel atque iterum, conquestus est de fide emptoris. Verùm ego ultrò expostulavi cum homine, dicens illum eo malo dignum, qui præproperâ venditione tali equo me spoliârit: Hoc est crimen tam benè collocatum, meâ sententiâ, ut non possim inducere animum confiteri. Avl. Ego mihi (c) statuam poscerem, si quid tale designassem: tantum abest, ut confessurus sim. Ph. An ex animo loquaris, nescio: mihi tamen addis animum, quò magis libeat talibus facere fucum.

(*) Hippoplanus qui imponit invendendis equis. (a) Id est, severitatem vultu præ se fert. (b) Meum sophistam, id est, fucatum equum. (c) Honoris gratiâ statuæ ponebantur bene meritis de Republica.

ΠΤΩΧΟΛΟΓΙΑ.

(*) Irides, Misoponvs.

Iri. Quam ego huc novam avem video advolare? Agnosco faciem, sed vestis non convenit. Aut ego prorsus hallucinor, aut hic est Misoponus. Audẽdum est: compellabo hominem, quamlibet pannosus. Salve Misopone. Mi. Iridem video. Ir. Salve Misopone. Mi. Tace inquam. Ir. Quid, an salvere non vis? Mi. Non isto quidem nomine. Ir. Quid accidit? an non es idem, qui fueras? An cum veste mutatur & nomen? Mis. Non, sed vetus receptum est. Ir. Quis tum eras? Mi. Apicius. Ir. Ne te pudeat veteris sodalis, si quid melioris obtigit

fortunæ: non diu est, quòd eras ordinis nostri. MIS. *Concede huc sodes, & audies rem omnem. Non pudet ordinis vestri, sed pudet primi ordinis.* IR. *Quem ordinem narras Franciscanorum?* MIS. *Nequaquam, ô bone, sed decoctorum.* IR. *Næ tu istius ordinis sodales habes quàm plurimos.* MI. *Eram re lautâ: prodegi strenuè: ubi res defecit, nullus agnoscebat Apicium. Profugi pudore, verti me ad vestrum collegium: hoc malui, quàm fodere.* IR. *Sapuisti. Sed unde subitò novus nitor corporis? Nam de veste mutatâ non perinde miror.* MI. *Quamobrem?* IR. *Quia dea (a) Lavernam multos subitò ditat.* MI. *An suspicaris me furto parasse rem?* IR. *Hoc fortassis ignavius. Rapina igitur?* MI. *Non per vestram (b) Peniam, neque furtò, neque rapina. Sed de nitore corporis prius expediam, quod tibi videtur mirabilius.* IR. *Nam apud nos eras totus ulcerosus.* MI. *Nimirum sum usus amicissimo medico.* IR. *Quónam?* MI. *Non alio quàm me ipso, nisi si quem arbitraris mihi meipso amiciorem.* IR. *Atqui nesciebam te callere rem medicam antehac.* MI. *Totum illum ornatum ipse pigmentis adfinxeram thure, sulphure, resinâ, visco, linteis, cruore. Ubi visum est quod adfinxeram, detraxi.* IR. *O impostorem! nihil te videbatur miserabilius. Poteras in tragœdia sustinere personam Iob.* MIS. *Sic tum ferebat egestas, quanquam fortuna nonnunquam & cutem mutare solet.* IR. *Dic igitur de fortuna. Repertus est thesaurus aliquis?* MI. *Non: sed repertus est quæstus vestro paulo commodior.* IRID.

Qui

Quî potuisti facere quæstum, quum non suppeteret sors? Mi. Artem quævis terra alit. Ir. Intelligo, dicis artem incidendi loculos? Mis. Bona verba. Dico artem alcumisticam. Ir. Vix quindecim dies sunt, quòd nos reliquisti, & artem adsecutus es, quam alii vix multis annis perdiscunt? Mi. Nactus sum viam compendiariam. Ir. Quam obsecro? Mis. Ars vestra conflaverat mihi quatuor fermè aureos: bonâ quadem fortunâ incidi in veterem congerronem, qui nihilò feliciùs rem administrarat, quam ego; Compotabamus: cœpit, ut fit, narrare suas fortunas: paciscor hac lege, ut ille haberet immunis, mihi communicaret artem. Communicavit bonâ fide: ea nunc vectigal est mihi. Ir. Non licet discere? Mi. Tibi vel gratis impartiam ob pristinum sodalitium. Scis nusquam non inveniri plurimos huius artis avidissimos. Ir. Audivi, & credo. Mis. In horum familiaritatem quacunque occasione memet insinuo: iacto artem. Vbi sensero (c) larum hiantem, (d) escam paro. Ir. Quo pacto? Mi. Vltrò eos moneo, ne temerè credant eius artis professoribus. Nam plerosque esse impostores, id agentes præstigiis suis, ut exhauriant loculos incautorum. Ir. Istuc proœmii parum accommodum tuo negotio. Mis. Imò illud etiam addo, ne quid mihi ipsi credant, ni rem certam oculis ac manibus deprehenderint. Ir. Miram artis fiduciam mihi narras. Mi. Jubeo illos adesse, dum peragitur metamorphosis: iubeo attentos esse; quòq; minùs dubitent, iubeo, ut ipsi manibus rem omnem peragant, me

procul spectante, nec digitum admovente: liquefactam materiam, iubeo ut purgent ipsi, aut aurifici purgandam deferant: prædico quantum argenti, aurive sit eliquandum, denique quod eliquatum est, iubeo, ut pluribus aurificibus deferant ad (e)lydium lapidem explorandum. Reperiunt pondus prædictum, reperiunt purgatissimum aurum aut argentum. Nihil enim refert, nisi quod minore periculo mihi quidem res tentatur in argento. IR. *Proinde nihil habet ars tua fuci.* MI. *Imò merus fucus est.* IR. *Nondum video præstigium.* MI. *Fax ut videas. Primùm paciscor de mercede: eam nolo mihi numerari, nisi priùs edito artis experimento. Trado illis pulvisculum, qui si huius vi conficiatur totum negotium. Rationem conficiendi pulveris non communico: nisi magna mercede redemerint. Exigo iusiurandum, ne proferant arcanum artis intra sex menses cuiquam mortalium aut immortalium.* IR. *Nondum audio fucum.* MI. *Fucus omnis est in uno carbone in hoc parato. Excavo carbonem: in hoc infero liquefactum argentum quantum prædico reddendum, post infusum pulverem, sic instruo vas, ut non solùm infernè, & à lateribus cingatur prunis, verumetiam supernè: persuadeo hoc esse artis. Inter carbones, qui supernè imponuntur, unum admisceo, qui tegit argentum aut aurum, Id vi caloris liquefactum, defluit in reliquam materiam, quæ liquescit, puta stannum, aut æs. repurgatione facta, invenitur quod admixtum est.* IR. *Ars expedita: sed quomodo fallis, si alter rem agat suis manibus?*

MISO-

MISO. *Cùm is, me præscribente, perfecit omnia, prius quàm moveatur vas alcumisticum, accedo tandem & circumspicio, ne quid fortè sit omissum. Aio mihi videri supernè deesse unum atque alterum carbonem: clàm appono meum, fingo me eum tollere ex acervo reliquorum, at illic antè sic positum, ut nihil possit agnosci, & illum fallere. Tollo.* IR. *Cæterùm cùm illis absque te periculum facientibus non succedit, quid adfers?* MI. *Mihi nihil est periculi, iam numerata pecunia. aliquid comminiscor, aut ollam fuisse insynceram, aut carbones vicioſos, aut ignem parum scitè temperatum. Denique pars est artis, quàm profiteor, non diu hærere in eodem loco.* IR. *An tantus est proventus istius artis, ut te possit alere?* MIS. *Et quidem splendidè. Posthac tu quoque, si sapis, relinques istam miseriam, & nostro accedes ordini.* IR. *Imò citiùs illud agam, ut te revocem in nostrum ordinem.* MI. *Volens repetam, quod semel effugi, ac deseram bonum, quod inveni?* IR. *Habet hoc nostra professio, dulcescit adsuetudine. Proinde quum multi sint, qui deficiant ab instituto Divi Francisci aut Benedicti; quem unquã vidisti, qui diutiùs versatus in ordine nostro defecerit? Nam tam paucis mensibus vix gustare potueras, quid esset mendicitas.* MI. *Is gustus me docuit, esse rem omnium miserrimam.* IR. *Cur igitur nemo deficit?* MI. *Fortasse quia naturâ miseri sunt.* IR. *Ego hanc miseriam ne cum regum quidem fortuna commutarim. Nihil enim regno similius, quàm mendicitas.* MIS. *Quid ego audio? nihil*

nivi similius quàm carbo. IR. *Dic mihi, quâre potissimùm beati sunt reges?* MI. *Quia faciunt quod animo collubitum est.* IR. *Ista libertas, quâ nihil suavius, nemini regum magis adest, quàm nobis. Nec dubito, quin multi reges sint, qui nobis invideant: Sive bellum est sive pax, nos tutò vivimus: non describimur ad militiam, non vocamur ad munia publica, non (ſ) censemur, cum populus expilatur exactionibus, nullus inquirit in vitam nostram: si quid admissum est etiam atrocius, quis dignetur in ius vocare mendicum? Etiamsi pulsamus hominem, pudet pugnare cum mendico. Regibus nec in pace, nec in bello licet suaviter agere: & quò maiores sunt, hoc plures metuunt. Nos, veluti Deo sacros, etiam religione quadam metuit vulgus offendere.* MI. *Sed interim sordescitis in pannis & casulis.* IR. *Quid ista faciunt ad veram fecilitatem? Extra hominem sunt, quæ narras. His pannis debemus nostram felicitatem.* MI. *At vereor ne vobis brevi peritura sit felicitatis istius bona pars.* IR. *Qui sic?* MI. *Quia tam hoc mussant civitates, ne mendicis liberum sit quolibet evagari: sed unaquæq; civitas suos alat mendicos, & in his qui valent, adigantur ad labores.* IR. *Cur hoc moliuntur?* MI. *Quia comperiunt ingentia facinora sub mẽdicitatis prætextu perpetrari, deinde, non minimam perniciem ex vestro ordine nasci.* IR. *Istiusmodi fabulas frequenter audivi. Id fiet ad Calendas Græcas.* MIS. *Fortasse citiùs quàm velles.*

(*) *Irideſ*

(*) *Irides* velut Iri filius, quem mendicum inducit Vlyssēs *Misoponus* osor laborum. (a) *Lacerna* dea furum. (b) *Penia* paupertas, dea apud Aristophanem. (c) *Larus hians*, vide proverbium. (d) *Esca* *videlicet* quâ capiuntur pisces & aves. (e) *Lydius Lapis* coticula quâ explorant aurum. (f) Vnde & census dicitur; cum numeratis singulis ac facultatibus æstimatis, indicitur exactio.

CONVIVIVM FABVLOSVM.

Colloq. Helv. p. 423.

(*) POLYMYTHVS, GELASINVS, EVTRAPELVS, ASTÆVS, PHILYTHIVS, PHILOGELOS, EVGLOTTVS, LEROCHARES, ADOLESCHES.

PO. *Vt non decet civitatem benè institutam esse sine legibus ac Principe, ita nec convivium oportet ἄναρχον esse καὶ ἄνομον.* GE. *Istuc verò perplacet: ut unus totius populi nomine respondeam.* PO. *Heus puer adfer huc talos: horum suffragiis decernetur regnum, cuicunque faverit Iupiter. Euge, Eutrapelo favit Iupiter. Non fuêre sortes cæcæ. Non poterat magis idoneus eligi, etiamsi per singulas tribus viritim collecta fuissent puncta. Vulgò iactatur proverbium non tam vanum, quàm parùm Latinum: Novus Rex, nova lex.* (a) Νομοθέτει γὰρ ὁ βασιλεύς. EV. *Quod felix faustumq; sit huic convivio. Primùm edico, ne quis hìc proferto præter ridiculas fabulas. cui deerit fabula, drachma mulctator, ea pecunia in vinum insumitor. atque in legitimis fabulis etiam ex tempore confictis, habentor, modò servetur* (b) τὸ πιθανὸν καὶ τὸ (c) πρέπον. *Si nulli defuerit fabula, duo, quorum alter lepidissimam, alter frigi-*

dissimam fabulam dixerit, vini pretium pendunto. convivator à vini sumptu immunis esto, ciborum sumptum unus suppeditato. huius rei si quid inciderit controversiæ, Gelasinus arbiter ac iudex esto. Hæc si vos sciveritis, rata sunto, qui legi parére noluerit abito, sic tamen, postridie ut ad compotationem redire ius fasq; sit. Ge. Legem à Rege latam, nostris suffragiis ratam esse volumus. Sed unde proficiscetur fabularum circulus. Ev. Vnde, nisi à convivatore? As. Licétne, Rex, dicere (d) tria verba? Ev. An tu credis nefastum esse convivium? Ast. Iureconsulti negant legem esse quæ non sit æqua. Ev. Assentior. As. At tua lex æquat optimam fabulam pessimæ. Ev. Vbi voluptas quæritur, ibi non minus laudis promeretur, qui pessimè dixit, quàm qui optimè, eò quòd non minus delectet. Velut inter cantores nemo voluptati est, nisi qui aut insigniter benè cecinerit, aut egregiè malè. Nónne plures rident audito coccyge, quam auditâ luscinià? Hîc mediocritas laudem non habet. As. At cur plectuntur, qui laudem auferunt? Ev. Ne nimia felicitas provocet illis Nemesin aliquam, si simul & laudem auferrent & immunitatem. As. Per Bromium Minos ipse nunquam tulit legem æquiorem. Phily. Nullam feres legem de modo bibendi? Ev. Dispectâ re sequar exemplum Agesilai Lacedæmoniorum regis. Phily. Quid is fecit? Ev. Is cum tempore quodam (e) Symposiarchus talorum arbitrio delectus esset, rogante (f) architriclino, quantum cuiq; vini iuberet apponi: Si largior, inquit,

vini

vini copia parata est, dato cuiq; quantum poposcerit. si malignior, omnibus ex æquo distribuito. PHILY. Quid sibi voluit Laco ille, cùm hæc diceret? EV. Hoc agebat, ut neq; temulentum, neq; rursum querulum esset convivium. PHILY. Qui sic? EV. Quia sunt, qui gaudent largiùs bibere, sunt qui gaudent parcius, reperiuntur & abstemii, qualis dicitur fuisse Romulus. Itaq; si nulli datur vinum, nisi poscenti, primùm nemo compellitur ad biberdum, & tamen nihil desiderant, quibus grata est largior potatio. Ita fit, ut nemo tristis sit in convivio. Rursus si parcior copia vini distribuitur æquis portionibus in singulos satis habent qui bibunt moderatiùs, neq; quisquam in æqualitate potest obmurmurare, quando qui largiùs erat hausturus, æquo animo componit sese ad temperantiam. Hoc exemplo si placet, utar. Volumus enim hoc convivium fabulosum esse, non vinosum. PHILY Quid igitur bibebat Romulus? EV. Idem quod bibunt (g) canes. PHILY. An non istud indignum rege? EV. Nihilo magis, quàm quod reges spirant aere cum canibus communi: nisi quòd illud interest, rex non bibit eandem aquam, quam biberat canis: sed aerem, quem efflabat rex, haurit canis: vicissim, quem efflavit canis, haurit rex. Plus gloriæ tulisset Alexander ille magnus, si cum canibus bibisset. Nihil enim peius regi, qui tot hominum millibus vigilat, quàm vinolentia. Cæterùm Romulum abstemium fuisse, declarat apophthegma non infestiviter ab illo dictum. Etenim cùm quidam videns illum abstinere à vino, dixisset: Vinum vile futurum,

turum, si omnes biberent quemadmodum ille: Imo inquit, tum arbitror fore carissimum, si biberent omnes vinum, quemadmodum ego. Bibo enim quantum libet. (GEL. Viinam hic adesset noster Ioannes Botzemus, canonicus Constantiensis, qui nobis Romulum quendam referret: nam & is abstemius non minus est, quàm dicitur alioqui comis ac festivus conviva.) PO. Agè si simul potestis non dicam sorbere & flare, quod Plautus ait esse difficile, sed edere & audire, quod est perfacile, bonis avibus auspicabor fabulandi munus. Si parùm erit lepida fabula, scitote Batavam esse. Opinor aliquot vestrum auditum Macci nomen. GEL. Non ita diu est, quòd periit. PO. Is cum venisset in civitatem quæ dicitur Leidis, ac vellet novus hospes innotescere loco quopiam (nam is erat homini mos) ingressus est officinã calcearii, salutat. Ille cupiens extrudere merces suas rogat nunquid vellet. Macco coniiciente oculos in ocreas ibi pensiles, rogat sutor, num vellet ocreas. Annuente Macco quærit aptas tibiis illius: inventas alacriter protulit, &, ut solent, inducit illi. Vbi iam Maccus esset elegãter ocreatus: Quàm bellè, inquit, cõgrueret his ocreis par calceorum duplicatis soleis. Rogatus, an & calceos vellet, annuit. Reperti sũt & additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacitè gaudẽs succinebat illi laudanti, sperans precium æquius, posteaquàm emptori tantopere placeret merx. Et iam erat nonnulla contracta familiaritas. Hic Maccus. Dic mihi, inquit, bonâ fide, nunquam ne usu venit tibi, ut quem sic

ocreis

ocreis & calceis ad cursum armasses, quemadmodum nunc armasti me abierit non numerato pretio. Nunquam, ait ille, Atqui si fortè, inquit, veniat usu, quid tu tum faceres? Consequerer, inquit calcearius fugientem. Tum Maccus: Serióne ista dicis an ioco? Planè seriò, inquit alter, loquor, & seriò facerem. Experiar ait Maccus. En pro calceis præcurro, tu cursu sequere. Simul hæc cum dicto coniecit se in pedes. Calcearius è vestigio consequutus est, quantùm poterat, clamitans: Tenete furem, tenete furem. Ad hanc vocem cum cives undiq; prosiluissent ex adibus, hoc commẽto cohibuit illos Maccus, ne quis manum iniiceret, ridens, ac vultu placido: Ne quis, inquit, remoretur cursum nostrum, certatum est de cupa cereviſiæ. Itaq; iam omnes præbere se certaminis spectatores. Suspicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere, ut hac occasione anteverteret. Tandem calcearius cursu victus, sudans & anhelus domum rediit, Maccus tulit brabeum. Ge. Maccus iste effugit quidem calcearium, at nõn effugit furem. Po. Quamobrem? Ge. Quia furem ferebat secum. Po. Fortè tum non erat ad manum pecunia, quam postea resolvit. Ge. Verùm erat actio furti? Po. Ea quidem pòst intẽtata est sed iam magistratibus aliquot innotuerat Maccus. Ge. Quid attulit Maccus? Po. Quid attulit, rogas, in causa tam vincibili? Magis periclitatus est actor, quam reus. Ge. Qui sic? Po. Quia gravabat illum actione calumniæ, & intendebat legem (h) Rhemiam, quæ dictat, ut qui crimen intenderit, quod

quod probare non possit, pœnam ferat, quam laturus erat reus, si convictus fuisset. Negabat se contrectasse rem alienam invito domino, sed ultrò deferente, nec ullam pretii mentionem intercessisse. Se provocasse calcearium ad certamen cursus, illum accepisse conditionem, nec habere quod queratur, quum esset cursu superatus. GÆ. Hæc actio non multum abest ab (i) umbra asini. Quid tandem? PO. Vbi satis risum est, quidam è iudicibus vocavit Maccum ad cœnam, & numeravit calceario pretium. Simile quiddam accidit Daventriæ, me puero. Erat tempus illud, quo regnant piscatores, frigent (k) lanii. Quidam adstabat ad fenestram (l) fructuariæ, sive Græcè mavultis, oporapolidis, fœminæ vehementer obesæ, oculis intentis in ea, quæ proposita venum erant. Illa ex more invitavit si quid vellet: & cùm videret hominem intentum ficis, Vis, ait, ficos? sunt perquàm elegantes. Cùm ille annuisset: rogat, quot libras vellet. Vis, inquit, quinq; libras? Annuenti, tantum ficorum effudit in gremium. Dum illa reponit lances, ille se subducit, non cursu sed placidè. Vbi prodisset acceptura pecuniam, vidit emptorem abire: insequitur maiore voce, quàm cursu. Ille dissimulans, pergit quò cœpit ire: tandem multis ad fœminæ vocem concurrentibus, restitit. Ibi in populi corona agitur causa, risus oboritur: emptor negabat se emisse, sed quod ultrò delatum fuisset, accepisse: si vellet experiri apud iudices, se compariturum. GE. Agè narrabo fabulam tuæ non admodum dissimilem, fortasse nec inferiorem, nisi quòd hæc non habet

autorem

autorem perinde celebrem, atq; est Maccus. Pythagoras totum mercatum dividebat in tria hominum genera: quorum alii prodissent, ut venderent: alii ut emerent: hoc utrunq; genus aiebat solicitum esse, proinde nec felix: alios non ob aliud venire in forum, quàm ut spectent quid illic proferatur, aut quid agatur: hos solos esse felices, quòd vacui curis gratuitâ voluptate fruentur. Atq; ad hunc modum dicebat philosophum versari in hoc mundo, quemadmodum illi versarentur in mercatu. Verùm in nostris emporiis quartum hominum genus obambulare solet, qui nec emunt, nec vendunt, nec otiosi contemplantur: sed observant solicitè si quid possint involare. Atq; in hoc genere reperiuntur quidam mirè dextri: dicas esse Mercurio favente natos. Convivator dedit fabulam cum coronide: ego dabo cum proœmio. Nunc accipite, quod nuper accidit Antverpiæ. Sacrificus quidam receperat illic mediocrem summam pecuniæ, sed argenteæ: id impostor quidam animadverterat: adiit sacrificum, qui gestabat in zonâ crumenam nummis turgidam, salutat civiliter: narrat sibi datum negotium à suis, ut vici sui parocho mercaretur novum pallium sacrum, quæ summa vestis est sacerdoti rem divinam peragenti: rogat, hac in re commodaret sibi tantillum operæ, ut secum iret ad eos, qui vendunt huiusmodi pallia, quò videlicet ex modo corporis ipsius sumeret maius aut minus, nam sibi videri staturam ipsius cum parochi magnitudine vehementer congruere. Hoc officium, cum leve videretur, facilè

pollicitus

pollicitus est sacrificus. Adeunt ædes cuiusdam: prolatum est pallium: sacrificus induit: venditor affirmat mirè congruere. Impostor cùm nunc à fronte, nunc à tergo contemplatus esset sacrificum, satis probavit pallium: sed causatus est, à fronte brevius, quàm par esset. Ibi venditor ne non procederet contractus, negat id esse pallii vitium: sed crumenam turgidam efficere, ut ea parte offenderet brevitas. Quid multa? sacrificus deponit crumenam: denuò contemplantur. Ibi impostor, aversò sacrifico, crumenam arripuit, ac semet in pedes conjicit. Sacerdos cursu insequitur, ut erat palliatus, & sacrificum venditor. Sacrificus clamat, Tenete furem, venditor clamat, Tenete sacrificum: impostor clamat, Cohibete sacrificum furentem: & creditum est, cùm viderent illum sic ornatum in publico currere. Itaq; dum alter alteri in mora est impostor effugit. Ev. Dignus qui non simplici suspendio pereat, tantus artifex. Ge. Nisi iampendet. Ev. Vtinam non solus, sed unà cum illo, qui tot talibus portentis favent in perniciem Reipublicæ. Ge. Non favent gratis (m) Catæna est, quæ demissa in terras pertingit ad Iovem. Ev. Ad fabulas redeundum As. Ante redit ordo, si fas est regem in ordinem cogere. Ev. Non cogar. Imò volens veniam in ordinem: alioqui tyrannus essem, non Rex: si leges, quas alii præscribo, recusem. As. Veruntamen aiunt, Principem esse supra leges. Ev. Istuc non omninò falsò dictum est, si principem accipias, summum illum principem, quem tunc vocabant (o) Cæsarem. (Deindè

inde si sic accipias superiorem legibus, quod alii coacti, utcunq; servant, illum suapte sponte multò cumulatius præstare. Quod enim animus est corpori, hoc est bonus princeps reipublicæ. Quid erat opus addere Bonus, quando malus princeps non est princeps: quemadmodum spiritus impurus, qui invasit corpus hominis, non est animus. Sed ad fabulam: & arbitror convenire, ut rex regiam fabulam adferam. Ludovicus Galliarum rex, eius nominis undecimus, cùm rebus domi turbatis peregrinaretur apud Burgundiones, occasione venationis, nactus est familiaritatem cum Cononе quodam homine rustico, sed animi simplicis ac sinceri. Nam hoc genus hominibus delectantur monarchæ. Ad huius ædes frequenter diverterat rex ex venatu, & ut plebeiis rebus nonnunquam delectantur magni principes, apud eum magnâ cum voluptate vescebatur rapis. Mox ubi Ludovicus restitutus, iam rerum potiretur apud Gallos, admonuit Cononem uxor, ut regem veteris hospitii commonefaceret: adiret illum, & rapas aliquot insignes illi dono adferret. Tergiversatus est Conon, se lusurum operam. principes enim non meminisse talium officiorum. Sed vicit uxor: delegit Conon rapas aliquot insignes, accingitur itineri. Verùm ipse per viam captus illecebrâ cibi, paulatim devoravit omnes, unâ duntaxat exceptâ insigniter magnâ. Vbi Conon prorepsisset in aulam, quâ rex erat iturus, statim agnitus est à rege, & accersitus. Ille magnâ cum alacritate detulit munus: rex maiore cum alacritate accepit,

mandans

mandans cuidam ex proximis, ut diligenter reponeretur inter ea, quæ haberet cariſſima. Cononem iubet ſecum prandere: à prandio egit Cononi gratias, & cupienti repetere rus ſuum iuſſit pro rapa numerari mille coronatos aureos. Huius rei fama cùm, ut fit, per omne regis famulitium eſſet pervagata, quidam ex aulicis dono dedit regi equum non inelegantem. Rex intelligens illum provocatum benignitate, quam præſtiterat Cononi, captare prædam, vultu maiorem in modum alacri accepit munus, & convocatis primoribus conſultare cœpit, quo munere penſaret equum tam bellum, támque pretioſum. Interim qui donarat equum, ſpes opimas animo concipiebat, ſic cogitans: Si ſic penſavit rapam donatam à ruſtico, quantò munificentiùs penſaturus eſt equum talem oblatum ab aulico? Cùm regi veluti de re magna conſultanti, alius aliud reſponderet, diúq; vanâ ſpe lætatus eſſet captator, tandem Rex: Venit, inquit, in mentem quid illi donem: & accerſito ex proceribus quopiam, dicit in aurem, ut adferat id quod reperiret in cubiculo (ſimúlque locum deſignat) ſerico diligenter obvolutum. Adfertur rapa, eam, ut erat obvoluta, Rex ſuâ manu donat aulico, addens, ſibi videri benè penſatum equum (p) cimelio, quòd ſibi conſtitiſſet mille coronatis. Digreſſus aulicus, dum tollit linteum, pro theſauro reperit, non carbones, quod aiunt, ſed rapam iam ſubaridam. Ita captator ille captus, riſui fuit omnibus. As. Iam, ſi permittis rex, ut plebeius loquar regalia, referam quod ex tua fabula venit

in

in mentem de eodem Ludovico. Nam, ut ansa ansam, ita fabula trahit fabulam. Quidam famulus, cùm vidisset pediculum repentem in veste regia, flexis genibus, ac sublatâ manu significat se, nescio quid officii, præstare velle, Ludovico præbente se sustulit pediculum & clam abiecit Rogante rege quid esset, puduit fateri. Cum instaret rex, fassus est fuisse pediculum. Lætum, inquit, omen est: declarat enim me esse hominem, quòd hoc genus vermiculorum peculiariter infestet hominem: præsertim in adolescentia, iussitq, pro officio numerari coronatos quadraginta. Post dies aliquàm multos alter quidam, qui viderat illi feliciter cessisse tam humile officium, nec animadvertens, plurimum interesse, ex animo facias quid, an arte simili gestu adgressus est regem: ac rursus illo se præbente, simulabat se tollere quiddam è veste regia, quod mox abiceret. Cùm urgeret rex tergiversantem, ut diceret quid esset, mirè simulato pudore, tandem respondit, esse pulicem. Rex intellecto fuco: Quid, inquit, an tu me facies (q) canem? Iussit (r) tolli hominem, ac pro captatis quadraginta coronatis, infligi quadraginta plagas. PHIL. Non tutum est, ut audio, cum regibus facetiis ludere. Quemadmodum enim leones se nonnunquam placidè præbent fricanti: iidem, ubi lubitum est, leones sunt, & iacet collusor: Itidem favent principes. Sed adferam tuæ fabulæ fabulam non dissimilem, ne recedamus interim à Ludovico, cui pro delectamento erat, corvos hiantes fallere. Dono acceperat alicunde centum millia coronato-

rum (quoties autem principibus obtigit nova pecunia, venantur omnes officiarii, & captant aliquam prædæ partem: id non fugiebat Ludovicum). Cùm igitur ea pecunia exprompta esset in mensa, quò magis irritaret spem omnium, sic loquutus est circumstantibus: Quid? an non videor vobis rex opulentus? ubi collocabimus tantam pecuniæ vim? Donaticia est, donari vicissim convenit. Vbi nunc sunt amici, quibus pro suis in me officiis debeo? Adsint nunc, prius quàm effluat hic thesaurus. Ad hanc vocem occurrêre permulti, nemo non sibi sperabat aliquid. Rex cùm vidisset aliquem maximè inhiantem, & iam oculis devorantem pecuniam, ad eum conversus: Amice inquit, quid tu narras? Ille commemorabat, se diu aluisse falcones regios, summâ fide, nec sine gravibus impendiis? alius aliud adferebat, suum quisq; officium verbis, quãtum poterat, exaggerabat, idq; non sine mendaciis. Rex omnes benignè audiebat, & singulorum orationem comprobabat. Hæc consultatio dilata est in longum tempus, quò diutiùs spe metúque torqueret omnes. Adstabat inter hos primus Cancellarius, nam & hunc iusserat acciri: is cæteris prudentior, non prædicabat officia sua, sed agebat spectatorem fabulæ. Ad hunc tandem conversus Rex. Quid, inquit, narrat meus Cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat officia sua. Ego, inquit Cancellarius, plus accepi à benignitate regiâ, quàm promeruerim: nec ulla de re magis solicitus sum, quàm ut regiæ in me munificentiæ respondeam, tantum abest, ut velim

flagitare

flagitare plura. Tum Rex: Unus igitur, inquit, omnium non eges pecuniâ? Ne egerem, inquit alter, iam tua præstitit benignitas. Ibi Rex versus ad alios: Næ ego sum, inquit, regum omnium magnificentissimus, qui tam opulentum habeam Cancellarium. Hîc magis accensa spes est omnibus futurum, ut pecunia cæteris distribueretur, quandoquidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum, ubi satis diu lusisset Rex, coegit Cancellarium ut totam eam summam domum auferret: móxque versus ad cæteros iam mœstos: Vobis, inquit, erit alia expectanda occasio. PHILO. Fortasse frigidius videbitur, quod narraturus sum: proinde deprecor doli mali suspicionem, sucive, ne videar de industria ambiisse immunitatem. Adiit eundem Ludovicum quidam petens, ut munus, quod fortè vacabat in eo pago, in quo habitabat, iuberet in ipsum transferri. Rex auditâ petitione, expeditè respondit: Nihil efficies: videlicet amputans omnem spem impetrandi, quod petebatur. Petitor item mox, actis regi gratiis, discessit. Rex ex ipsa fronte colligens, hominem esse non omninò sinistri ingenii, suspicansque illum non intellexisse, quid respondisset, iubet eum revocari. Redit: Tum Rex. Intellexeras, inquit, quid tibi responderim? intellexi. Quid igitur dixi? Me nihil effecturum. Cur igitur agebas gratias? Quoniam, inquit, est domi quod agam: proinde magno meo incommodo persequuturus eram hîc spem ancipitem, nunc beneficium interpretor, citò negasse beneficium, meque lucratum, quicquid eram perditurus, si varâ

spe lactatus fuissem. Ex eo responso Rex conjectans hominem minimè segnem, ubi pauca percontatus esset. Habebis, inquit, quòd petis, quò mihi bis agas gratias: simulq; versus ad officiarios: Expediantur, inquit, huic sine mora diplomata, ne hic diu suo damno hæreat. EVGL. Non deest, quod referam de Ludovico, sed malo de nostro Maximiliano, qui ut nequaquam solitus est defodere pecuniam, ita clementissimus erat in eos, qui decoxerant modò nobilitatis titulo commendarentur. Ex hoc hominum genere cùm cuidam iuveni vellet opitulari mandavit illi legationem ut à civitate quadam, titulo nescio quo, peteret centum millia florenorum. Talis autem erat titulus, ut si quid impetratũ esset dexteritate legati, pro lucro duci posset. Legatus extorsit millia quinquaginta. Cæsari reddidit triginta. Cæsar lætus insperatâ prædâ, dimisit hominem præterea nihil inquirens. Interea quæstores & rationales olfecerant, plus acceptum fuisse, quàm exhibitum, interpellant Cæsarem, ut accerseret hominem. Accitus est: venit ilicò. Tum Maximilianus: Audio, inquit, te accepisse millia quinquaginta. Fassus est. Non exhibuisti nisi triginta millia. Fassus est & hoc. Reddenda est, inquit ratio. Promisit se facturum, ac discessit. Rursum cùm nihil esset actum interpellantibus officiariis, revocatus est. Tum Cæsar: Nuper, inquit, iussus es reddere rationem. Memini, inquit ille, & in hoc sum. Cæsar suspicans illi rationem nondum satis esse subductam, passus est illum sic abire. Cùm sic eluderet, officiarii vehementer

hementer instabant, clamitantes non esse ferendum, ut ille tam palàm illuderet Cæsari: persuaserunt, ut accersitus iuberetur inibi præsentibus ipsis exhibere rationem. Annuit Cæsar: Accitus venit ilicò, nihil tergiversatus. Tum Cæsar, Nónne inquit pollicitus es rationem? Pollicitus, respondit ille. Jam, inquit, opus est, en adsunt, qui excipient, nec est diutius tergiversandi locus. Assidebant officiarii, paratis ad id codicillis. Ibi iuvenis sat dextrè. Non detrecto, inquit, rationem, invictissime Cæsar, verùm huiusmodi rationum non sum admodùm peritus, ut qui nunquam reddiderim: isti qui assident, talium rationum sunt peritissimi: si vel semel videro, quemadmodum illi tractent huiusmodi rationes, ego facilè imitabor. Rogo iubeas illos vel exemplum edere, videbunt me docilem. Cæsar sensit dictum hominis, quod non intelligebant hi, in quos dicebatur, ac subridens: Verum, inquit, narras, & æquum postulas. Ita iuvenem dimisit. Subindicabat enim, sic illos Cæsari solere reddere rationem, quemadmodum ipse reddiderat: nimirum ut bona pecuniæ portio penes ipsos remaneret. LER. Nunc tempus est, ut ab equis, quod aiunt, ad asinos descendat fabula, à regibus ad Antonium sacrificum Lovaniensem, qui Philippo cognomento Bono fuit in deliciis. Huius viri feruntur multa vel iucundè dicta, vel iocosè facta, sed pleraq; sordidiora. Nam plerosq; lusus suos condire solitus est unguento quodam, quod non admodùm eleganter sonat, sed peiùs olet: deligam unum ex mundioribus. Invitarat unum atq; alte-

rum bellum homunculum fortè obvios in via. Cùm rediſſet domum, reperit culinam frigidam, nec erat nummus in loculis, quod illi nequaquam erat inſolens. Hîc opus erat celeri conſilio. Subduxit ſe tacitus, & ingreſſus culinam fœneratoris, quî cum illi erat familiaritas, quòd frequenter ageret cum illo, digreſſâ famulâ, ſubduxit unam ex ollis æneis unà cum carnibus iam coctis, ac veſte tectam deferebat domum: dat coquæ: iubet protinus effundi carnes, & ius in aliam ollam fictilem, ſimulq; fœneratoris ollam defricari, donec niteret. Eo facto, mittit puerum ad fœneratorem, qui depoſito pignore drachmas duas à fœneratore ſumat mutuo, ſed accipiat chirographum, quod teſtaretur talem ollam miſſam ad ipſum. Fœnerator non agnoſcens ollam, ut pote defrictam ac nitentem, recipit pignus, dat chirographum, & numerat pecuniam: eâ pecuniâ puer emit vinum. Ita proſpectum eſt convivio. Tandem cùm apparatur prandium fœneratori, deſiderata eſt olla. Hic iurgium adverſus coquam. Ea cum gravaretur, conſtanter adfirmavit, neminem eo die fuiſſe in culina præter Antonium. Improbum videbatur hoc ſuſpicari de ſacrifico. Tandem itum eſt ad illum, exploratum, an apud illum eſſet olla? ne muſca quidem olla reperta. Quid multis? Seriò flagitata eſt ab illo olla, quòd ſolus ingreſſus eſſet culinam, quo tempore deſiderata eſt. Ille faſſus eſt ſumſiſſe commodatò ollam quandam, ſed quam remiſiſſet illi unde ſumpſerat. Id cùm illi pernegarent, & incaluiſſet contentio, Antonius adhibitis aliquot teſtibus

testibus: Videte, inquit, quàm periculosum est cum horum temporum hominibus agere sine chirographo: intenderetur mihi propemodùm actio furti, ni manum haberem fœneratoris. Et protulit syngraphum. Intellectus est dolus: fabula magno cum risu per totam regionem dissipata est, ollam oppignoratam ipsi cuius erat. Huiusmodi dolis libentiùs favent homines, si commissi sint in personas odiosas, præsertim eos, qui solent aliis imponere. ADOLES. Nè tu nobis mare fabularum aperuisti, nominato Antonio: sed unam duntaxat, eamq; brevem referam, quam audivi nuperrimè. Agitabant simul convivium aliquot belli, ut dicunt, homunculi, quibus nihil priùs in vita, quàm ridere. Inter hos erat Antonius, atq; alter item, & ipse celebris hoc genere laudis, ac velut æmulus Antonii. Porrò quemadmodum inter philosophos, si quando conveniunt, proponi solent quæstiunculæ de rebus naturæ: ita hîc statim nata est quæstio, quæ nã esset hominis pars honestissima. Alius divinabat oculos, alius cor, alius cerebrum, alius item aliud: & suæ quisq; divinationis rationem adferebat. Antonius iussus dicere sententiam, dixit: os sibi videri partem omnium honestissimam, & addidit causam nescio quam. Tum alter ille, ne quid ipsi conveniret cum Antonio, respondit, eam partem, quâ sedemus sibi videri honestissimam. Cùm id videretur omnibus absurdum, attulit hanc causam, quòd is diceretur vulgò honoratissimus, qui primùm consideret: hoc honoris competere parti, quam dixisset. Applausum est huic sen-

tentiæ: & risum est affatim. Placuit homo sibi de hoc dicto, visuq; est in eo certamine victus Antonius. Dissimulavit Antonius, qui non ob aliud detulerat ori primam honestatis laudem nisi quòd sciret illum veluti æmulum suæ gloriæ, diversam partem nominaturum. Post dies aliquot cum rursus utrq; vocatus esset ad idem convivium, ingressus Antonius offendit æmulum cum aliis aliquot confabulantem, dum adornatur cœna: & aversus emisit clarũ ventris crepitum ant e faciẽ alterius. Ille indignatus, Abi, inquit, scurra, ubinam didicisti mores istos? Tum Antonius, Etiam indignaris inquit? Si te salutassem ore, resalutasses, nunc te saluto parte corporis, vel te iudice, omnium honestissimâ & scurra vocor. Sic recuperavit priùs amissam gloriam Antonius. Diximus omnes: nunc superest ut pronunciet index. GELA. *Id faciam, sed non priùs quàm suum quisq; cyathum ebiberit. En auspicor: sed lupus in fabula.* PO. *Haud lævum omen adfert Levinus Panagathus.* LER. *Quid actum est inter tam lepidos congerrones?* PO. *Quid aliud? Certatum est fabulis, donec lupus interveniret.* LER. *Huc igitur adsum, ut perficiam fabulam: volo vos omnes cras apud me prandere, prandium Theologicum.* GEL. (l) *Scythicum promittis convivium.* LER. (t) Αὐτὸ δεῖξα. *Nisi fatebimini hoc fuisse vobis fabuloso convivio iucundius, nõ recuso dare pœnas in cœna. Nihil iucundius, quàm cum seriò tractantur nugæ.*

(*) *Polym.* fabulosus. *Gelasinus* ridiculus. *Eutrapelus* facetus. *Philythius* amans nugarum. *Philogelos*, amans risus. *Euglottus* bene linguax. *Lerochares* qui gaudet nugis,

gis. *Adolescheς* nugator. (a) Id est, statue leges rex. (b) Id est, verisimile. (c) Id est, decorum. (d) Tria verba dixit pro paucis. Quod alter ludens torquet ad dies nefastos, in quibus institium erat, nec licebat prætori dicere verba Do, Dico, Addico, Sic Ovid. *Ille nefastus erit per quem tria verba silentur.* (e) *Symposiarchus* princeps convivii. (f) *Architriclinus*, qui curat cibos apponendos ac potum. Olim convivium tres spondas habebat. (g) Canis natura abhorret à vino. (h) *Lex Rhemia* quæ ad pœnam talionis vocat calumniatorem. (i) *Ab umbra asini.* Vide Chiliades. (k) Circuitione notavit quadragesimam. (l) *Fructuaria*, quæ vendit fructus arborum. (m) Alludit ad *catenam argenteam Homeri.* Videtur subindicare, quod ex talibus impostoribus aliquid lucri redeat ad præfectos, & hinc ad principes (n) *Cogere in ordinem*, est facere cæteris æqualem. (o) Quod principi placuit, per principis genium ad principis statuam: hæc de Cæsare intelligebantur. Imperatoris nomen militare. Regis nomen erat Romanis invisum. Principis nomen erat amabilius. (p) κειμήλιον Græcis est preciosum aliquid quod servandi causâ seponitur, apud Hom. Vulgò dicimus clenodia. (q) Nam hoc animal maximè infestatur à pulicibus. (r) Tolli sublimem in humeros ut vapularet. (s) Scythicum, id est triste. (t) Id est, ipsa res indicabit. Vide proverbium.

PVERPERA.

EVTRAPELVS, FABVLLA.

EVT. *Salva sis optima Fabulla.* FAB. *Salve multùm Eutrapele. Sed quid tandem novæ rei accidit, quod nunc salutator insolens advenerit, quem hoc triennio toto nemo nostrûm vidit?* EV. *Dicam: fortè præteriens has ædes, vidi* (a) *cornicem obvin-*

Etiam candido linteo: demirabar quid esset causæ. FAB. *Adeóne hospes es in hac regione, ut ignores hoc esse symbolum puerperii in ædibus?* EVTRA. *Eho, an non prodigium est videre cornicem albam? Sed extra iocum: sciebam maximè, verùm suspicari non potui te puellã vix dum ingressam decimum sextum annum, tam maturè didicisse difficilimam artem gignendi liberos, quàm ægrè discunt quædam ante annos triginta.* FA. *Vt tu semper es, quod diceris, Eutrapele?* EV. *Vt nunquam deest Fabullæ fabula! Demiranti igitur, commodùm occurrit Polygamus.* FA. *Is qui nuper extulit uxorem decimam?* EV. *Is ipse: sed, quod te fugit, opinor, rursum tam ambitiosè procum agit, quasi hactenus vixerit cœlebs. Hic percontanti, quid accidisset novæ rei: Muliebre corpus, inquit, in his ædibus per medium sectum est in duo. Ob quòd, inquam, facinus? Si verum est, inquit, quod rumore populari tractatur, hîc materfamilias sustinuit deglubere maritum suum: simulque cum risu subduxit sese.* FA. *Homo craßè facetus.* EV. *Ego me protinùs intrò coniicio, tibi felicem partum gratulaturus.* FA. *Salutem mihi gratulare, si voles Eutrapele: Felicem partum tum gratulaberis, cùm, quod enixa sum, videris de se præbere specimen boni viri.* EVT. *Piè tu quidem & verè, mea Fabulla.* FA. *Nullius Fabullæ sum, nisi Petronii.* EV. *Vni quidem Petronio paris: at non uni vivis, opinor. Cæterùm hoc quoq; gratulor, quòd puerum enixa es.* FA. *Sed quas ob causas feliciùs iudicas peperisse masculum, quàm fœminam?* EV.

Quin

Quin tu potius Fabulla Petronii (iam enim vereor hîc Mea *dicere) illud mihi expedis, quas ob causas vos magis gaudetis peperisse masculos, quàm fœminas?* FA. *Quid aliæ sentiant, nescio, ego me nunc gaudeo peperisse masculum, quia sic visum est Deo: si maluisset ille puellam, maluissem & ipsa.* EVT. *An putas Deo tantum esse otii, ut etiam parturientibus obstetricetur?* FA. *Quid agat ille potius, Eutrapele, quàm ut propagatione servet, quod condidit?* EV. *Quid agat ô bona? Imò, ni Deus esset, non arbitror suffecturum tot negotiis. Exulat Christiernus Danorum rex pius EVANGELII fautor, Franciscus Galliarum rex hospes est Hispaniarum, nescio quàm ex ipsius animi sententia, vir certè dignus meliore fortuna. Carolus molitur monarchiæ proferre pomœria. Ferdinandus rerum suarum satagit in Germania.* (b) *Bulimia pecuniarum urget aulas omnes: periculosos motus concitant agricolæ, nec tot stragibus ab instituto deterrentur: populus meditatur* (c) *anarchiam: periculosis factionibus collabitur ecclesiæ domus, hinc atque hinc distrahitur illa IESV tunica inconsutilis: Vinea Domini non ab uno iam apro vastatur, simulq; periclitatur sacerdotum cum decimis authoritas, theologorum dignitas: monachorum maiestas: nutat confessio, vacillant vota, labascunt leges Pontificiæ, vocatur in discrimen Eucharistia, expectatur Antichristus, totus orbis parturit, nescio quid magni mali. Interim superant & imminent Turcæ, nihil non populaturi, si successerit quod agunt: & tu*

rogas,

rogas, quid agat potiùs? Imo tempus arbitror, ut suo quoque regno prospiciat in tempore. FAB. *Quod hominibus videtur maximum, id fortasse videtur Deo nullius momenti. Sed ab hac fabula Dei personam, si vis, secludamus. Dic quæ te causæ moveant, ut feliciùs existimes peperisse catulum, quàm catellam?* EVT. *Piæ mentis est hoc iudicare optimum, quod dedit Deus citra controversiam optimus. Verùm si Deus tibi daret poculum crystallinum, nónne maximas ageres gratias?* FA. *Agerem.* EV. *Quid si idem daret vitreum, num pares ageres? Sed vereor ne tibi molestiam adferam pro solatio, hæc apud te philosophans.* FA. *Imò Fabullæ nihil est iam à fabulis periculi. Iam quartam hebdomadam decumbo, satisq; valeo, vel ad luctam.* EV. *Quin igitur è nido provolas?* FA. *Vetuit rex.* EV. *Qui rex?* FA. *Imo tyrannus.* EV. *Qui quæso?* FA. *Syllabâ dicam. Mos.* EV. *Hem quàm iste rex multa præter æquum exigit. Pergamus igitur philosophari de crystallo & vitro.* FA. *Marem, uti conicio, naturâ præstantiorem ac firmiorem iudicas, quàm fœminam.* EV. *Sic arbitror.* FA. *Nimirum viris authoribus. Num igitur viri vivaciores sunt quàm fœminæ? Num à morbis immunes?* EV. *Nequaquam: sed in genere viribus antecellunt.* FA. *Sed ipsi rursus superantur à camelis.* EV. *Imò prior creatus est masculus.* FAB. *Prior conditus est Adam quàm Christus. Et solent artifices in posterioribus seipsos vincere.* EV. *At Deus mulierem viro subsecit.* FAB. *Non statim melior est, qui imperat: & nuptam*

nuptam subiicit, non fœminam ac rursus nuptam ita subiicit, ut quum utriqne sit potestas alterius, mulierem tamen velit viro morem gerere, non ut præstantiori, sed ut ferociori. Dic Eutrapele, uter infirmior, qui cedit alteri, an cui ceditur? Ev. Tibi quidem hîc cedam, si mihi declaràris, quid senserit Paulus scribens Corinthiis, cùm viri caput dicit esse Christum, mulieris caput virum: rursus cùm virum dicit imaginem & gloriam Dei, mulierem gloriam viri. Fa. Istuc expediam si mihi declararis, an solis viris datum sit, esse membra Christi? Ev. Absit: id quidem datum est omnibus per fidem. Fa. Qui fit igitur, ut caput unũ quum sit non habeatur omnibus membris commune? Deinde cùm Deus hominem fingeret ad imaginem sui, utrum hanc imaginem expresserit in corporis figura, an in animi dotibus? Ev. In animi dõtibus. Fa. At in his quid tandem habent viri nobis præcellentius? In utro sexu plures sunt temulentiæ, rixæ pugnæ cædes, bella, rapinæ, & adulteria? Ev. At soli viri bellum gerimus pro patria. Fa. Sed iidem sæpiùs deserto loco turpiter fugitis, nec semper pro patria, sed frequentiùs pro sordido salariolo deseritis uxorem & liberos, & peiores gladiatoribus ultrò corpora vestra traditis in servilem necessitatem, vel moriendi, vel occidendi. Jam, ut maximè iactes mihi virtutem bellicam, nemo vestrûm, si semel esset expertus quid sit párere, nõ mallet decies in acie stare, quàm subire semel, quod nobis toties est experiendum. Ju bello non semper venitur ad manus: & si venitur, non in

quavis

quavis exercitus parte discrimen est. (d) *Tui similes disponuntur in acie media: alius est in subsidiis, alius tutò sedet* (e) *post principia: denique plurimos servat deditio & fuga: nobis comminus cum morte conflictandum est.* Ev. *Ista non nunc primùm audio: verùm sunt ne hæc vera quæ dicuntur?* Fab. *Nimiùm vera.* Ev. *Visne igitur Fabulla, ut marito tuo persuadeam, ne posthac te contingat. Nam eo pacto tuta fueris ab isto discrimine.* Fa. *Equidem nihil malim, si possis.* Ev. *Quid præmii feret orator hic, si persuaserit?* Fa. *Dabo decem linguas bubulas fumo duratas.* Evt. *Istas malim, quàm decem linguas lusciniarum Non reiicio conditionem: verùm contractum hunc ratum esse nolim prius, quàm interceſſerit stipulatio.* Fa. *Addatur, si libet, & si qua est alia cautio.* Ev. *Idfiet ex animi tui sententia post mensem exactum?* Fa. *Quin potiùs nunc fit ex animi mei sententia.* Ev. *Dicam, quia vereor, ne post mensem non sit eadem animi tui sententia. Itaq; & tibi solvendum esset duplex præmium, & mihi duplex esset sumenda opera persuadendi, & dissuadendi.* Fa. *Agè fiat ut voles: sed interim perge demonstrare, quare viri sexus sit præstantior fœmineo.* Ev. *Video te meditatam monomachiam, quamobrem in præsentia quidem consultiùs arbitror tibi concedere. Congrediar aliàs, sed armatus, nec absque subsidiario milite. Nam ubi linguares geritur, ne septem quidem viri pares sunt uni fœminæ.* Fa. *Nimirum hoc telo armavit nos natura, quanquam ne vos quidem elingues estis.* Ev. *Fortassis:*

tassis: sed ubi puellus? FA. *In conclavi proximo.* EVT. *Quid illic, coquit olus?* FA. *Nugator, apud nutricem est.* EV. *Quam mihi nutricem narras? an est alia nutrix, quam ea quæ mater est?* FA. *Quid ni? vulgo fit.* EV. *Pessimum mihi nominas authorem rei bene gerendæ vulgum, Fabulla. Vulgò peccant, vulgò luditur alea, vulgò commeatur ad fornices, vulgò fraudatur, potatur, insanitur.* FA. *Sic amicis visum est: censuerunt enim parcendum huic ætati tam teneræ.* EV. *Atqui si natura dedit vires ad concipiendum, haud dubiè dedit & ad lactandum.* FA. *Probabile quidem est.* EVT. *Dic mihi, nónne sentis esse dulcissimum matris vocabulum?* FA. *Sentio.* EV. *Itaq; si fieri posset, patereris aliam mulierem esse matrem tui partus?* FAB. *Minimè gentium.* EVTR. *Cur igitur volens (f) plus quàm dimidiatum matris nomen transfers in fœminam alienam?* FA. *Bona verba Eutrapeli, non divido filium, sola totaq; sum mater.* EV. *Immò hîc tibi Fabulla reclamat in os ipsa natura. Cur terra dicitur omnium parens? An quòd gignat tantùm? Immò multò magis quòd nutriat ea, quæ genuit. Quod aqua gignit, in aquis educatur. In terra nullum animantis aut plantæ genus nascitur, quod eadem terra succo suo non alat. Nec est ullum animantis genus, quod non alat suos fœtus. Ululæ, Leones, & Viperæ educant partus suos, & homines suos fœtus abiiciunt? Obsecro te, quid crudelius iis, qui prolem educationis tædio dicuntur exponere?* FA. *Abominanda dicis.* EVT. *Atqui non perinde factum abominantur*

ominantur homines. An non expositionis genus est, infantulum tenerum, adhuc à matre rubentem, matrem spirantem, matris opem eâ voce implorantem, quæ movere dicitur & feras, tradere mulieri, fortassis nec corpore salubri, nec moribus integris: denique, cui pluris sit pecuniæ pauxillum, quàm totus infans tuus? FA. *Delecta est mulier salubri corporis temperaturâ.* EV. *Hoc medici certius iudicent quàm tu. Sed finge hic illam tibi vel parem, vel aliquanto sivis, superiorem: an nihil interesse censes, utrum infans tenellus cognatum illum & familiarem hauriat succum, & calore iam assueto foveatur, an alienis cogatur assuescere? Triticum in aliud solum iactum, degenerat in avenam, aut siliginem: vitis in alium collem translata, mutat ingenium: plantula revulsa à parente terrâ flaccescit, ac velut emoritur: eóque quantum fieri potest, cum terrâ nativâ transferunt.* FA. *Imò narrant, plantas translatas, & insitas exuere sylvestre ingenium, & fructus edere generosiores?* EV. *At non protinus ut natæ sunt, ô bona. Veniet & olim hoc tempus, si Deus voluerit, ut adolescentem tuum ableges ab ædibus, literis iam ac severioribus disciplinis imbuendum, quæ functio patris est potius quam matris. Nunc ætas tenera fovenda est. Porrò quum ad salubritatem firmitatemq; corporis plurimum refert, qualis sit alimonia: tum verò præcipuè, quo succo tenerum illud ac molle corpusculum imbuatur. Nam hîc quoq; locum habet illud Flacci dictum.*

Quo semel est imbuta recens servabit odorem,

Testa

Testa diu. FA. *De corpore non ita multùm laboro, modò sit animus qualem optamus.* EVTR. *Piè tu quidem, sed parùm philosophicè.* FA. *Quamobrem?* EV. *Cur tu igitur, quoties concidis olus, quereris aciem cultri retusam esse, & iubes exacui? Cur acum reiicis, obtusâ cuspide, cùm eares non admittat artem?* FA. *Non deest ars, sed obstat instrumentum parùm idoneum.* EV. *Cur quibus est opus oculorũ acie, vitant lolium & cepas?* FA. *Quia vitiant oculos.* EV. *Nónne animus est, qui cernit?* FA. *Est: nam nihil vident exanimes. Sed quid agat faber vitiatâ securi?* EV. *Agnoscis igitur corpus esse mentis organum?* FA. *Apparet.* EV. *Et fateris, vitiato corpore non agere animum, aut incommodiùs agere?* FA. *Non dissimile veri dicis.* EV. *Agè, videor mihi nactus ingenium philosophicum. Finge igitur animum hominis demigrare in corpus galli gallinacei, num ederet vocem, quam nunc edimus.* FABV. *Nequaquam.* EV. *Quid obstaret?* FA. *Quia desunt labra, dentes, & lingua similis: nec* (g) *epiglottis, nec tres adsunt* (h) *cartilagines à tribus motæ musculis, ad quos pertinent nervi à cerebro demissi, nec fauces, nec os simile.* EV. *Quid si in corpus suis?* FA. *Grunniret suillo more.* EV. *Quid si in corpus Cameli?* FA. *Caneret, ut canit camelus.* EV. *Quid si in corpus Asini, quod evenit Apuleio?* FA. *Raderet, opinor, ut asinus.* EV. *Nimirum fatetur hoc ille, cùm cuperet inclamare Cæsarem, contractis quantum potuit labris, vix* (i) *O sonuit, Cæsarem nullo pacto potuit exprimere. Idem cùm fabulam*

auditam, ne excideret, describere cuperet, damnavit cogitationem tam asininam, cùm ungulas intueretur solidas. FA. Et merito. EV. Ergò lippientibus oculis, minus videt animus: oppletis sordibus auribus, minus audit: ubi cerebrum occupat pituita, minus olfacit: ubi stupet membrum, minus sentit: ubi malis humoribus vitiata est lingua, minus gustat. FA. Negari non potest. EV. Non ob aliud, nisi quia vitiatum est organum. FA. Arbitror. EV. Nec inficiaris plerumq; vitiari cibo, potúque. FA. Fateor: sed quid istuc ad bonam mentem? EVTR. Proinde quid lolium ad perspicaces oculos? FA. Quia vitiat organum animi. EV. Probè respondes. Verùm illud expedi, unde fit, quòd alius alio celerius intelligit, ac tenaciùs meminit, alius alio citiùs irascitur aut moderatiùs odit? FA. Sic conditus est animus. EV. Non sic elaberis. Vnde fit, ut qui prius fuit ingenio celeri, felici memoriâ, postea fiat oblivioſus ac tardus, sive plagâ, sive casu, sive morbo, sive senio? FA. Tu nunc mihi vidêre sophistam agere. EV. Proin tu contra fac agas sophistriam. FAB. Opinor hoc te velle dicere, quòd animus quemadmodum cernit & audit per oculos & aures, ita per organa quædam intelligit, meminit, amat, odit, irascitur & placatur. EVT. Rectè conjectas. FA. Quæ tandem sunt ista organa, & ubi sunt? EV. Oculos ubi sint vides: FA. Et aures, & nares, & palatum ubi sit, scio. Et toto corpore contactum esse video, nisi cùm stupor occupat membrum. EV. Amputato pede, tamen intelligit animus. FA. Intelligit, at idem

&

& manu. Ev. *At qui vehementem plagam accipit in tempus capitis, aut in occipitium, concidit mortuo similis, omnique sensu suo vacat.* Fa. *Istuc aliquoties vidi.* Ev. *Ex hoc colligis, intra cranium esse intellectus, voluntatis ac memoriæ organa, minus quidem crassa, quàm sunt aures & oculi, sed tamen materialia. Quandoquidem & spiritus, quos habemus in corpore subtilissimos, corporales sunt.* Fa. *An ista quoq; vitiantur cibo potuq;?* Ev. *Maximè.* Fab. *Cerebrum procul abest à stomacho* Evt. *Ita summa fumarii pars abest à foco, tamen illi si insidias, senties vaporem.* Fa. *Non experiar.* Ev. *At si mihi non credas, scisciare è ciconiis. Itaq; refert, qui spiritus, qui vapores à stomacho subvolent in cerebrum, & in organa mentis. Nam hi si crudi sint ac frigidi, recidunt in stomachum.* Fa. *Næ tu mihi metam distillatoriam describis, quâ ex floribus herbísque succum exhalantem excipimus.* Evtra. *Haud ita malè coniectas. Nam hepar, cui fel adhæret, ignis loco est, stomachus patella, cranium summæ metæ colophõ, atq; adeò, si vis, nasus fistulæ plumbeæ vice fungatur. Itaq; ex hoc mutuo fluxu ac refluxu humorum, nascitur ferè quicquid est morborum, ut variè dilabitur varius humor, nunc in oculos, nunc in stomachum, aliàs in scapulas, interim in cervicem, alióve. Quóque magis intelligas, cur qui vino immodico sese ingurgitant, sunt malè memores? Qui cibis aluntur subtiliorum spirituum, minus torpent ingenio? Cur Coriandrum memoriam emendat? Elleborus mentem purgat? Cur expletio*

vehemens epilepsim adducit, quæ stuporem adferat simul omnibus sensibus, quemadmodum & somnus profundus? Denique, ut immodica sitis aut inedia, ingenii memoriæq; vim elidit in pueris: ita cibus immodicus in pueris gignit ingenii stuporem, si credimus Aristoteli, nimirum igniculo mentis velut obruto ingestâ materiâ. FA. *Estne igitur corporeus animus, ut à rebus corporalibus adficiatur?* EVTR. *Animi rationalis natura non corrumpitur quidem ipsa: sed organis vitiatis, impeditur illius vis & actio: velut artifex frustrà valet arte, si destituatur idoneis instrumentis.* FA. *Quantâ, quáve specie est animus?* EV. *Ridiculè percontaris de magnitudine aut figura, quum fatearis incorporeum.* FA. *Ego corpus intelligo, quod sentitur.* EV. *Imò quæ non sentiuntur, perfectissima sunt, veluti Deus & Angeli.* FA. *Audio Deum & Angelos spiritus appellari; at spiritum sentimus.* EVT. *Hac voce literæ sacræ ob rudes homines balbutiunt, mentem significantes puram ab omni commercio rerum sensibilium.* FA. *Quid igitur interest inter Angelum & animum* E. *Hoc ipsum quod inter limacem & cochleã, aut si mavis, Testudinem.* FA *Corpus igitur domicilium est animi magis quàm instrumentum.* EV. *Nihil vetat instrumentum adiunctum dici domicilium. Atq; hac quidem de re variant philosophorum sententiæ. Sunt, qui dicant corpus esse vestem animæ, sunt qui domicilium, sunt qui instrumentũ, sunt qui harmoniam. Horum quodcunque dixeris, consequitur actiones animi corporis adfectionibus impediri.*

Primùm.

Primùm, si, quod vestis est corpori, idem corpus est animo: quantum ad corporis valetudinem faciat vestis, declaravit Hercules: ne quid de coloribus, aut pilorum pelliumq; generibus referam. Cæterùm an eadem anima sufficiat pluribus corporibus deterendis, quemadmodum corpus multas deterit vestes, viderit Pythagoras. FA. *Non incommodum foret, si iuxta Pythagoram liceret, ut vestibus, ita corporibus mutatoriis uti: sic ut mensibus hybernis sumeretur corpus obesum, crassæq; texturæ, æstivis rarius & gracilius.* EV. *Atqui parùm, opinor, esset commodum, si quemadmodum multis vestibus detritis, tandem & corpus deterimus, ita multis corporibus detritis, tandem & animæ senescerét, deficerétque.* FA. *Non sanè.* EV. *Iam quemadmodum ad corporis salubritatem agilitatemq; refert, quâ veste sit amictum: ita refert, quod corpus circumferat anima.* FA. *Profectò si corpus vestis est animæ, video multos homines admodùm variè cultos.* EV. *Sic est. Et tamen nonnulla pars huius rei sita est in nobis, quàm commodè vestiatur anima.* FA. *Valeat igitur vestis: dic aliquid de domicilio.* EV. *Atqui ne, quod dico, tibi videatur commentum, Fabulla, ipse Dominus Iesus suum corpus templum appellat.* Ioh. 2. 19. *Et Petrus Apostolus suum corpus tabernaculum appellat.* 2. Pet. 1. v. 13. 14. *Nec defuerunt, qui corpus dixerunt animæ sepulchrum, σῶμα dictum arbitrantes, quasi σῆμα: alii carcerem mentis appellarunt, nonnulli præsidium, velut arcem munitam. Quorum animus est undequaq; purus, in templo habitat: qui non tenen-*

tur amore rerum corporalium, horum animus agit in tabernaculo libenter exiliturus, si vocet imperator. Qui prorsus excæcati sunt vitiis spurcissimis, ut nunquam adspirent ad auram libertatis evangelicæ, horum animus iacet in sepulchro. Cæterùm qui molestè luctantur cum vitiis, nec adhuc possunt quod volunt, horum animus habitat in carcere, subinde
ps. 142. 8 clamans ad liberatorem omnium: Educ de carcere animam meam, ut confitear nomini tuo Domine. Qui graviter pugnant cum Satana, vigilantes & excubantes adversus insidias illius, qui circumit ut leo, quærens quem devoret, horum animus versatur in præsidio, unde iniussu imperatoris non licet discedere. FAB. Si corpus est animi domicilium, plurimos video, quorum animus malè habitet. EV. Sic est, videlicet in ædibus perstillantibus, opacis, ventis omnibus obnoxiis, fumosis, pituitosis, laceris ac ruinosis, denique putridis ac infectis. Et tamen Cato primam felicitatis partem iudicat benè habitare. FA. Tolerabilis res, si liceret in aliud demigrare domicilium. EV. Emigrare non licet nisi cùm evocat (k) locator. Veruntamen si non licet emigrare, licet arte curaq; nostrâ domicilium animi commodius reddere: quemadmodum in ædibus mutantur fenestræ, attollitur solum, incrustantur aut convestiuntur tabulatu parietes, situs igni suffituq; purgatur. Id in senili corpore, iamq; ruinam minitante difficillimum est. Plurimum autem conducit, si puerile corpus ab ipso protinus ortu, sicut oportet, curetur. FA. Tu quidem matrem ac nutricem medicam esse iubes.

bes. Ev. *Planè iubeo, quod attinet ad delectum, ac moderationem cibi potusq3, motus, somni, balneorum, unctionum, frictionum, vestitus. Quàm multos esse censes, qui grauissimis morbis ac vitiis obnoxii sunt, epilepsiæ, gracilitati, imbecillitati, surditati, fractis lumbis, distortis membris, infirmo cerebro, stupori mentis, non ob aliud, nisi quòd à nutricibus indiligenter curati sunt?* Fa. *Demiror te non propictore factum fuisse Franciscanum, qui tam bellè concioneris.* Ev. *Vbi te Claranam videro, tum ego tibi Franciscanus concionabor.* Fab. *Ego sanè libens scire cupiam, quid sit anima, de qua tam multa audimus dicimusq3, quum nemo viderit.* Ev. *Imò nemo non videt, cui sunt oculi.* Fa. *Video pictas animas infantuli specie. Verùm cur non adduntur alæ, quemadmodum angelis?* Ev. *Quoniam delabentibus è cœlo fractæ sunt alæ, si qua Socraticis fabulis habenda fides.* Fa. *Quomodo igitur subvolare dicuntur in cœlum?* Ev. *Quoniam fides & charitas faciunt, ut illis renascantur alæ. Has alas petebat ille pertæsus domicilium sui corporis, dum clamat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Nec enim alias alas habet anima, quum sit incorporea: nec ullam habet speciem, quæ corporis oculis sit conspicua: sed certiùs cernuntur ea, quæ videmus animo, Credisne Deum esse?* Fab. *Maximè.* Evt. *At nihil minus videri potest, quàm Deus.* Fa. *Videtur in rebus conditis.* Ev. *Itidem videtur animus in actione. Si quæris quid agat in corpore vivo: contemplare corpus ex-* ps. 55. 7.

anime. Cùm vides hominem sentire, cernere, audire, moveri, intelligere, meminisse, ratiocinari: certiùs vides animam adesse, quàm nunc vides hunc cantharum: potest enim falli sensus unus, tot argumenta sensuum non fallunt. FA. *Proinde, si non potes ostendere animam, sic illam notis quibusdam pinge, quasi mihi velis describere Cæsarem, quem nondum vidi.* EVTR. *Aristotelis definitio in promptu est.* FA. *Quæ? nam aiunt istum esse probum rerum omnium depictorem.* EV. *Anima est actus corporis organici, physici, vitam habentis in potentia.* FA. *Cur (l) actum vocat potius, quàm iter aut viam?* EV. *Non hic cavetur aurigis aut equitibus, sed animæ ratio definitur. Et actum vocat formam, cuius natura est agere, quum materiæ ratio sit pati. Omnis autem corporis motus naturalis ab animo proficiscitur. Est autem varius corporis motus.* FA. *Intelligo. Sed cur addit Organici?* EV. *Quoniam anima nihil agit, nisi per organa, hoc est, instrumenta corporis.* FAB. *Cur addit Physici?* EV. *Quia Dædalus frustra fingeret tale corpus. Ideoq; addit, Vitam habentis in potentia. Forma nõ agit in quidvis, sed in materiam capacem.* FA. *Quid si Angelus immigraret in corpus hominis?* EV. *Ageret quidem, sed non per organa naturalia, nec vitam daret corpori si abesset anima.* FA. *Habeóne iam totam animæ rationem?* EV. *Habes Aristotelicam.* FA. *Equidem accepi celebrem esse Philosophum, & vereor ne sapientum centuriæ mihi scribant hæreseos dicam, si quid refrager. Alioqui quicquid adhuc dixit*

xit de anima hominis, competit in asinum & bovem. Ev. Imò in scarabeum quoque & limacem. Fab. Quid igitur interest inter animam bovis & hominis? Ev. Qui dicunt animam nihil aliud esse, quàm harmoniam qualitatum corporis, faterentur nõ ita multum interesse: videlicet harmoniâ solutâ, perire animas utriusq;. Ne ratione quidem distinguitur bovis ab hominis anima: sed quòd boũ minus sapit quàm hominum, quemadmodum videre est homines qui minus sapiunt, quàm bos. F. Næ isti bubulã habent mentem. Ev. Attamen illud ad te pertinet, quod pro testudinis qualitate modulatior est harmonia. Fab. Fateor. Evt. Nec parvi refert, ex quo ligno, quâve figura sit facta testudo. Fa. Verisimile dicis. Ev. Nec ex quorumlibet animantium intestinis fiunt canoræ fides. Fa. Audivi. Ev. Atq; hæ quidem ex aëris circumfusi madore aut siccitate laxantur, contrahuntur, nonnunquam & rumpuntur. Fa. Istuc vidi non semel. Ev. Hic igitur potes opem præstare non vulgarem infantulo tuo, ut animus illius testudinem habeat bene temperatam, minimeq; vitiatam, ne laxa sit segnitie, ne stridula sit iracundiâ, nec rauca sit temulentiâ. Nam hos affectus inserit in nobis nonnunquam educatio victusque ratio. Fa. Admonitionem accipio: sed expecto quo pacto tuearis Aristotelem. Ev. Ille quidem descripsit in genere animam animantem, vegetantem, ac sentientem. Anima dat vitam: sed non protinus animal est quod vivit. Vivunt enim & senescunt, & emoriũtur arbores, at non sentiunt: quan-

quam his quoque nonnulli sensum tribuunt (m) stupidum. In adhæsis vix deprehenditur sensus, in spongia deprehenditur ab avulsoribus, in arboribus materiarum cæsores sensum comperiunt, si quid illis credimus. Aiunt enim, si palmâ ferias truncum arboris, quam velis cædere, quemadmodum ferè solent materiarii, difficiliùs arbor inciditur, ut semet contraxit metu. Quod autem vivit ac sentit, animal est. Nihil autem prohibet esse vegetabile, quod non sentit, veluti fungi, betæ, caules. FAB. Ista si vivunt utcunq; , si sentiunt utcunque, si moventur cum adolescunt, quid prohibet eadem dignari animalis cognomine? EVT. Non ita visum est maioribus, neq; nobis fas est ab illorum placitis discedere, ac ne refert quidem ad hoc quod nunc agimus. FA. Atqui non feram, eandem esse animam scarabei & hominis. EV. Non est eadem, ô bona, sed ratio quadantenus communis est. Animat, vegetat, sensibile reddit corpus tuum, anima tua. Idem agit scarabei anima in suo corpore. Nam quòd quædam aliter, aut aliud agit anima hominis, quàm scarabei, partim in causa est materia. Non canit, non loquitur scarabeus, quia caret organis ad hæc idoneis. FAB. Illud igitur dicis: Si anima scarabei demigraret in corpus hominis, idem ageret, quod agit anima humana? EV. Imò ne si mens quidem angelica, quemadmodum dixi. Nihil autem interest inter angelum & animam humanam, nisi quòd hominis anima in hoc condita est, ut agat corpus humanum naturalibus organis instructum: quemadmodum anima scarabei

rabei non movet, nisi corpus scarabei: angelus non in hoc conditus est, ut animet corpus, sed ut absque corporalibus organis intelligat. FA. Num idem potest anima? EV. Potest quidem à corpore semota. FA. Non est igitur sui iuris, dum est in corpore? EV. Non profectò, nisi si quid accidat præter communem naturæ cursum. FA. Verùm tu mihi pro una anima plures animas effudisti, animantem, vegetantem, sensibilem, intelligentem, memorem, volentem, irascentem, concupiscentem. Mihi satis erat una. EVT. Eiusdem animæ diversæ sunt actiones: ex his varia sortitur cognomina. FAB. Non satis assequor quod dicis. EV. At faciam ut assequaris. Tu in cubiculo es uxor, in officina es textrix aulæorum, in taberna es aulæorum venditrix, in culina es coqua, inter famulos & famulas es domina, inter liberos es mater, & tamen hæc omnia es eadem in domo. FA. Satis tu quidem pingui Minervâ philosopharis. Sic igitur est animus in corpore, quemadmodum ego in domo. EV. Sic. FA. Atqui, dum ego texo in officina, non coquo in culina. EV. Neq; enim tu es anima tantum, sed anima corpus circumferens: corpus autem non potest simul pluribus inesse locis, anima, quoniam est forma simplex, sic est in toto corpore, ut in singulis corporis partibus sit tota, quamvis nõ idem agat per omnes partes, nec eodem modo per quomodolibet adfectas. Nam sapit ac meminit in cerebro, irascitur in corde, concupiscit in hepate, audit in auribus, cernit in oculis, olfacit in naribus, gustat in palato & lingua, sentit in omnibus

bus partibus corporis, quæ nervaceum aliquid habent adiunctum. Neque enim sentit in pilis, nec summis ungibus: ac ne pulmo quidem per se sentit, nec hepar, fortasse nec lien. FA. *Proinde in quibusdam partibus animat tantum ac vegetat.* EV. *Ita videtur.* FA. *Si in uno homine facit hæc omnia eadem anima, consequitur, ut fœtus in utero materno statim ut augescit, quod est vitæ signum, simul & sentiat & intelligat, nisi fortè unius hominis initio plures sunt animæ: deinde, cæteris cedentibus, una peragit omnia, ita ut primùm homo fuerit planta, mox animal, postremò homo.* EV. *Quod dicis fortasse non absurdum videatur Aristoteli. Nobis probabilius est, simul cum vita infundi rationalem animam, sed quæ velut igniculus, immersa materiæ supra modum humidæ, nõdum queat exercere vires suas.* FA. *Animus igitur illigatus est corpori, quod agit, movetq;?* EV. *Non aliter, quàm testudo domui, quàm circumfert.* FA. *Eam movet quidem, sed sic, ut simul moveatur: quemadmodum gubernator flectit navem quò vult, sed ipse interim cum navi movetur.* EV. *Imò quemadmodum sciurus volvit caveam rotatilem, mobilis interim & ipse.* FA. *Sic & adficit anima corpus, ac vicissim adficitur?* EV. *Sanè, quod ad operationes attinet.* FAB. *Ergo, quod ad naturam pertinet, par est anima morionis animæ Salomonis.* EVT. *Nihil absurdum.* FA. *Itaque pares sunt & angeli, quandoquidem carent materia, quæ parit, ut ais, inæqualitatem.* EV. *Iam satis Philosophiæ. Quin potius hæc Theologos*

logos torqueant: nos hoc agamus, quod cœpimus. Si tota mater esse vis, cura corpusculum infantuli tui, quò posteaquam sese explicuit ex vaporibus mentis igniculus, bonis & commodis organis utatur. Quoties audis puerum tuum vagientem, crede illum hoc abs te flagitare. Cùm vides in pectore duos istos veluti fonticulos turgidos, ac lacteo liquore vel suapte sponte manantes, crede naturam admonere te tui officii. Alioqui cùm infans iam fari meditabitur, ac blandâ balbutie te mammam vocabit: quâ fronte hoc audies ab eo, cui mammam negaris, & ad conductitiam māmam relegaris, perinde quasi capræ aut ovi subiecisses? Vbi iam erit fandi potens, quid si te pro matre vocet semimatrem? Virgam expedies, opinor. Atqui vix semimater est, quæ recusat alere, quod peperit. Potior genituræ pars est nutricatio teneri puelli. Alitur enim non solùm lacte, sed & fragrantiâ materni corporis: requirit eundem liquorem iam notum & familiarem, quem hausit in corpore, & unde coaluit. Atq; ego quidem sum in hac sententia, ut existimem pueris ex lactis natura & indolem vitiari, non aliter, quàm in frugibus & plantis terræ succus mutat ingenium eius, quod alit. An putas temerè vulgò dici: Iste malitiam cum lacte nutricis imbibit? Ne illud quidem opinor, quod Græcis dici solet: Vt nutrices; cùm significant aliquem malè pasci: paululum enim præmansi, in os inserunt infantis, maximam partem deglutiunt ipsæ. Proinde ne peperit quidem, quæ, quod enixa est, mox abiicit. Istuc enim abortire est,

non

non parere. Et in tales fœminas mihi competere Græcorum videtur etymologia, qui μήτης dici putant à μὴ τηρεῖν, hoc est, à non servando. Nam prorsus conductitiam nutricem infantulo adhucà matre nepenti adsciscere genus est expositionis. FA. *Accederem, ni delecta esset mulier, in qua nihil desideres.* EV. *Vt nihil referat, quod lac bibat mollis infantia, quam salivam cum præmanso cibo deglutiat: ut talis contigerit nutrix, qualem haud scio an ulla reperiatur, an putas ullam esse, quæ nutricationis omne tædium devorare possit, quemadmodum mater? sordes, assessiones, vagitus, morbos servandi nunquam satis diligentem curam. Si est, quæ pariter amet ut mater: erit, quæ pariter curet. Quin & illud fiet, ut segniùs amet te filius, nativâ illâ charitate velut in duas matres distractâ, nec tu simili pietate ducéris erga filium, ut iam grandior, minus libenter sit obtemperaturus iussis tuis, & tu frigidius illius curam habitura, in cuius moribus videbis nutricem. Præcipuus autem discendi gradus est mutuus inter docentem ac discentem amor. Ergo, si nihil decesserit illi nativæ pietatis fragrantiæ: faciliùs illi instillabis præcepta rectè vivendi. Neque enim hic parùm valet mater, vel ob hoc, quòd materiam tractet mollissimam, & in omnia sequacem.* FA. *Vt video, non tam facilis est res peperisse, quam vulgus existimat.* EV. *Si mihi parum habes fidei,* 1. Tim. 2. *en tibi Paulus apertè de muliere loquens: Salva, inquit, fiet per liberorum generationem.* FA. *Salva est igitur, quæ peperit?* EV. *Nequaquam: sed addit,*

dit, si liberi permanserint in fide. Nondum absolvisti genetricis munus, nisi primùm tenerum corpusculum filii, mox animum æquè mollem rectâ educatione finxeris. FA. Atqui istuc matribus in manu non est, ut filii perseverent in pietate. EV. Fortassis: sed tantum habet momenti vigilans admonitio, ut Paulus existimet matribus imputandum, si liberi degenerent à piis moribus. Denique si præstiteris quod in te situm est, Deus opem suam coniunget cum tua diligentia. FA. Mihi quidem, Eutrapele, tua persuasit oratio, si queas idem persuadere parentibus & marito. EV. Istuc ad me recipio, modò tu me tuo iuves suffragio FA. Polliceor. EV. Sed licétne videre puellum? FA. Licet maximè. Heus Syrisca, voca nutricem unà cum infante. EV. Scitus admodùm puer. Vulgò dicitur, veniam deberi primùm experienti. At tu primâ statim experientiâ summam artis expressisti. F. Non est sculptilis imago, ut arte sit opus. EV. Verum, sed fusile sigillum est. Vtcunq; res habet felicissimè cecidit: utinam pari felicitate cadant imagines, quas intexis aulæis. FABVL. At tu contrà felicius pingis, quàm gignis. EV. Sic visum est naturæ cum omnibus paria facere. Quàm solicita est natura, ne quid pereat. Duos homines in uno repræsentavit, nasus & oculi patrem referunt, frons ac mentum matrem exprimunt. An tu posses hoc tam charum pignus alienæ fidei concredere? Mihi bis crudeles videntur esse, quæ id facere sustinent. Quandoquidem non solùm faciunt id infantis, quem ablegant, periculo, verùm-

etiam

etiam suo: propterea quòd in his lac, aversione corruptum sæpenumero periculosos morbos pariat. Itaq; fit, ut dum unius formæ corporis consulunt, parùm consulant duorum corporum vitæ: dúmque cavent, ne contingat præproperum senium, coniiciunt sese in mortem præproperam. Quod est inditum puero nomen? FA. *Cornelius.* EV. *Hoc erat nomen avi paterni. Vtinam virum integerrimum, & moribus nobis referat.* FA. *Dabitur opera, quod quidem in nobis erit. Sed heus Eutrapele, unum quiddam obnixè te rogarim.* EVT. *Imò puta me tuum esse mancipium: imperabis & impetrabis quæ voles.* FA. *Proinde non prius te* (n) *manumittam, quàm hoc mihi beneficium cœptum absolvas.* EV. *Quodnam?* FA. *Vt præscribas mihi primùm quibus rationibus queam infantis valetudini consulere: deinde, cùm erit firmior, quibus rudimentis ad pietatem præparandus sit rudis animus.* EV. *Id faciam lubens, pro mea quidem sapientia, sed proximo colloquio: nunc orator adeo maritum ac parentes.* FA. *Precor exorator ut sies.*

(a) *Cornix*, circulus ferreus, aut aliquid huius loco additum ostio, quo pulsetur, Græci κορώνην vocant, vel ob figuram, vel ob garrulitatem. (b) *Bulimia*, summa fames, ut aliàs dictum. (c) *Anarchia*, cum nullo principe tumultuatur populus. (d) *Tui similes*, id est, ignaviores, ut numerum augeant. Nam alæ & cornua sustinent belli molem. (e) Alludit ad dictum Thrasonis in Eunucho. Act. 4. scen. 7. (f) Vide in hanc rem Phavor. dissertationem apud Gell. lib. 12. cap. 1. (g) *Epiglottis*, est caruncula volubilis, nunc gulam claudens, nunc arteriam asperam.

asperam. (*h*) Vide Galenum de locis adfectis. (*i*) Hoc Apuleius, Lucianum secutus. (*k*) *Locator*, significat esse conductitium. (*l*) Græcis est συνδικάλια vocabulum Philosophis peculiare. Sed Fabulla retorquet ad Iureconsultos, qui distinguunt inter iter, actum & viam. (*m*) Hoc sensit Pythagoras, nec omnino dissimile veri est. (*n*) Manu mittam, quia dixerat se mancipium.

PEREGRINATIO RELIgionis ergò.

MENEDEMVS, OGYGIVS.

ME. *Quid hoc novæ rei? Nónne Ogygium vicinum meum video, iam totos sex menses non visum cuiquam? Interiisse rumor erat. Ipsus est, nisi prorsus hallucinor. Adibo, ac salvere iubebo. Salvus sis Ogygi.* OG. *Salve & tu Menedeme.* ME. *Quæ regio te nobis reddidit incolumem? Nam tristis rumor hic sparserat te navigasse Stygiam paludem.* OGY. *Imò, gratia superis, sic interim valui, ut vix unquam antehac meliùs.* ME. *Ita semper vanitatis coarguius istiusmodi rumores. Sed quid istuc ornatus est? obsitus es conchis* (a) *imbricatis, stanneis & plumbeis imaginibus oppletus undiq;,* (b) *culmeis ornatus torquibus, brachium habet* (c) *ova serpentum.* OG. *Visi D. Iacobum Compostellanum & hinc reversus virginem Parathalassiam apud Anglos præcelebrem: quin potiùs hãc revisi. Nam ante annos tres inviserã.* ME. *Animi gratiâ, ut arbitror.* OG. *Imò religionis causâ.* ME. *Istam opinor religionem docuerunt te Græcæ literæ.* OG. *Mater uxoris voto sese obstrinxerat, ut si filia peperisset masculum*

vitalem, ego divo Iacobo præsens præsenti salutem dicerem, & gratias agerem. ME. Salutasti divum tuo duntaxat & socrus nomine? OG. Imò totius familiæ verbis. ME. Equidem arbitror nihilò minùs salutis futurum fuisse familiæ, etiamsi Iacobum insalutatum reliquisses. Sed obsecro, quid respondit agenti gratias? OG. Nihil, sed offerenti munus, visus est arridere, & capite leviter annuere, simúlque porrexit hoc imbricatum putamen. ME. Cur ista potiùs donat, quàm alia? OG. Quoniam his abundat suggerente vicino mari. ME. O benignum Divum, qui & obstetricatur parturientibus, & operam dat hospitibus? Verùm quodnam istuc novum vovẽdi genus, ut ociosius aliis laborem imponat aliquis? Si tu te voto adstringeres, ut si quod ageres, feliciter cederet, ego ieiunarem bis in hebdomade: an credis me facturum quod vovisses? OG. Non credo, etiamsi tu ipse tuo nomine vovisses. Nam tibi Divis (d) os oblinere ludus. At socrus est, mos gerendus erat. Nosti mulierum adfectus: & mea quoque referebat. ME. Si non præstitisses votum, quid erat periculi? OG. Non poterat me Divus vocare in ius fateor: sed poterat in posterum esse surdus ad vota mea, aut tacitus aliquid calamitatis immittere in meam familiam. Nosti principum mores. ME. Dic mihi, quid valet agitq; vir optimus Iacobus? OGY. Multò frigidiùs solito. ME. Quid est in causa senũ? OG. Nugator, scis Divos non senescere. Verùm hæc nova persuasio, quæ latè per orbem divagatur, facit, ut infrequentiùs salutetur solito: & si qui veniunt, salutant

salutant tantum, nihil, aut quàm minimum donãt: dictitãtes, eam pecuniam rectius collocari in egenos. Me. (e) *Impia persuasio.* Og. *Itaq; tantus Apostolus, qui solet totus gemmis & auro fulgere, nunc stat ligneus, vix sebaceam habens candelam.* Me. *Si verũ est, quod audio, periculum est ne reliquis Divis idem veniat usu.* Og. *Imò circumfertur epistola, quam hac de re scripsit ipsa virgo Maria.* Me. *Quæ Maria?* Og. *Quæ cognomen habet à lapide.* Me. *Apud Rauracos, ni fallor.* Og. *Ea est.* Me. *Lapideam igitur Divam mihi narras. Sed cui scripsit?* Og. *Nomen ipsa indicat epistola.* Me *Per quem missa est?* Og. *Haud dubiè quin per angelum, qui posuerat scriptã in suggesto, unde concionatur is, ad quem scripta est. Et ne quid fraudis suspiceris, videbis epistolam* (f) *αὐτόγραφον.* Me. *Itáne agnoscis manum angeli, qui est Virgini ab epistolis?* Og. *Quid ni?* Me. *Quo tandem argumento.* Og. *Legi epitaphium Bedæ, quod ab angelo insculptum est: elementorum figuræ per omnia congruunt. Legi & syngrapham divo* (g) *Ægidio missam: congruunt. An non hæc satis arguunt rem?* Men. *Fásne est inspicere?* Og. *Fas, si deieres te taciturum.* Me. *Oh, lapidi dixeris.* Og. *Iam sunt* & (h) *lapides hoc nomine infames, quòd nihil celent.* Me. *Muto igitur dicito si lapidi parùm fidis.* Og. *Hac lege recitabo: tu fac utranq; arrigas aurem.* Me. *Arrexi.* Og. *Maria mater Iesu Glaucopluto. S. D. Quòd Lutherum sequutus strenuè suades, supervacaneum esse invocare Divos à me quidem isto nomine bonam magnamq; inisti gratiam, scito.*

Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturq; in sinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neque quicquam ausit negare petenti, videlicet metuens, ne, si quid neget roganti, ego vicissim ipsi negem mammam sitienti. Et nonnunquam ea petunt à Virgine, quæ verecundus iuvenis vix auderet petere à lena, quæque me pudet literis committere. Interim negotiator lucri causâ navigaturus in Hispaniam, committit mihi pudicitiam suæ concubinæ. Et virgo Deo sacra abiecto velo fugam adornans, deponit apud me famam integritatis suæ, quam ipsa tendit prostituere. Occlamat mihi miles impius, & ad lanienam conductus: Beata virgo, da prædam opimã. Occlamat aleator: Fave diva, pars lucri tibi decidetur. Et si parum faveat alea, me cõvitiis lacerant, maléque precantur, quæ non adfuerim sceleri. Occlamat, quæ quæstui turpi semet exponit: Da proventum uberem. Si quid negem, ilicó reclamãt: Ergóne sis mater misericordiæ? Aliorum vota non tam impia sunt, quàm inepta. Clamat innupta: Maria, da mihi formosum ac divitem sponsum. Clamat nupta: Da mihi bellos catulos. Clamat gravida: Da mihi facilem partum. Clamat anus: Da diu vivere sine tussi sitiq;. Clamat senex delirus: Da repubescere. Clamat Philosophus: Da nodos insolubiles nectere. Clamat sacerdos: Da sacerdotium opimum. Clamat Episcopus: Serva meam Ecclesiam. Clamat nauta: Da prosperos

prosperos cursus. Clamat præfectus: Ostende mihi filium tuum, antequam moriar. Clamat aulicus: Da verè confiteri in mortis articulo. Clamat rusticus: Da tempestivam pluviam. Clamat rustica: Serva gregem & armentum incolume. Si quid renuo, ilicò sum crudelis. Si relego ad filium, audio: Vult ille quicquid tu vis. Itáne ego sola & mulier & virgo dabo operam navigantibus, belligerantibus, negociantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, regibus, & agricolis? Atqui quod dixi, minimum est præ his, quæ patior. Sed his negociis nunc multò minus gravor, quo quidem nomine tibi gratias agerem maximas, nisi commodum hoc incommodum maius secum traheret: plus est otii, sed minus est honorum, minus est opum. Antè salutabar Regina cœlorum. Domina mundi: nunc vix à paucis audio: Ave Maria. Antè vestiebar gemmis & auro, abundabam mutatoriis, deferebantur aurea gemmeáque donaria: nunc vix tegor dimidiato palliolo, eóq; corroso à muribus: Proventus autem annui vix tantùm est, ut alam miserum (i) ædituum, qui accendat lucernulam, aut candelam sebaceam. Atq; hæc tamen poterant ferri, ni maiora etiam moliri dicereris. Huc tendis ut aiunt, ut quicquid usquam est Divorum, exigas ex ædibus sacris. Etiam atque etiam vide quid agas. Non deest aliis Divis, quo suam ulciscantur iniuriam. Ejectus è templo Petrus, potest tibi vicissim occludere regni cœlestis ostium. Paulus habet gladiũ. Bartholomæus cultro armatus est. Gulielmus sub pallio monachi

totus armatus est, nonsine gravi lanceâ. Quid autem agas cum Georgio & equite, & (k) cataphracto, hastâ simul & gladio formidabili? Nec inermis est Antonius, (l) habet sacrum ignem. Sunt item & cæteris sua vel arma vel mala, quæ quibus volunt immittunt. Me verò quantumvis inermem non tamen eiicies, nisi simul eiecto filio quem ulnis teneo. Ab hoc me non patiar divelli, aut hunc una mecum extrudes, aut utrunq; relinques, nisi mavis habere templum sine Christo. Hæc te scire volui, tu cogita quid mihi respondendum censeas. Nam mihi planè res cordi est Ex æde nostra lapidea, Calend. Augusti. Anno filii mei passi, M. D. XIX.

Virgo lapidea meâ manu subscripsi.

MEN. *Minax profectò ac formidabilis epistola. Cavebit, opinor, Glaucoplutus.* OG. *Si sapit.* MEN. *Quamobrem non eadem de re scripsit huic optimus ille Jacobus?* OG. *Nescio, nisi quod longiùs abest, & his temporibus intercipiuntur omnes epistolæ.* ME. *Sed quis Deus te redegit in Angliam?* OG. *Ventus illuc invitabat mirè secundus, atq; id propemodùm eram pollicitus divæ Parathalassiæ, me post biennii ipsam revisurum.* ME. *Quid petiturus ab illa?* OG. *Nihil novi, nisi illa vulgaria, familiam incolumem, rem uberiorem, longævam, lætamq; vitam in hoc seculo, & perennem felicitatem in futuro.* ME. *Non poterat eadē præstare virgo mater apud nos. Habet Antverpiæ templum longè augustius, quàm in Parathalasso.* OG. *Haud nego posse: verùm aliis in locis alia largitur: sive sic visum est animo illius, sive ut est benigna,*

benigna, semet in hoc nostris adfectibus accommodat. ME. De Iacobo frequenter audivi: sed obsecro, describe mihi regnum istius Parathalassiæ. OG. Equidem expediam quàm potero paucissimis. Celeberrimum nomen est per universam Angliam, nec temerè reperias in ea insula, qui speret res suas fore salvas, quin illam quotannis aliquo munusculo pro facultatum modulo salutarit. ME. Vbi habitat? OG. Ad extremum Angliæ finem inter occidentem & septentrionem, haud procul à mari, passuum ferè tribus millibus. Vicus est, vix aliâ re victitans, quàm commeantium frequentiâ. Collegium est canonicorum sed quibus à Latinis regulæ cognomen additur, medium genus inter monachos & canonicos, quos Seculares appellant. ME. Amphibios mihi narras, quod genus est fiber. OG. Imò & crocodilus. Sed omissis cavillis, tribus verbis expediam quod vis. In odiosis canonici sunt: in favorabilibus monachi. ME. Adhuc mihi quidem ænigma refers. OG. Quin addam (m) apodixim mathematicam. Si Romanus pontifex fulmine feriat omnes monachos: tum canonici fuerint, non monachi. Sin idem permittit omnibus monachis uxorem ducere: tum fuerint monachi. ME. O novos favores: utinam abducant & meam. OG. Sed ut ad rem. Collegium hoc vix alios habet proventus, quàm ex liberalitate virginis. Nam maiora quidem donaria servantur. Cæterùm si quid est nummorum, aut levioris precii, cedit in alimoniam gregis & præfecti, quem illi priorem vocant. ME. Probæ vitæ? OG. Non illaudatæ: pietate

ditiores, quàm annuo censu. Templum est nitidum & elegans: verùm in eo non habitat virgo, sed illud honoris gratiâ cessit filio. Illa suum habet templum, ut dextra sit filio. MENEDE. *Dextra? Quæ. Quò igitur spectat filius?* OGY. *Benè mones. Cùm occidentem spectat, dextram habet matrem: ubi se vertit ad solis exortum, sinistra est. Nec hîc tamen habitat: nondum enim ædificium est absolutum, & locus est undiq; perflabilis patentibus ostiis, patentibus fenestris: & in propinquo est Oceanus, ventorum pater.* MEN. *Durum: ubi igitur habet illa?* OGY. *In eo templo, quod inabsolutum dixi, est sacellum angustum, ligneo tabulatu constructum, adutrunque latus per angustum ostiolum admittens salutatores. Lumẽ est exiguum, nec ferè nisi ex cereis: fragrat odor naribus gratissimus.* MEN. *Hæc omnia congruunt religioni.* OG. *Imò, si introspicias Menedeme, dicas Divorum esse sedem, adeò gemmis, auro, argentoq; nitent omnia.* ME. *Accendis animum ut eò me conferam.* OG. *Haud te pœnituerit itineris.* MEN. *Nihil est illic olei sacri?* OG. *Inepte, oleum istud non resudat nisi è sepulchris Divorum, velut Andreæ & Catharinæ. Maria sepulta non est.* ME. *Erravi fateor, Sed absolve fabulam.* OG. *Quò latiùs se spargat religio, alia aliis locis ostenduntur.* ME. *Et fortassis ut uberior sit largitio, iuxta illud:*

Fit citò per multas præda petita manus.

OG. *Et nusquam non præstò sunt mystagogi.* ME. *Ex canonicis?* O. *Nequaquã: illi non adhibentur, ne per occasionẽ religionis, alienentur à religione: ac, dũ*

observant

observant virginem, parum ipsi consulant suæ virginitati. Tantum in intimo sacello, quod dixi conclave divæ virginis, adstat altari canonicus quidam. MEN. In quem usum? OGY. Vt recipiat servetq; quod datur. MEN. An dant qui nolint? OGY. Minimè: sed nonnullos pius quidam pudor huc adigit, ut dent adstante quopiam: non daturi, si tectis abesset: aut largiùs dant aliquantò quàm erant daturi. MEN. Adfectum humanum dicis & mihi non inexpertum. OGY. Imò verò sunt quidam adeò dediti sanctissimæ Virgini, ut dum simulant sese minus imponere altari, mirâ dexteritate suffurentur, quod alius posuerat. MEN. Fac nullum adstare, an non in tales illicò fulminaret Virgo? OGY. Quî magis id faceret virgo, quàm ipse pater æthereus, quem non verentur nudare suis ornamentis, vel perfosso templi pariete? MEN. Non satis mihi constat, utrum magis debeam admirari: illorúmne impiam confidentiam, an Dei lenitatem. OGY. Ad latus itaq; septentrionale porta quædam, non templi, ne quid erres, sed septi, quo tota clauditur area templo adiacens. Ea ostiolum habet perpusillum, quale videmus in valvis nobilium, ut qui velit ingredi primùm tibiam periculo exponere cogatur, deinde caput etiam submittat. MEN. Profectò tutum non fuerit ad hostem ingredi per tale ostiolum. OGY. Rectè coniectas. Narrabat mystagogus, olim virum equestris ordinis, equo insidentem, per hoc ostium elapsum è manibus inimici, qui iam fugienti imminebat. Ibi

miser desperans sui, subitâ cogitatione salutem suam commendavit Divæ virgini, quæ erat in proximo. Nam ad huius aram fugere decreverat, si valva patuisset. Et ecce rem inauditam. Subitò totus eques erat intra septa templi, altero frustra foris insaniente. MEN. Et faciebat tam admirandæ narrationis fidem? OGY. Maximè. MEN. Id quidem non admodùm facile apud te hominem philosophum. OGY. Ostendebat in ostio laminam cupream clavis adfixam, quæ habebat imaginem equitis servati, eoq; cultu, quo tum Anglica gens utebatur, quem & in vetustioribus picturis videmus, quæ si non mentiuntur, frigebant id ætatis tonsores, & qui pannos tingunt ac texunt. MEN. Quî sic? OGY. Quia barbatus erat, non aliter quam capræ: & universa vestis nullam habebat rugam, adeoq; non erat maior corpore, ut strictu corpus ipsum redderet angustius. Erat & altera lamina, cellæ figuram ac magnitudinem referens. MEN. Jam dubitare fas non erat. OGY. Subter ostiolum erat cratis ferrea, quæ peditem tantum transmitteret. Non conveniebat ut equus post eum calcaret locum, quem prior eques Virgini consecrasset. MEN. Et meritò. OGY. Hinc ad Orientem est sacellum prodigiis plenum, eò me confero. Excipit alius mystagogus. Illic oravimus paulisper. Mox exhibetur nobis articulus humani digiti, è tribus maximis: exosculor: deinde rogo, cuius sint reliquiæ: ait, Sancti Petri. Num Apostoli, inquam? Aiebat.

Deinde

Deinde contemplans magnitudinem articuli, qui gigantis videri potuerit: Oportuit, inquam, Petrum fuisse virum prægrandi corpore. Ad hanc vocem è comitibus quidam in cachinnum solutus est. Id certè molestè tuli. Nam si is siluisset, ædituus nos nihil celasset reliquorum Eum tamen utcunq; placavimus datis aliquot drachmis. Ante ædiculam erat tectum, quod aiebat, hyberno tempore, cùm nix obtexisset omnia, eò subitò fuisse delatum è longinquo. Sub eo tecto putei duo ad summum pleni: fontis venam aiunt esse sacram Divæ virgini: liquor est mirè frigidus, efficax medicando capitis stomachiq; doloribus. MEN. *Si frigida medetur doloribus capitis & stomachi, posthac & oleum extinguet incendium.* OGY. *Miraculum audis, ô bone: alioqui quid esset miraculi, si frigida sedaret sitim?* MEN. *Et ista sanè est una pars fabulæ.* OGY. *Adfirmabant eum fontem derepente prosiluisse è terra iussu sanctissimæ Virginis. Ego cuncta diligenter circumspiciens, rogabam quot essent anni, quòd ea domuncula fuisset eò deportata: dixit, aliquot seculà. Alioqui parietes, inquam, non præ se ferunt aliquid vetustatis. Non repugnabat. Ne columnæ quidem hæ ligneæ. Non negabat esse nuper positas, & res ipsa loquebatur. Deinde: hæc, inquam, tecti culmina arundineáque materia videtur esse recentior. Adsentiebatur. Ac ne trabes quidem hæ, inquam, transversæ, nec ipsa tigna, quæ culmos sustinent, videntur ante multos annos posita. Annuebat. Atqui cùm iam*

nullæ

nulla casæ pars superesset, Vnde igitur constat, inquam, hanc esse casulam illam è longinquo delatam? MEN. *Obsecro quomodo sese ab hoc nodo expediebat æduus?* OGY. *Scilicet incontanter ille ostendit nobis pervetustam ursi pellem tignis adfixam, ac propemodùm irrisit nostram tarditatem, qui ad tam manifestum argumentum non haberemus oculos. Itaq; persuasi, & tarditatis culpam deprecati, vertimus nos ad cœleste lac Beatæ Virginis.* MEN. *O matrem filii similimam. Ille nobis tantum sanguinis sui reliquit in terris, hæc tantum lactis, quantum vix credibile est esse posse uni mulieri uniparæ, etiamsi nihil bibisset infans.* OGY. *Idem causantur de cruce Domini, quæ privatim ac publicè tot locis ostenditur, ut si fragmenta conferantur in unum, navis onerariæ iustum onus videri possint, & tamen totam crucem suam baiulavit Dominus.* MEN. *An non tibi quoque mirum videtur?* OGY. *Novum fortasse dici possit, mirum nequaquam, quum Dominus, qui hæc auget pro suo arbitrio, sit omnipotens.* MEN. *Piè tu quidem interpretaris: at ego vereor, ne multa, alia fingantur ad quæstum.* OGY. *Non arbitror Deum passurum, si quis ipsum ad istum irrideat modum.* ME. *Imò cùm à sacrilegis spoliatur & mater & filius, & pater, & spiritus, ne tantulum quidem sese commoveant interdum, ut vel nutu, vel crepitu deterreant scelestos Tanta est numinis lenitas.* OGY. *Sic est: sed audi reliqua. Id lac servatur in altari summo, in cuius medio Christus, ad dextram mater honoris*

gratiâ.

gratiâ. Lac enim matrem repræsentat. MEN. Conspicuum est igitur. OGY. Videlicet inclusum crystallo. MEN. Liquidum igitur. OGY. Quid liquidum mihi narras, cùm fusum sit ante annos mille quingentos? Concretum est, dicas cretam tritam, albóq; ovi temperatam. MEN. Quin igitur nudum ostentant? OGY. Ne contaminetur virorum osculis lac virgineum. MEN. Probè dicis. Nam sunt, opinor, qui os admoveant nec purum, nec virgineum. OGY. Vbi nos videt mystagogus, adcurrit, vestem lineam induit, sacram stolam addidit cervici, procubuit religiosè & adoravit, mox nobis lac sacrosanctum osculandum porrexit. Hîc in extremo altaris gradu religiosè procubuimus & ipsi, Christóq; primum salutato, virginem oratiunculâ tali, quam in hoc ipsum pararam, appellavimus. Virgo parens, quæ tuis virgineis uberibus lactare meruisti cœli terræq; dominum, filium tuum Jesum, optamus, ut illius sanguine purificati, proficiamus & nos ad felicem illam infantiam columbinæ simplicitatis, quæ nescia malitiæ fraudis, ac doli, lac evangelicæ doctrinæ concupiscit assiduè, donec proficiat in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi, cuius felici consortio frueris in æternum, cum patre & spiritu sancto. Amen. MEN. Pia sanè deprecatio. Quid illa? OGY. Visus est utergq; annuere, nisi me fallebant oculi. Nam subsilire videbatur sacrum lac, & candidior aliquantò adfulgebat eucharistia. Interim mystagogus ad nos accessit, tacitus quidem, sed tabellam porrigens, qualem

qualem apud Germanos offerunt, qui in pontibus(n) Telos exigunt. MEN. Equidem sæpenumero malè precatus sum illis petacibus tabellis, cùm per Germaniam iter facerem. OGY. Dedimus drachmas aliquot, quas ille obtulit virgini. Mox per interpretem eius linguæ pulchrè peritum, & iuvenem blandæ cuiusdam eloquentiæ (nomen erat, ni fallor, Robertus Aldrisius) percontatus sum, quàm potui belliſimè, quibus argumentis cognitum haberet, hoc esse lac virginis. Id ego sane pio studio scire cupiebam, quo possem impiis quibusdam hæc omnia ridere solitis, os obturare. Primùm (o) mystagogus obductâ fronte obticuit: iussi, ut interpres instaret, sed blandius etiam. Ille verò blandissimè, adeò ut si matrem ipsam nuper perperam talibus verbis appellasset, non fuerit ægrè latura. At mystagogus tanquam adflatus numine quopiam, nos intuens oculis stupentibus, ac velut horrore vocem blasphemam execrantibus: Quidopus, inquit, ista percontari, quum habeatis tabulam authenticam? Et omninò videbatur nos ut hæreticos eiecturus, nisi drachmæ delinissent hominis ferociam. MEN. Quid vos interim? OGY. Nos, quid censes? Non aliter quàm fuste icti, aut fulmine tacti, nosmet illinc subduximus, suppliciter audaciæ veniam comprecati. Sic enim convenit in rebus sacris. Inde proficiscimur ad ædiculam, hospitium divæ virginis. Huc euntibus aperit sese quidam hierophanta, ex illis minoribus, nosq; veluti oscitans intuetur: aliquantum progressis, occurrit

al. noscitans

currit alius, itidem contemplans nos. pòst etiam tertius. MEN. Fortasse cupiebant depingere. OGY. At ego longè diversum suspicabar. ME. Quid istuc? OG. Sacrilegum quempiam suppilasse nonnihil ex (p) mundo sacræ virginis, & in me suspicionem intentam esse. Itaque sacellum ingressus, tali precatiunculâ saluto matrem virginem: O sola fœminarùm omnium mater & virgo, mater felicissima, virgo purissima, nunc te puram impuri visimus, salutamus, donariolis nostris utcunq; colimus: utinam donet nobis filius tuus, ut sanctissimos tuos mores imitantes, mereamur & nos per spiritus sancti gratiam spiritualiter dominum Jesum intimis animi visceribus concipere, semelq; conceptum nunquam amittere. Amen. Simulq; exosculatus aram, deposui drachmas aliquot, & abii. ME. Quid hîc virgo? Nullóne nutu dedit signum auditæ precatiunculæ? OG. Lumen, ut dixi, erat ambiguum, & illa stabat in tenebris ad dextrum latus altaris. Postremò, me sic deiecerat oratio prioris mystagogi, ut non auderem oculos attollere. MEN. Istius igitur profectionis non erat admodùm lætus exitus. OGY. Imò multò lætissimus. MEN. Reddidisti animum: nam mihi quoque (q) cor in genua deciderat, ut tuus loquitur Homerus. OG. A prandio repetimus templum. MEN. Audebas suspectus sacrilegii? OG. Fortassis: sed ipse mihi suspectus non eram. Nescit pavorem mens sibi bene conscia. Trahebat me tabulæ visendæ cupiditas, ad quam mystagogus nos relegârat. Eam diu quæsitam,

sitam, tandem invenimus, verùm in alto defixam, ut non à quibuslibet oculis legi posset. Mihi tales sunt oculi, ut nec Lynceus dici possim, nec omninò luscioſus. Itaque legentem Aldriſium oculis obiter adſectatus ſum, nec illi ſatis fidens in re tanta. MEN. *Excuſſa eſt omnis dubitatio?* OGY. *Puduit me mei, qui ſubdubitaſſem, adeò res tota illic ponebatur ob oculos, nomen, locus, res, ut erat ordine geſta: breviter, nihil omiſſum. Dictus eſt Guilhelmus Lutetiæ natus, vir pius, cùm alias tùm præcipuè religioſus in conquirendis toto orbe Divorum reliquiis. Is peragratis regionibus plurimis, monaſteriis ac templis undique luſtratis, tandem pervenit Conſtantinopolim. Nam huius Guilhelmi frater illîc agebat epiſcopum. Is iam adornantem reditum admonuit eſſe virginem quandam Deo dicatam, quæ lac haberet virginis matris. abundè felicem futurum, ſi vel precario, vel pretio, vel arte portionem aliquam poſſet nanciſci. Nam cæteras reliquias omnes, quas hactenus collegerat, nihil eſſe ad tam ſacrum lac. Ibi Guilhelmus non conquievit, donec exorat dimidium eius lactis. Eo theſauro plus quàm Cræſus ſibi videbatur.* MEN. *Quidni, & quidem præter ſpem?* OGY. *Rectà domum properat: in itinere morbus occupat.* MEN. *Vt nihil eſt in rebus humanis nec diu, nec undiquaq; felix!* OGY. *Vbi videret periculum, acerſit clàm Gallum fidiſſimum eius peregrinationis comitem. Et religioſè ſtipulatur ſilentium: committit illi lacteā lege, ut ſi incolumis domum redeat, deponat eum theſau-*

thesaurum in ara divæ virginis, quæ colitur Lutetiæ in augusto templo, utrinque Sequanam præter labentem intuens, & amnis ipse videtur honoris gratiâ decedere numini virginis. Vt rem in pauca conferam, sepultus est Guilhelmus: alter properat, & hunc morbus corripit. Is desperans sui, tradit Anglo comiti lac, sed multis obtestationibus adstricto, ut faceret quod fuerat ipse facturus. Moritur hic, recipit ille, & in arâ deponit lac, Canonicis eius loci præsentibus, qui tum temporis adhuc dicebantur regulares, quales adhuc sunt apud divam Genovefam. Ab his impetravit lactis dimidium. Id delatum in Angliam, tandem in Parathalassum detulit huc vocante mentem illius adflatu spiritus. MEN. Pulchrè certè sibi constat hæc narratio. OG. Immò ne qua residere posset dubitatio, adscripta erant nomina Episcoporum à suffragiis, qui lac illud invisentibus non absque munusculo, tantum impartierunt relaxationis, quantum ex suo (r) dimenso largiri possunt. MEN. Quantum id est? OGY. Dierum quadraginta. ME. Etiam apud (s) inferos dies est? OG. Certè tempus est: ME. Vbi totum hoc dimensum semel fuerint elargiti, non supereſt quod largiantur? OG. Minimè: subscatet enim subinde quod dent, ac planè diversum quiddam accidit hîc atque in dolio (t) Danaidum. Illud enim quum continenter impleatur, semper tamen inane est: hinc si semper haurias, nihilo tamen minus est in dolio. ME. Si centum hominum millibus largiantur quadraginta, singuli tantundem habent? OG. Tantundem.

(t) Danaides à S. Danai filiis Ffap. infer. ME. Hilanthibg stulis aquam in dolio plusq̃ haurire fingunt. Hinc Ad b. Danaidū implere dolia. i.e. opam ludere.

MEN. *Et si qui ante prandium acceperunt quadraginta, rursus sub cœnam poscerent quadraginta, præstóne esset quod daretur?* OGY. *Imò si horâ eâdem decies.* MEN. *Vtinam mihi tale scriniolum esset domi, non optarim nisi tres drachmas modò sic scateant.* OGY. *Quin optas ut totus fias aureus, tantundem accepturus ex voto. Verùm ad fabulam redeo. Addebatur & illud pii cuiusdam candoris argumentum: lac virginis quod aliis compluribus in locis ostendebatur, satis quidem esse venerandum: hoc tamen cæteris esse venerabilius, quod illa abraderentur à saxis: hoc ex ipsis virginis uberibus effluxisset.* MENE. *Vnde id constabat?* OG. *Oh, narrárat hoc virgo Constantinopolitana, quæ lac dederat.* ME. *Et illi fortasse communicarát divus Bernhardus.* OG. *Sic arbitror.* MEN. *Cui natu grãdi contigit gustare lac ex eadem mamma, quam suxit puer Iesus. Vnde miror illum mellifluum dici potiùs quàm lactifluum. Sed quomodo lac virginis dicitur, quod non fluxit ex uberibus?* OG. *Fluxit & illud: sed saxo, cui fortè lactans insidebat, exceptum concrevit: deinde, volente Deo sic multiplicatum est.* MEN. *Rectè, perge.* OG. *His itaque peractis, dum paramus abitum, obambulantes interim, & si quid offerretur spectatu dignum, circumspectantes, rursum adsunt mystagogi, (u) limis intuentur, digito subnotant, accurrunt, abeunt, recurrunt, nutant, videbantur compellaturi, si fuisset audaciæ satis.* MEN. *Nihil ibi metuebas?* OG. *Imò faciem illis obverti, sic arridens ac intuens, quasi ad compel-*

compellandum invitarem. Tandem unus aggressus, rogat quod mihi nomen esset? edo: Num is essem, qui ante biennium adfixisset votivã tabellam literis Hebraicis? Fatebar esse me. MENE. Scribis Hebraicè? OG. Minimè: Sed isti quicquid non intelligunt, Hebraicum vocant. Mox accersitus, ut conticio, venit illius collegii πρῶτος ὕστερος. MEN. Quod istuc dignitatis nomen est? Non habent Abbatem? OGY. Non. MEN. Curita? OG. Quia nesciunt Hebraicè. MEN. Non episcopum? OG. Nequaquam. MEN. Quamobrem? OGY. Quia virgo pauperior etiamnum est, quàm ut emat pedum ac mitram nimio venalem. MEN. Non saltem præpositum? OGY. Ne id quidem. MENE. Quid obstat? OG. Quia præpositus dignitatis est nomen non sanctimoniæ. Et ideò Canonicorum collegia nomen Abbatis reiiciunt, præpositi libenter amplectuntur. MEN. Atqui πρῶτον ὕστερον antehac audivi nunquam. OG. Nætu magnoperè rudis es Grammatices. ME. ὕστερον πρῶτον novi in tropis. OG. Tenes. Hic qui priori proximus est, prior est posterior. ME. Subpriorem dicis. OGY. Is me salutavit satis humaniter. Narrat quantoperè sudatum sit à multis, ut versus eos legerent: quot frustra extersa perspicilla. Quoties advenisset aliquis vetustus Theologiæ aut Iuris doctor, adductus est ad tabellam: alius dicebat esse literas Arabicas, alius fictitias: tandem repertus est, qui legeret titulum. Is descriptus erat verbis ac literis Romanis, sed mauusculis. Græci versus erant descripti

Græcis maiusculis, quæ primâ specie videntur referre maiusculas Latinas. Rogatus descripsi sententiam carminum Latinè, verbum verbo reddens. Huius opellæ cùm præmiolum oblatum constanter recusarem, adfirmans, nihil esse tam arduum, quod in virginis sanctissimæ gratiam non essem cupidissimè facturus, etiamsi literas iuberet illinc perferre Hierosolymam. ME. *Quid opus te grammatophoro, quum illi tot angeli adsint à manibus atque à pedibus?* OG. *Ille protulit è crumena ligni fragmentum desectum è trabe, in qua virgo mater visa est consistere. Odor mirus protinùs arguebat esse rem oppido sacram. Ego verò tam insigne munus pronus & nudato capite summa cum veneratione tér, quatér, exosculatus reposui in crumenã.* ME. *Licétne videre?* OG. *Per me quidem licebit. Cæterùm si ieiunus non es, aut si nocte proximâ fuit tibi res cum uxore, non suaserim ut videas.* MEN. *Ostende, nihil periculi.* OG. *En tibi.* ME. *O te beatum isto munere!* OG. *Ego, ne sis insciens, non permutarim hoc tantillum fragmentulum cum universo auro (x) Tagi: includam auro, sed sic, ut per crystallum pelluceat. Tum Hysteroprotus, ubi me videt tam religiosè gestientem eo munusculo, iudicans non indignũ cui maiora quoq, committerẽtur, rogat, num quando vidissem* secreta virginis. *Ea vox me nonnihil commovit, non tamen ausus sum percontari, quæ diceret secreta virginis. Siquidem in rebus tam sacris etiam linguæ lapsus non vacat periculo. Nego me vidisse; sed videndi cupidissimum esse dico. Inducor*

ducor iam velut afflatus numine. Accenditur una atque altera tæda cerata, ostenditur imaguncula nec magnitudine, nec materiâ, nec opere præcellens, sed virtute pollens. MEN. Moles non multum habet momenti ad edenda miracula. Vide Christophorum Lutetiæ non (y) hamaxiæum aut (z) colossæum, sed monti iusto parem, nullis tamen illic, miraculis nobilem, quod quidem audierim. OGY. Ad pedes Virginis est gemma, cui nondum apud Latinos aut Græcos nomen inditum, Galli à buffone dederunt nomen, eò quòd buffonis effigiem sic exprimat, ut nulla ars idem possit efficere. Quódque maius est miraculum, pusillus est lapillus, non prominet buffonis imago, sed in ipsa gemma velut inclusa pellucet. MEN. Fortassis imaginantur buffonis similitudinem, quemadmodum in secta filicis stirpe imaginamur aquilam. Et quemadmodum pueri quid non vident in nubibus? dracones ignem spirantes, montes igni candentes, armatos concurrentes. OG. Imò, ne sis nesciens, nullus buffo vivus evidentius exprimit seipsum, quàm illic erat expressus. MEN. Hactenus pertuli fabulas tuas: posthac alium quære, cui persuadeas de buffone. OG. Nihil mirum est Menedeme, te sic affectum esse. Nec mihi quisquam persuasurus erat, etiamsi totus ordo Theologorum asseverasset, nisi his oculis, hisce, inquam, oculis vidissem, intuitus essem, comperissem. Sed interim mihi videris satis incurius rerum naturalium. MEN. Quamobrem? quia non credo volare asinos? OGY. An non vides quàm ludat artifex natura in

Gallicè Crapaudine Græcè, βάτραχος. Lat. Batrachites. It. Buffonia. Germ. Krotenstein.

omnium rerum coloribus ac formis exprimendis, quum aliis quidem in rebus, sed præcipuè in gemmis? deinde, quàm admirandas vires gemmis illis indiderit prorsus incredibiles, ni cominus experientia faceret nobis fidem? Dic mihi, crediturus eras chalybem intactum à magnete attrahi, & rursus ab eodē depelli sine contactu, nisi vidisses oculis? ME. Profectò nunquam, etiamsi decem Aristoteles mihi deieraſſent. OS. Ne protinus igitur fabulosum clames, si quid audis nondum experimento compertum. In (i)ceraunia fulminis videmus imaginem: in pyropo vivum ignem, in chalazia grandinis & speciem & rigorem, etiamsi conicias in medium ignem: in smaragdo profundas ac pellucidas maris undas: carcinias cancri marini speciem imitatur, echites, viperæ, scarites scari piscis, hieracites accipitris, geranites gruis collum effictum exhibet, ægophthalmus caprinum oculum ostendit: est qui suillum, est qui tres simul hominis oculos: lycophthalmus lupi pingit oculum quatuor coloribus, rutilo & sanguineo, in medio nigrum candido cingitur: cyameam nigram, si aperias, fabam in medio reperies: dryites truncum arboris effingit, & ligni in modum ardet quoque: cißites & narcißites hederam pingit: astrapias fulminis radios è medio candido seu cyaneo iaculatur: phlegontites incendium intus ostendit, quod non exeat: in anthracitide videas scintillas quasdam discurrere: crocias croci colorem reddit, rhodites rosæ, chalcites æris, aëtites aquilam exprimit, candâ candicante: taos pavonis

picturam

picturam habet, chelidonia aspidis: myrmecites innatam habet formicæ repentis imaginem: cantharias scarabeum totum exprimit: scorpites scorpium mirè depingit. sed quid ego hæc prosequor, quæ sunt innumera? quum nulla sit naturæ pars vel in elemẽtis, vel in animantibus, vel in plantis, quam illa veluti lasciviens non expresserit in Gemmis? Miraris in hac gemma buffonem expressum? MEN. Miror naturæ tantum esse otii, ut sic ludat omnium rerum imitatione. OGY. Voluit exercere curiositatem humani ingenii, nosq; vel sic ab otio propellere. Et tamen, quasi nihil sit quo fallamus tædium temporis, insanimus in moriones, in aleas, in præstigiarum ludibria. MENEDE. Verissima prædicas. OG. Addunt quidam non leves, hoc gemmarum genus, si admoveas aceto, innatare, motis etiam membris. MENE. Cur buffonem addunt virgini? OGYG. Quia hæc spurcitiem omnem, virulentiam, fastum, avaritiam, & quicquid est terrenarum cupiditatum, vicit, calcavit, extinxit. MEN. Væ nobis qui tantum buffonem geramus in pectore. OG. Puterimus, si sedulò colamus Virginem. ME. Quomodo gaudet coli? OG. Gratissimum illi cultum præstiteris, si fueris imitatus. ME. Numerò (2) dixisti: sed istuc per difficile est. OG. Est sanè, sed idem pulcherrimum. ME. Age, perge quod cœperas. OG. Deinde commonstrat aureas argẽteasq; statuas. Hæc inquit, merè aurea est, hæc argentea inaurata: addit singulis põdus, pretium, ac doni autorem. Cùm ad singula mirabũdus gratularer virgini tam beatã opulentiã,

Mystagogus quoniam, inquit, video te pium spectatorem, non arbitror æquum, ut te quicquam celem, videbis, quæ virginis sunt secretissima: simulq; depromit ex ipso altari mundum rerum admirabilium, cuius singulas partes si pergam recensere, dies hic non suffecerit narrationi. Sic illa sanè peregrinatio mihi felicissimè cessit. Expletus sũ affatim spectaculis: & hoc inæstimabile donum mecum aufero, pignus ab ipsa virgine datum. ME. *Nullúmne feceris periculum quid valeat lignum tuum?* OG. *Feci in diversorio quodam ante triduum reperi quendam mente captum, cui iam parabantur vincula: lignum hoc suppositum est illius cervicali clàm ipso: obdormiit sõmno profundo pariter ac prolixo: mane surrexit integræ mentis.* ME. *Non fuerat phreneſis, sed (ʒ) parœnia fortassis. Huic malo solet mederi somnus.* OG. *Cùm libebit iocari Menedeme, fac aliũ tibi quæras mater iam: in Divos iocis ludere, nec piũ est, nec tutum. Imò vir ipse narrabat, sibi in somnis apparuisse mulierem admirãdâ specie, quæ poculum ipsi porrexerit.* ME. *Elleborum opinor.* OG. *Istuc incertum est, illud certissimum, hominem mentis esse compotem.* ME. *Præteristi Thomã Cantuariensem Archiepiscopũ?* OG. *Minimè gentium. Nulla peregrinatio religiosior.* M. *Audire gestio, nisi molestũ est.* OG. *Imò te quæso, ut audias. Cantiũ dicitur ea pars Angliæ, quæ Galliam & Flandriã spectat. Huius metropolis est Cãtuaria. In ea sunt duo monasteria penè contigua, utrunq; Benedictinos habet. Id quod habet D. Augustini titulũ, videtur antiquius hoc, quod nũc*

appellatur

appellatur divi Thomæ, sedes Archiepiscopi fuisse videtur, ubi cum paucis electis monachis vitam ageret, quemadmodũ & hodie præsules habent ædes ecclesiæ contiguas, sed ab ædibus reliquorũ Canonicorum sẽmotas. Olim enim ferè tum episcopi, tum canonici monachi erant. Id arguunt manifesta rerum vestigia. Templum autem divo Thomæ sacrum tantâ maiestate sese effert in cœlum: ut procul etiam intuentibus religionem incutiat. Itaq; nunc suo splendore vicini luminibus officit, & locum antiquitùs religiosissimum veluti obscurat. Turres sunt ingentes duæ, procul veluti salutantes advenas, miroq; nolarum æneārum boatu longè lateq; regionem vicinam personantes. In vestibulo templi, quod est ad austrum, stant saxo sculpti tres armati, qui manibus impiis virum sanctissimum trucidarunt: addita sunt gentis cognomina Tusci, Fusci, Berri.

MENE. Cur tantum honoris habetur impiis?

OGY. Videlicet idem honoris habetur iis, quod habetur Iudæ, Pilato, Caiphæ, cohorti militum sceleratorum, quos operosè sculptos vides in auratis altaribus. Adduntur cognomina, ne quis posthac usurpet gloriæ causâ. Ingeruntur oculis, ne quis aulicus posthac iniiciat manus vel in episcopos, vel in possessiones ecclesiæ. Nam tres illi satellites à peracto facinore versi sunt in rabiem, nec reddita mens est, nisi implorato Thomæ sanctissimi favore.

MENE. O perpetuam martyrum clementiam!

OGY. Ingressis aperit sese speciosa quædam ædificii maiestas. Ea pars quoslibet recipit.

MEN. Ni-

hîne illic visendũ? Og. Nihil præter structuræ molem, & libros aliquot columnis affixos, in quibus est Evangelium Nicodemi & sepulchrum nescio cuius. Me. Quid deinde? Og. Cancelli ferrei sic arcent ingressum, ut conspectum admittant eius spacii, quod est inter extremam ædem & chori, quem vocant, locum. Ad hunc conscenditur multis gradibus, sub quibus testudo quædam aperit ingressum ad latus septentrionale. Illic ostenditur altare ligneum divæ virgini sacrum pusillum, nec ullâ re visendum, nisi monumento vetustatis, luxum hisce temporibus exprobrãte. Illic vir pius dicitur extremum Vale dixisse virgini, cùm mors immineret. Ara est cuspis gladii, quo præfectus est vertex optimi præsulis, ac cerebrum contusum, videlicet quo mors esset præsentior. Huius ferri sacram rubiginem amore martyris religiosè sumus exosculati. Hinc digressi subimus (4) cryptoporticum, ea habet suos mystagogos: illic primùm exhibetur calvaria martyris perforata: reliqua tecta sunt argento: summa cranii pars nuda patet osculo. Simul ostenditur plumbea lamina Thomæ Acrensis titulum habens insculptum. Pendent ibidem in tenebris induvia cilicina, cingula, subligariaq; quibus antistes ille subigebat carnem suam, ipso aspectu horrorem incutientia, nobisq; mollitiem ac delitias nostras exprobrantia. Men. Fortassis & monachis ipsis. Ogy. Istac de re nec adfirmare possim, nec negare: nec refert quidem mea. Men. Vera narras. Ogy. Hinc redimus in chori locum.

Ad

Ad latus septentrionale reserantur arcana: dictu mirum, quantum ossium illinc prolatum sit, calvaria, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus adoratis fiximus oscula: nec erat futurus finis, nisi qui mihi tum comes erat eius peregrinationis parum commodus, interpellasset ostentandi studium. MEN. *Quis iste?* OGY. *Anglus erat nomine Gratianus Pullus, vir eruditus ac pius, sed minus affectus erga partem hanc religionis, quàm ego volebam.* ME. *Vicievita quispiam, opinor.* OGY. *Non arbitror, etiamsi libros illius legerat, incertum unde nactus.* MEN. *Is offendit mystagogum?* OGY. *Prolatum est brachium adhuc carnem habens sanguinolentam: huius osculum exhorruit, ac vultu quoque tædium quoddam præ se ferebat. Mox sua recondidit mystagogus. Hinc spectavimus altaris tabulam & ornamenta, quæ mox sub altari fuerant recondita, opulenta omnia: diceres Midam & Crœsum fuisse mendicos, si spectares vim auri atque argenti.* MEN. *Hîc nihil osculorum?* OGY. *Non. sed aliud votorum genus tetigit animum meum.* ME. *Quodnam?* OG. *Suspirabam, domi meæ nihil esse talium reliquiarum.* ME. *Sacrilegum votum.* O. *Fateor, & supplex veniam precatus sum à Divo priùs quàm pedem efferrem templo. Post hæc ducimur in sacrarium. Deus bone, quæ illic pompa vestium holosericarum, quæ vis candelabrorum aureorum? Ibidem vidimus pedum divi Thomæ. Videbatur arundo laminâ arẽteâ obvestitâ, minimũ erat pon-*

ponderis, nihil operis, nec altius quàm usq; ad cingulum. MEN. *Nulla crux?* OGY. *Nullam vidi. Ostensum est pallium holosericum quidem, sed crasso filo, nullo auro, gemmisq; insigne. Aderat & sudarium, sudoris ex collo contracti, manifestasq; sanguinis notas retinens. Hæc vetustæ frugalitatis monumenta libenter sumus osculati.* MEN. *Ista non ostenduntur quibuslibet.* OGY. *Nequaquam, ô bone.* MEN. *Vnde tibi tantum est habitum fidei, ut nihil arcani celetur?* OGY. *Erat mihi nonnihil notitiæ cum R. P. Guilhelmo Vuaramo archiepiscopo, is me tribus verbis commendavit.* MEN. *Ex multis audio virum singulari præditum humanitate.* OGY. *Quin potius dicas ipsam esse humanitatem, si nôris. Tam ea doctrina, ea morum synceritas, ea vitæ pietas, ut nullam absoluti præsulis dotem in eo desideres. Ab his igitur deducimur ad superiora. Nam post altare summum rursus velut in novum templum ascenditur. Illic in sacello quodam ostenditur tota facies optimi viri inaurata, multis gemmis insignita. Hic casus quidam inopinatus penè totam illam felicitatem interturbavit.* MEN. *Expecto quid mali dicas.* OGY. *Hic minimum iniit gratiæ comes meus Gratianus. Is à precatiuncula rogavit mystagogum assessorem. Heus, inquit, bone pater, verúmne est, quod audio Thomam dum viveret, fuisse benignissimum erga pauperes? Verissimum, inquit ille: cœpitq; multa de illius erga tenues beneficentia commemorare. Tum Gratianus. Non arbitror*

eum

eum adfectum in illo mutatum esse, nisi fortè in melius. Assensus est mystagogus: Rursum ille: Quum igitur vir sanctissimus tam liberalis fuerit in egenos, cùm adhuc pauper esset, & ipse præsidiis pecuniarum egeret, ob corpusculi necessitatem: an non putas æquo animo laturum, nunc quum tam opulentus sit, nec ullius egeat, si qua mulier pauperecula, domi habens liberos famelicos, aut filias ob dotis inopiam de pudicitia periclitantes, aut maritum morbo decumbentem, omnibusq; præsidiis destitutum, precata veniam, detrahat ex his tantis opibus aliquam particulam sublevandæ familiæ, velut à volente sumens vel dono, vel mutuo? Ad hæc cùm nihil responderet assessor capitis aurei: Gratianus ut est vehemens. Ego, inquit, planè confido, sanctissimum virum etiam gavisurum, quod mortuus quoque suis opibus sublevaret inopiam pauperum. Ibi mystagogus corrugare frontem, porrigere labra: Gorgoneis oculis nos obtueri, nec dubito quin sputo convitiisq; nos ejecturus fuerit è templo, nisi cognovisset, nos ab Archiepiscopo commendatos. Equidem utcunque placavi blandis verbis iram hominis, negans Gratianum quicquam horum ex animo loqui, sed suo more ludere, simulq; drachmas aliquot deposui. MEN. Ego sanè tuam pietatem vehementer approbo. Verùm mihi nonnunquam seriò venit in mentem, quo colore possint excusari à crimine, qui tantum opum insumunt templis extruendis, ornandis, locupletandis, ut nullus omninò sit modus. Fateor in sacris vestibus, in vasis templi

pli, deberi cultui solenni suam dignitatem: volo & structuram habere maiestatem suam: Sed quorsum attinent tot Baptisteria, tot candelabra, tot statuæ aureæ? quorsum organorum, quæ vocant, immensi sumptus? nec unicis interim contenti sumus: quorsum ille musicus hinnitus, magno censu conducendus: quum interim fratres & sorores nostræ, vivaq; Christi templa siti fameq; contabescant. OGY. In his quidem nemo vir pius ac prudens modum non desiderat: verùm quoniam hoc vitium ex immodicâ quâdam pietate nascitur, favorem promeretur, præsertim quoties in mentem venit diversus morbus istorum, qui templa suis opibus spoliant. Ista ferè donantur à potentibus ac monarchis, deteriùs peritura in aleam ac bellum. Et si quid hinc alienes, primùm habetur pro sacrilegio: deinde contrahunt manus suas, qui dare solent, insuper & invitantur ad rapinam. Igitur harum rerum magis illi custodes sunt, quàm domini. Denique mallem videre templum sacrâ supellectile luxurians quam, ut sunt quædam, nuda, sordida, stabulis equorum similiora, quàm templis. MEN. At legimus olim laudatos episcopos, qui vasa sacra divendiderunt, eâ pecuniâ subvenerunt egenis? OGY. Laudantur & hodie, sed laudantur tantum: imitari nec licet nec libet opinor. MEN. Remoror tuam narrationem. Nunc expecto fabulæ catastrophen. OGY. Accipe: paucis expediam. Inter hæc prodiit summus ille Mystagogus. MEN. Quisnam? Abbas loci? OGY. Mitram habet,

habet, census habet abbaticos, solo nomine caret, & prior dicitur, ob id, quod Archiepiscopus Abbatis loco est. Nam antiquitùs quisquis erat eius ditionis Archiepiscopus, idem erat & Monachus. MEN. Equidem vel Camelus appellari sustineam, si census esset Abbate dignus. OGY. Mihi quidem visus est vir pius iuxta ac prudens, neque Scotica Theologiæ rudis. Is nobis aperuit thecam, in qua reliquum sancti viri corpus quiescere dicitur. MEN. Vidisti ossa? OGY. Id quidem fas non est, nec liceret, nisi admotis scalis: sed auream thecam theca contegit lignea: ea funibus sublata, opes nudat inæstimabiles. MEN. Quid audio? OG. Vilissima pars erat aurum: gemmis raris ac prægrandibus collucebant, nitebant, ac fulgurabant omnia: quædam superabant ovi anserini magnitudinem. Ibi multa cum veneratione circumstabant aliquot monachi: sublato tegumento adoravimus omnes. Prior candidâ virgâ demonstrabat contactu singulas gemmas, addens nomen Gallicum, precium & authorem doni. Nam præcipuas monarchæ dono miserat. MEN. Oportuit illum esse præditum insigni memoriâ. OGY. Rectè coniectas: quanquam iuvat & exercitatio: frequenter enim hoc agit. Hinc reducit in cryptoporticum. Illic domicilium habet virgo mater, sed sub-obscurum, semel atq; iterum ferreis cancellis circumsepta. MEN. Quid metuit? OG. Nihil opinor, nisi fures. Nec enim unquam vidi quidquam divitiis onustius. MEN. Cæcas mihi divitias narras. OGY. Admotis lucernis vidimus plusquam

regale

regale spectaculum. MEN. *Vincit opibus Parathalassiam?* OGY. *Specie longe superat: abstrusa novit ipsa. Hæc non ostenditur, nisi magnatibus, aut præcipuis amicis. Postremò reducimur in sacrariũ: illic detractum est scrinium nigro contectum corio: depositum est in mensam, apertum est, mox omnes flexis genibus adorarunt.* MEN. *Quid inerat?* OGY. *Fragmenta quædam linteorum lacera, pleráque mucci vestigium servantia. His, ut aiebant, vir pius extergebat sudorem à facie sive collo, pituitam à naribus, aut si quid esset similium sordium, quibus non vacant humana corpuscula. Ibi meus Gratianus rursus non optimam iniit gratiam. Huic & Anglo & noto, nec mediocris authoritatis viro Prior benignus unum è linteolis obtulit dono, credens sese munus longè gratissimum offerre. Sed Gratianus hic parum gratus, non sine fastidii significatione digitis contrectavit unum, & contemptim reposuit, porrectis labiis, veluti popysmum imitans. Nam hic illi mos erat, si quid offenderet, quod tamen contemnendum esse iudicaret. Meum animum simul & pudor & timor discrutiabant. Prior tamen, ut est homo non stupidus, dissimulabat hoc factum, nosq; post oblatum vini poculum, humaniter dimisit. Cùm rediremus Londinum.* MEN. *Quid oportuit, quum iam non procul abesses à littore tuo?* OGY. *Sic est. Sed ego littus illud perquàm lubens fugi, magis infame fraudibus ac rapinis, quàm ullæ sunt Maleæ naufragiis. Dicam quod proximâ vidi traiectione. Com-*

ne. Complures à littore Caletiensi scalmo deveheba-
mur ad navem maiorem. In his erat Gallus quidam
iuvenis pauper ac pannosus. Ab hoc exigunt dimi-
dium drachmæ. Tantum enim extorquent à singu-
lis ob brevissimam vectionem. Ille excusabat pauper-
tatem: isti per iocum explorant scilicet, ac detractis
calceis, inter suppactas soleas reperiunt decem aut
duodecim drachmas: eas eripiunt palàm ridentes, &
convitiis ludentes in sceleratum Gallum. ME. Quid
iuvenis? OG. Quid aliud? Flebat. ME. Num ex-
auctoritate faciebant ista? OG. Prorsus eâdem,
quâ furantur sarcinas hospitum, quâ tollunt crume-
nas, si quando datur oportunitas. MEN. Mirum
est istos tantum audere facinus, tot testibus conscriis.
OG. Sic assueverunt, ut rectè fieri putent. Spectà-
bant è maiore navi complures: in cymba aderant
aliquot Angli negociatores, qui frustrà obmurmu-
rabant. Illi, velut in re faceta, gloriabantur depre-
hensum sceleratum Gallum. ME. Ego istos mariti-
mos fures lud̃s ac iocans subigerem in crucem. OG.
Atqui talibus scatet utrumq; littus. Hic mihi con-
iecta: Quid domini faciant, ausint cùm talia fu-
res. Proinde posthac quaslibet ambages malim,
quàm illud compendium. Ad hæc, quemadmodum
ad inferos facilis descensus, sed reditus difficillimus:
ita per hoc littus ingressus nõ admodũ facilis, exitus
difficillimus est. Hærebant Londini nautæ aliquot
Antverpienses, cum illis decreveram me Mari com-
mittere. MEN. Habet ea regio nautas adeò sanctos?
OG. Ut simia semper est simia, fateor, ita nauta

semper est nauta: verùm si ad hos conferas, qui rapto vivere didicerunt. Angeli sunt. MEN. *Meminero si quando me quoque libido cæperit eam insulam invisendi. Sed in viam redi, unde te deduxi.* OGYGI. *Ergo Londinum petentibus haud procul à relictâ Cantuaria, occurrit via vehementer cava simul & angusta, præterea declivis sic utrinque abrupto aggere, ut non possis effugere: nec vitari potest, quin hac facias iter. Ad eius viæ lævum latus est mendicabulum aliquot seniculorum: abiis procurrit aliquis, simulatq; sentiunt advenientem equitem: conspergit aquâ sacrâ, mox offert calcei summam partem obvinctam æreo circulo, in quo vitrum est gemmæ specie. Exosculati dant nummulum.* MENEDE. *In eiusmodi via malim mendicabulum seniculorum, quàm gregem valentium latronum.* OGYGI. *Gratianus equitabat mihi sinister, propior mendicabulo: conspersus est aquâ: tulit utcunque. Vbi porrigeretur calceus: rogabat, quid sibi vellet. Ait calceum esse S. Thomæ. Incanduit homo, & ad me versus: Quid, inquit, sibi volunt hæ pecudes, ut osculemur calceos omnium bonorum virorum? Quin eadem operâ porrigunt osculandum sputum, aliáque corporis excrementa: Miserebat me seniculi, datóque nummulo consolatus sum tristem.* MEN. *Meâ sententiâ non omninò præter causam incanduit Gratianus. Si calcei, soleæq; servarentur, ut argumentum frugalis vitæ, non improbarem: cæterùm impudens mihi videtur, soleas, calceos, & subligaria cuiquam osculandæ*

osculanda obtrudere. Nam si quis id suâ sponte faciat ex ingenti quodàm pietatis affectu, veniâ dignum arbitror. OGY. Præstabat ista non fieri, ne quid dissimulem: verùm ex his rebus, quæ subitò corrigi non possunt, soleo si quid inest boni decerpere. Delectabat interim animum meum illa contemplatio, virum bonum esse similem ovi, malum noxiæ bestiæ. Vipera posteaquam periit, mordere quidem non potest, odore tamen sanieq; inficit: ovis cùm vivit, lacte nutrit, lanâ vestit, fœturâ ditat: mortua porrigit utile corium, totáque esculenta est. Itidem viri feroces, & huic mundo dediti, dum vivunt, omnibus incommodi sunt: mortui, strepitu nolarum, ambitiosâ sepulturâ molesti sunt vivis, nõnunquam & successorum inaugurationibus, hoc est, novis exactionibus: probi verò nulla non ex parte magnam omnibus de se præbent utilitatem: velut hic Divus, dum in vivis esset, exemplo, doctrinâ, monitis ad pietatẽ invitabat, consolabatur destitutos, sublevabat egenos: ac mortui penè maior utilitas. Exstruxit hoc locupletissimum templum: sacerdotum ordini per universam Angliam plurimum authoritatis conciliavit. Hoc denique calcei fragmentum alit egenorum conventiculum. ME. Est quidem ista pia contemplatio: sed demiror, te, quum isto sis animo nunquam invisisse antrum sancti Patricii, de quo prodigiosa quædam vulgo iactant, nec mihi satis verisimilia. OG. Imò nulla hic tam prodigiosa potest esse narratio, quin res ipsa superet. ME. Ergò illuc quoque penetrasti? OG. Enavigavi paludem verè

Stygiam, descendi in fauces Averni: vidi quicquid apud inferos geritur. ME. *Bearis me, si non gravaberis referre.* OG. *Sit hoc colloquii nostri proœmiũ, satis, ut arbitror, prolixum: Eo domum, ut iubeam adornari cœnam: nam adhuc impransus sum.* ME. *Cur impransus? num religionis gratiâ?* OG. *Minimè: sed invidiæ causâ.* ME. *Num invides ventri tuo?* OG. *Imò rapacibus cauponibus, qui quum nolint quod æquum est adponere, tamen non verentur ab hospitibus, quod iniquum est, exigere. Eos sic ulcisci soleo. Si spes datur cœnæ lautioris, vel apud notum, vel apud pandocheum paulò minus sordidum, in prandio laborat mihi stomachus. Sin prandium obtulit fortuna, quale volo, sub cœnam incipit dolere stomachus.* ME. *Non pudet videri parcum ac sordidum?* OG. *Menedeme, qui talibus in rebus pudoris impendium faciunt, crede mihi, malè collocant sumptum. Ego meum pudorem aliis usibus servare didici.* ME. *Iam sitio reliquum fabulæ: quare me in cœna expecta convivam: ibi narrabis commodiùs.* OGY. *Equidem habeo gratiam, quòd ultrò temet offers convivam, quum multi vehemẽter rogati pernegent: sed hæc tibi conduplicabitur gratia, si hodie domi cœnes. Nam mihi tempus hoc sumetur salutandæ familiæ. Cæterùm habeo consilium utriq; nostrum commodius. Cras mihi uxoriq; meæ domi tuæ adornato prandium: tum vel usq; ad cœnam proferentur fabulæ, donec te fatearis iam esse saturum: & si voles, ne in cœna quidem te destituemus. Quid scabis caput? Tu para: nos bonâ fide veniemus.* ME.

Malim

Malim ineptas fabulas. Verùm agè, prandiolum dabitur, sed insipidum, nisi tu bonis fabulis condias. OG. *Sed heus tu, nónne titillat te animus, ut has peregrinationes obeas?* ME. *Fortasse titillabit, ubi tu peroraveris: nūc ut affectus sum, sat habeo stationis obire Romanas.* OGY. *Romanas, qui Romam nunquam videris?* MEN. *Dicam. Sic domi obambulo, ingredior conclave, curóq; ut salva sit filiarum pudicitia. Rursus hinc in officinam, contemplor quid agant famuli famulæque. Inde in culinam, circumspiciens si quid opus sit admonitu: hinc aliò atque aliò, observans quid agant liberi, quid uxor, solicitus ut omnia sint in officio. Hæ mihi sunt stationes Romanæ.* OGY. *At ista pro te curaret divus Iacobus.* MENED. *Vt ipse curem ista, præcipiunt sacræ literæ: ut Divis committam, nusquam legi præceptum.*

(*a*) *Imbricatis, i.* imbricum specie variatis, vide Plin. lib. 6. cap. 53. de mirâ varietate concharum. (*b*) *Culmeis* è stramine factis. (*c*) *Ova serpentum*, significat globulos, quibus utuntur ad numerandas preces. Sic enim ova serpentum, cum prodeunt, cohærent. (*d*) *Os oblinere*, pro fallere, vide Chiliades. (*e*) *Impia persuasio* Ironia est, cum sit admodùm pia. (*f*) Id est, ab ipsa scriptam, quemadmodū oracula dicuntur αὐτόφωνα ab ipso Deo reddita voce, Vergilius: *Ipsa canas oro.* (*g*) Nota est fabula de Carolo Magno, qui cùm desperaret veniam admissorum, S. Ægidius impetravit syngraphum ab angelo, continentem hunc versiculum: *Ægidii merito Caroli peccata remitto.* (*h*) Sentit de Lydio lapide, qui dicitur index, is

prodit aurum subæratum aut imitatium. Lege apud Ovid. fabulam de Batto in lapidem verso. (*i*) Ædituum veteres, ut indicat Varro, æditimum vocabant. Custos erat tuendæ sacræ ædis. (*k*) *Cataphracto*, i. gravi armaturâ munito. (*l*) Hoc enim nomine sanctum illum amabilem, reddidêre formidabilem, quemadmodum Iohannem Baptistam præter alios morbo comitiali: Hubetum hydrophobo, item alios aliis malis. Et hæc vertimus in quæstum nostrum, cuius studiosiores sumus, quàm servandarum animarum (*m*) *Apodixu* demonstratio quæ propriè fit à mathematicis per literas depictas. (*n*) *Telos* id est, tributum, sive vectigal. (*o*) *Mystagogus*, qui ostendit arcana, qui & hierophanta dicitur. (*p*) *Ex Mundo*, ex ornamentis. Dicitur autem mundus muliebris. (*q*) Est Iliados o: πάσσυτοι πᾶσιν δὲ παρὰ πυὶ κήπιπτε θυμός. Id est, expaverunt, omnibus autem in pedes decidit animus. (*r*) *Ex suo dimenso*. id est, ex modo præscripto. Romanus enim pontifex è dolio promit: Episcopis certus modus præscriptus est. (*s*) Nam ad purgatorium nunc prorogant relaxationes. Vbi nullus est dies, & tamen dies vocant. (*t*) *Danaidum dolium*, vide proverb. (*u*) *Limis*, id est, oculis obliquis ac semiclausis, quo se aspici leones indignantur. (*x*) *Tagus* inter fluvios aurificos commemoratur. (*y*) *Homaxæa*, Græcis dicuntur prægrandia, quasi quæ plaustri iustum onus sint (*z*) *Colossi* dicuntur imagines ad miraculum usque grandes (*1*) Vide Plinium de gemmis. (*2*) *Numero dixisti*, id est, expedite & compendio. (*3*) *Paræmia*, id est, deliratio ex vino. (*4*) *Cryptoporticus*, id est, subterranea porticus, quæ paratur adversus æstum solis.

ΙΧΘΥΟΦΑΓΙΑ.

LANIO, ET SALSAMENTARIVS.

Dic mihi insulsissime Salsamentarie, nondum emisti restim? SALSAMEN. *Restim Lanio?* LAN. *Ita, restim.* SALSA. *Cui tandem rei?* LANIO. *Cui, nisi suspendio?* SALSAMEN. *Emant alii, me nondum usque adeo tædet huius vitæ.* LAN. *At brevi tædebit.* SALSAMEN. *In vatem ipsum ista vertat deus aliquis potius. Sed quid est mali?* LANIO. *Sine scu, dicam. Instat tibi tuisque planè Saguntina, quòd aiunt, fames, ut res planè sit vobis ad laqueum reditura.* SALSAMEN. *Bona verba Lanio. Ista sint hostibus nostris. Vnde nobis ex lanio repentè prodisti pythius quispiam, ut divines tantam calamitatem?* LANIO. *Non est divinatio, ne tibi blandiaris. Res ipsa adest in foribus.* SALSAMEN. *Enecas, ede rem, si quid habes.* LANIO. *Edam tuo magno malo. A Romano senatu venit edictum, ut posthac liberum sit cuique vesci quibus velit. Quid igitur tibi tuóque ordini restat, nisi bulimia cum putribus salsamentis?* SALSAMEN. *Per me quidem vel limacibus vel urticis vescatur, qui volet. At num interdictum est cuiquam, ne vescatur piscibus?* LAN. *Non, sed data potestas vescendi carnibus, quibus fuerit collibitum.* SALSAMEN. *Sive vana prædicas, tu potius dignus es suspendio: sive vera, tibi potius parandus funis. Nam mihi posthac spero*

quæstum uberiorem. LANIO. *Imò proventum uberrimum, sed esuritionis usque ad saturitatem. Aut si mavis audire lætiora, posthac longè mundiùs vives, neq; quod soles (a) cubito nasum emunges pituitosum & scabie fruticantem.* SAL. *Ohe (b) venimus ad summum, cæcus convitia iacit in luscũ, quasi verò quicquam apud laniones purius sit, eâ parte corporis, quæ dicitur semper (c) lotione superior. Vtinam verum esset quod annuntias, at vereor, ne me conicias in falsum gaudium.* LANIO. *Tibi quidem nimiùm vera nuntio. Sed unde tibi quæstum promittis uberiorem?* SALSA. *Quoniam eò video recidisse mores hominum, ut quod vetitum sit, impotentiùs appetant.* LANIO. *Quid tum postea?* SALSAMEN. *Quia plures abstinebunt ab esu carnium, ubi permissa est vescendi potestas, nec ullum erit lautum convivium absque piscibus, quemadmodum apud priscos fieri consuevit. Itaque carnium esum permissum gaudeo: utinam & piscium esus esset interdictus! avidiùs his vescerentur homines.* LANIO. *Pium me herculè votum.* SALSAMENTA. *Hoc optarem, si quod tu facis, nihil aliud spectarem, quàm pecuniæ lucrum, cuius amore tu crassam istam & carnivoram animam (d) diis manibus devovisti.* LANIO. *Salsus es totus, quum insulsa sit oratio.* SALSA. *Quæ ratio commovit Romanos, ut tot seculis observatam legem carnariam relaxarint?* LANIO. *Nimirum hoc ipsa res iam dudum illis persuasit. Reputant id quod est, per salsamenta*

mentarios inquinari civitatem, infici terram, flumina, aërem & ignem, & si quod aliud est elementum: corrumpi corpora mortalium: ex piscium enim esu corpus impleri putribus humoribus, hinc febres, (e) tabes, podagræ (f) epilepses, lepræ, & quid non malorum? SAL. Dic igitur mi Hippocrates. quur in civitatibus bene institutis, vetitum est intra mœnia macllare tauros ac sues? Rectius etiam consuleretur saluti civium, si nec pecudes iugularẽtur: Quur laniis describitur certus locus, ne si passim vivant, totam urbem reddant pestilentem? An est ullum fœtoris genus corrupto animantium cruore sanieq; pestilentius? LA. Aromata mera sunt, si ad piscium putorem conferas. SA. Tibi quidem, opinor, aromata mera sunt, at non idem visum magistratibus, qui vos ab urbe submovent. Porrò quam suaviter oleant vestræ istæ lanienæ, declarant ij, qui naribus obturatis prætereunt: declarant, vulgo, qui malunt habere vicinos decem lenones quàm unum lanionem. LA. At vobis ad abluenda putria salsamenta, nec lacus, nec amnes toti sufficiunt: vereq; quòd dici solet, inaniter aquam consumitis. Semper enim piscis piscem olet, etiamsi unguentis oblinas. Quid autem mirum mortuos sic olere, quum pleriq; vivi, mox ut capti sunt, oleant? Carnes (g) muriâ conditæ servantur multos in annos, adeo non putentes, ut aromaticum quiddam redoleant. Rursus vulgari sale conditæ, durant absq; fœtore. Duratæ fumo ventóve, nihil molesti odoris contrahunt. Hæc omnia si pariter adhibeas pisci

nihil aliud quàm piscem olebit. Vn hinc coniice nullum esse putrem cum piscium fetore conferendum, quod ab his putrefit etiam ipse sal, in hoc à natura datus, ut à rebus arceat putrefactionem, dum genuinâ vi claudit constringitq. simul & excludens quod extrinsecus noxam afferre possit, & humores intus, unde putrefactio poterat oriri, desiccans, in solis piscibus sal non est sal. Nostras aedes fortassis aliquis delicatior praeteriens obturat nares: at nemo sustinet in cymba sedere in qua vestra sunt salsamenta. Viatori si quando occurrunt plaustra onusta salsamentis, quae ibi fuga? quae narium obturatio? quae sputa? quae exscreatio? Et si qua fieri possit, ut salsamenta pura in urbem adveherentur, quemadmodum nos mactatorum boum carnes apportamus, lex non dormiret, nunc quid facias ius, quae putria sunt etiam quum comeduntur? Et tamen quoties videmus ab (h) Aloranomis damnatas merces vestras conici in flumen, vobis indictâ mulctâ? Id verò sapius etiam fieret, nisi illi corrupti per vos magis spectarent privatum commodum, quam publicam salutem. Nec hac tantum parte nocetis reipub. sed impiâ conspiratione vetatis, ne aliunde pisces recentiores advehantur in civitatem. SAL. Quasi vero nullus unquam viderit mulctâ percussum lanionem, quòd porcum insincerum, & linguae maculis leprae vitium profitentem vendiderit, aut quòd ovem aquis cœnóve suffocatam, aut alioqui verminantes armos, lotione, & circumlito recenti cruore vitium dissi-

dissimularit. LA. Atqui nullum ex nobis tale extat exemplum, quale nuper ex nobis. Ex unica anguilla, crusto panis incocta, periere novem convivæ. Talibus obsoniis vos instruitis mensas civium. SAL. Casum narras qui nemini vitari possit si fortuna velit. At vobis penè quotidianum est pro cuniculis altiles feles vendere, pro leporibus canes, si per auriculas & pedes hirsutos liceret. Quid autem commemorem artocreas ex humanis carnibus confectas. LAN. Tu, quod in me damnabas, casus & hominum vitia mihi opprobras: tuentur ista qui committunt. Ego quæstum cum quæstu confero. Alioqui damnentur & olitores, quod interdum imprudentes pro caule vendant cicutam aut aconitum. Damnentur & pharmacopolæ, quod interdum pro remediis porrigunt venena. Nulla est ars tam inculpata, quin isthæc incidant mala. Vos quum omnes officii numeros impleveritis, venenum est, quod venditis. Si (i) torpedinem, si (k) hydrum, si (l) leporem marinum retibus admixtum cum cæteris vendideritis, casus esset, non crimen, nec magis imputari poterat vobis, quàm medico, qui nonnunquam occidit ægrum quem curat. Ferri poterat hoc malum, si mensibus duntaxat hybernis extruderetis vestra purulenta: rigor temporis mitigaret pestilentiam. Nunc æstatis incendio putrē additis materiam, autumnum per se nocentem reditis nocentiorem. Quumq; iam se renovat annus, & humores conditi sese rursus proferunt, non absque corporum periculo, ibi vos totos menses duos

tyran-

tyrannidem occupatis, & anni renascentis infantiam accersito senio vitiatis. Quumq; hoc meditetur natura, aut corpori succis insalubribus repurgata, novis succis pubescant, vos ingeritis meros putores, mercq; sanies, & si quid est in corporibus vitii, augetis, malum malo adiicientes, & bonos insuper corporis succos corrumpentes. Tolerari poterat hoc quoque si tantùm corpora vitiaretis: nunc quoniam ex ciborum differentiis vitiantur animorum organa, fit ut & ipsi vitientur animi. Tales ferè videas homines istos pisculentos, quales sunt ipsi pisces pallent, olent, stupent, muti sunt. SAL. O novum Thaletem. Quid igitur sapiunt, qui betis victitant? nimirum quantum ipsæ betæ. Quid sapiunt qui boves & oves & capras devorant? nimirum quod boves, oves & capræ. Vos hœdos pro delitiis venditis, & tamen hoc animal, ut est morbo comitiali obnoxium, ita gignit eundem morbum in his qui gaudent esu carnium. An non præstabat salsamentis placare latrantem stomachum? LA. Quasi solum hoc mentiti sint rerum naturalium scriptores. Et si maxime verum sit, quod narrant, corporibus morbo obnoxiis sæpe quæ per se optima sunt, pessima sunt. (m) Hecticis ac (n) phthisicis vendimus hædos, non (o) vertiginosis. SAL. Si piscium esus tantam perniciem adfert rebus mortalium, quur nobis præsulum ac principum sententiâ licet toto anno nostras merces divendere, vobis bonam anni partem indictæ sunt feriæ? LA. Istud quid mea refert? Fortassis hoc procuratum est a malis medicis, quo

quo quæstus ipsis esset uberior. SAL. Quos malos medicos mihi commemoras, quum nulli sint piscibus hostes æquè capitales? LA. Ne quid erres ô bone, non faciunt hoc studio vestri, nec amore piscium, quum ab his nulli religiosiùs abstineant: suum agunt negotium. Quo plures tussiunt, languent, ægrotant, hoc illis annona benignior est. SAL. Medicis hic non patrocinabor, ipsi suam vicem ulciscentur, si quando in casses illorum incideris. Mihi pro mea causa sufficit veterum sanctimonia vitæ, probatissimorum autoritas, episcoporum maiestas, publica Christianarum gentium consuetudo, quos omnes si damnabis insaniæ, malo cum illis insanire, quàm cum laniis esse sobrius. LA. Tu recusas patronus esse medicis, ego nolim esse criminator aut censor veterum publicævé consuetudinis. Ista venerari soleo, non incessere. SAL. Isto quidem nomine cautus es veriùs quàm pius lanio, nisi te prorsus non novi. LA. Meo iudicio sapiunt, qui cavent, ne quid habeant rei cum his, qui fulmen habent in manibus. Attamen quid ex meis bibliis, quæ populari linguâ versa nonnunquam lego, sentiam non tacebo. SAL. Vt nunc fies ex lanione Theologus! LA. Arbitror primos illos homines simul atque ex uda argilla prodierunt, fuisse corpore salubri ac succulento. Id declarat illorum vivacitas. Deinde paradisum fuisse locum multò commodissimum: situ, cœloq; saluberrimo. Tali loco talia corpora, vel aeris haustu, herbarum, arborum ac florum undiq; aspirantium fragrantiâ, citra cibum ullum potuisse vivere,

vere, præsertim quum ultrò c tra sudorem hominis affatim tellus effunderet omnia, nec morbus esset ullus, nec senium. Cultus enim talis horti voluptas erat verius, quàm labor. SA. *Adhuc verisimilia predicas.* LA. *Ex tam vario horti feracissimi proventu, nihil interdictum est, præter unicam arborem.* SA. *Verissimum est.* LA *Idq; non ob aliud, nisi ut per obedientiam agnoscerent dominum & conditorem suum.* SA *Rectè.* LA *Quin & illud arbitror recentem terram omnia progenuisse feliciora, meliorisq; succi, quàm nunc gignit senescens ac propemodùm effœta.* SAL. *Esto.* LA. *Idq; præcipuè in paradiso.* SA. *Haud dissimile veri.* LA. *Illicigitur vesci, voluptatis erat, non necessitatis.* SA. *Audivi.* LA. *Et abstinere à laniandis animantibus, humanitas erat, non sanctitas* SA *Nescio. Animantium esum à diluvio permissum lego, priùs interdictum non lego. Quorsum autem attinebat permittere, si iam permissu erat?* LA. *Quare non vescimur ranis? Non quia vetitæ, sed quoniam abhorremus. Quî scis, an deus illic admonuerit, quem cibum requireret humana fragilitas, non quem permitteret?* SA. *Non sum ariolus.* LA. *Atqui in ipso statim conditi hominis initio legimus: Dominamini piscibus maris & volatilibus cœli & universis animalibus quæ moventur super terram. Quis usus dominii, si vesci non licet?* SALO *crudelem herum. Itáne devoras servos & ancillas, tuos liberos, & uxorem? Quin eadem operâ vesceris matulâ tuâ, cuius dominus es?* LA. *Sed audi vicissim insulsæ*

salsa-

salsamentarie. Ecæteris usus est, nec est inane dominii nomen. Equus vehit me tergo, camelus gestat sarcinas. E piscibus verò quis usus, nisi vescaris? SAL. Quasi verò non sint innumera ex piscibus remedia. Deinde multa sunt in hoc tantum cõdita, ut delectent hominem contemplantem, & in conditoris admirationem rapiant. Fortè non credes delphinos hominem tergo vehere. Deniq; sunt pisces qui nobis prædicant imminere tempestatem, velut (ϙ) echinus. An non talem servum optares domi tuæ? LA. Verum ut hoc largiamur, ante diluvium non fuisse fas vesci cibis, præterquam terræ frugibus, nihil magni erat abstinere ab iis quæ non requirebat corporis necessitas, & habebant laniandi crudelitatem. Illud fateris, animantium esum initio permissum ob humanorum corporum imbecillitatem. Frigus induxerat diluvium, & hodie videmus in regionibus frigidis nasci homines cæteris edaciores: ac terræ proventum vel extinxerat, vel corruperat inundatio. SA. Esto. LA. Et tamen à diluvio præteribant annum ducentesimum. SA. Credo. LA. Quur igitur deus, quod illis robustis citra exceptionem permisit, post imbecilioribus æviq; contractioris adstrinxit ad certa animantium genera, quemadmodum præcipit Moses? SA. Quasi meum sit eorum quæ Deus gerit rationem reddere. Arbitror tamen hoc tum feciss̃e Deum, quod solent heri, qui contrahunt indulgentiam in servos ubi vident illos abuti lenitate dominorum. Sic equo plus satis ferocienti subducimus fabas & ave-

avenam, parcoq3 fœno pascimus, frenoq3 & calcaribus asperioribus subigimus. Excusserat hominum genus omnem reverentiam, in tantamq3 licentiam sese effuderat, quasi nullus omnino deus esset. Hic inventi sunt legis cancelli, ceremoniarum repagula, minarum ac præceptorum frena, quo vel sic resipiscerent. L A. *Quin igitur manent hodie legis illius repagula?* SAL. *Quia sublata est carnalis servitutis asperitas, posteaquam per Evangelium adoptati sumus in filios dei. Detractum est præceptis, ubi contigit uberior gratia.* L. *Quũ Deus appellet suum testamentum sempiternum, quumq3 Christus negarit se soluere legem, sed consummare, quâ fiduciâ posteriores ausi sunt bonam legis partem abrogare?* SAL. *Gentibus ea lex data non erat, & ideo visum est apostolis, eas non onerare circumcisionis molestiâ, non quod Iudæi faciũt & hodie, in corporalibus observationibus constituerent salutis spem potius, quàm in fiducia & charitate erga Deum.* L A. *Omitto gentes: quæ scriptura manifestè docet Iudæos, si professionem Evangelicam fuerint amplexi, manumissos esse à Mosaicæ legis servitute?* SAL. *Quoniam id fore prædictum erat à prophetis, qui promittunt testamentum novum, & cor novum, inducuntq3 Deum abominantem festos Iudæorum dies, aversantem illorum victimas, detestantem ieiunia, reiicientem donaria, desiderantem populum circumciso corde. Confirmavit illorum promissa dominus ipse, qui porrigens discipulis corpus & sanguinem suum, appellat testamentum*

tum novum. Si nihil aboletur de veteri, cur hoc dicitur novum? Ciborum delectum non exemplo quidem, sed sententiâ suâ abrogavit Dominus, quum negat hominem inquinari cibis qui mittuntur in stomachum, & per secessum repurgantur: docet idem Petrum conspectâ visione, imo Petrus ipse cum Paulo cæterisq; vescens cibis communibus, à quibus lex præceperat temperari. Agit hoc ubiq; Paulus in suis epistolis, nec dubitatur, quin quod hodie sequitur populus Christianus, ab Apostolis veluti per manus traditum ad nos deniq; pervenerit. Itaque non tã manumissi sunt Iudæi, quam à legis superstitione velut à lacte, consueto quidem & familiari, sed iam intempestivo depulsi. Neq; lex abrogata est, sed ea pars iussa est cedere, quæ iam erat otiosa. Frõdes & flores pollicentur fructum exoriturum: Is ubi gravat arborem, nemo flores desiderat. Neque quisquam deplorat perisse filii sui pueritiam, ubi iam ad ætatem maturam pervenit. Neq; quisquam requirit lucernas & funalia, ubi se terris depromsit sol. Nec habet quod queratur pædagogus, si filius iam puber suam libertatem sibi vindicat, ac pædagogũ in sua vicissim habet potestate. Pignus desinit esse pignus, ubi promissa sunt exhibita. Spõsa priùs quàm deducatur ad sponsum, epistolis ab illo missis sese consolatur, exosculatur munuscula ab illo venientia, picturas illum referentes amplectitur. Cæterum ubi iam ipsius sponsi data est copia, præ huius amore negligit illa priùs adamata. At Iudæi primùm ægrè divellebantur à consuetis, velut si puer assuetus

lacti, iam grandis mammam inclamet, cibum solidum fastidiens. Itaq; propemodùm vi depulsi sunt ab illis vel figuris, vel umbris, vel temporario solatiis, quò se iam totos convertant in eum quem lex illa promiserat & adumbrarat. LAN. Quis expectarat tantum theologiæ à salsamentario? SA. Soleo pisculentum commeatum suppeditare nostræ civitatis Dominicano collegio. Itaq; fit, ut illi frequenter prandeant apud me, ego nonnunquam apud illos. Ex eorum conflictationibus hoc decerpsi. LAN. Nætu dignus es, qui ex salsamentario fias piscium recentiũ venditor. Verùm illud expedi: Si Iudæus esses, neq; mihi satis liquet an sis, & immineret ex fame certum vitæ periculum, vescereris carne suillâ, an mortem præoptares? SA. Quid facturus essem, scio: quid mihi faciendum esset, nondum intelligo. LAN. Deus utrunq; vetuit, non occides, & non vescéris carne suilla. In tali casu utrum præceptum utri par est cedere? SAL. Primùm non constat, an hoc animo deus vetuerit vesci suillâ, ut mortem vellet oppeti potiùs, quàm esu vitæ consuli. Nam ipse Dominus excusat David, qui contra legis præceptum comederit sacros panes. Et in exilio Babylonico multa non observata sunt à Iudæis, quæ lex præscripserat. Proinde censerem eam legem, quam ipsa quoq; natura tulit, eoq; perpetua est et inviolabilis, debere potiorẽ haberi, ea quæ neq; semper fuit, & pòst erat abroganda. LAN. Cur igitur laudati sunt fratres Macchabæi, qui maluerunt duris cruciatibus exanimari, quàm carnem gustare suis? SAL. Opinor, quoniam hic esus

à rege

à rege præscriptus, complectebatur totius patriæ legis abnegationem, quemadmodum circumcisio, quam Iudæi gentibus obtrudere conabantur, continebat totius legis professionem, non aliter, quàm arrha data ad universum contractum præstandum obligat. LAN. Itaque si crassior illa legis pars post exortam Evangelii lucem rectè sublata est, quo consilio nunc videmus vel eadem vel his graviora revocari, præsertim quum Dominus iugum suum appellet suave: & Petrus in actis Apostolorum, Iudæorum legem appellet duram, quam nec ipsi ferre potuerint, nec patres ipsorum? Sublata est circumcisio, sed successit baptismus, duriore propè dixerim cõditione. Illa differebatur in octavum diem & si quis interim casus intercepisset puerum, votum circumcisionis pro circumcisione imputabatur. Nos pueros vix dum è latebris uteri materni egressos in frigidam aquam, quæq; diu in alveo saxeo constitit, non enim dicã computruit, totos immergimus: & si vel primo die, atq; adeò in ipso partus ostio perierit, nullâ parentum aut amicorum culpâ, deditur miser æternæ damnationi. SAL. Sic aiunt. LAN. Sublatum est sabbatum, imò non sublatum est, sed translatum in diem dominicum. Quid refert? Paucorum dierum ieiunia indixit lex Mosaica: Nos illis quantum addidimus numerum? In delectu ciborum quanto liberiores Iudæi nobis, quibus licebat vel totum annũ vesci ovibus, capis, perdicibus & hœdis? Illis nullum vestis genus erat interdictũ, præter eam quæ esset lanea linoq; contexta. Nunc præter tot vestium præscriptas

& interdictas formas & colores, accessit capitis rasura, eaq; varia. Ne commemorem interim confessionis onus. & constitutionum humanarum sarcinas, decimationes non simplices, adstrictum arctioribus vinculis matrimonium, novas affinitatis leges, aliaq; permulta, quæ faciunt ut hac parte non paulò commodior videatur fuisse Iudæorum, quàm nostra conditio. SA. Erras totâ viâ Lanio, Christi iugum non æstimatur ad istam regulam, quam imaginaris. Pluribus adstringitur Christianus, & adstringitur ad difficiliora deniq; ad pœnam graviorem: sed his adiuncta copiosior vis fidei & charitatis facit ea suavia, quæ naturâ sunt gravissima. LAN. Atqui quum olim spiritus specie linguarum ignearum è cœlo delapsus, copiosissimo dono fidei & charitatis locupletarit pectora credentium, cur detractum est legis onus, velut imbecillibus ac sub iniqua sarcina periclitantibus. Quur Petrus iam afflatus spiritu vocat onus intolerabile? SA. Detractum est ex parte, ne Iudaismus, ut cœperat, obrueret Evangelii gloriam, & ne legis odio gentes alienarentur à CHRISTO, inter quas erant infirmi plurimi, quibus instabat duplex periculum: alterum, ne crederent sine legis observatione neminem posse salutem consequi: alterum, ne potius haberent in paganismo manere, quàm Mosaicæ legis iugum accipere. Horum imbecilles animos oportebat velut escâ quadam libertatis allicere. Rursus quò mederentur illis, qui negabant ex Evangelii professione salutis esse spem, citra legis observationem, circumcisionem, sabba-

sabbatismos, delectus ciborum, aliaq; id genus, aut prorsus sustulerunt, aut in aliud verterunt. Porrò quòd Petrus negat se legis onus portare potuisse, non est referendum ad eam personam, quam tũ gerebat, quum illi iã nihil esset intolerabile, sed ad crassos & infirmos Iudæos, qui non sine tædio arrodebant (q) hordei tunicam, nondum gustatâ spiritus medullâ. LAN. Satis tu quidem crassè disseris. Atqui mihi videtur & hodie non minus esse caussarum, quur observationes istæ carnales hactenus tolli debeant, ut arbitrariæ sint, non obligatoriæ. SAL. Quî sic? LA. Nuper in linteo quodam amplissimo, vidi totum orbem depictum: Illic didici quantula esset mundi portio, Christi religionem purè sincereq; profitens: nimirum Europæ particula vergens ad Occidentem, rursus altera vergens ad Septentrionem, tertia tendens sed procul, ad Meridiem: ad Orientem vergentis quartæ postrema videbatur Polonia. Reliquus orbis aut Barbaros habet, non ita multùm à brutis animantibus differentes, aut schismaticos, aut hæreticos, aut utrunq;. SAL. At non vidisti totum illud littus Austrinum, & sparsas insulas Christianis insignibus notatas? LAN. Vidi, didiciq; illinc avectas prædas, Christianismum inductum non audivi. Quũ igitur tam ampla sit messis, videtur hoc esse consultissimum ad religionem Christianam propagandam, quemadmodùm apostoli sustulerunt onus legis Mosaicæ, ne gentes resilirent, ita nunc ad illiciendos etiam imbecilles, tolli quarundam rerum obligationes, sine quibus initiò servatus est orbis, & nunc

seruari posset, modo adsit fides & charitas Evangelica. Rursus audio videoq; plurimos esse, qui in locis, vestibus, cibis, ieiuniis, gesticulationibus, cantibus, summam pietatis constituunt, & ex his proximum iudicant, contra præceptum Evangelicum. Unde fit, ut quum omnia referãtur ad fidem & charitatem, harum rerum superstitione extinguatur utrunq;. Procul enim abest à fide Evangelica, qui fidit huiusmodi factis. Et procul abest à charitate Christiana, qui ob potum aut cibum, quo rectè quis uti potest, exasperat fratrem, pro cuius libertate mortuus est Christus. Quàm amarulentas contentiones videmus inter Christianos, quàm inimicas calumnias ex veste aliter cincta tinctáve, ex cibo quem porrigunt aquæ, et quẽ porrigunt pascua? Hoc malũ si ad paucos serpsisset, contẽni poterat. Nunc videmus universum orbem ob hæc dissidiis exitialibus cõcuti. Hæc & huiusmodi si tollerẽtur, & nos maiori cõcordiâ viveremus, neglectis ceremoniis, ad ea tantũ contendẽtes, quæ docuit Christus, & reliquæ nationes citius amplecterentur religionem cum libertate coniunctã. SA. *Extra ecclesiæ domum non est salus.* LA. *Fateor.* SAL. *Extra ecclesiam est, quisquis non agnoscit Pontificem Romanum.* LAN. *Non reclamo.* SAL. *Sed hunc non agnoscit, qui illius præscripta negligit.* LAN. *Atq; ideo spero futurum, ut hic Pontifex nomine Clemens, animo pietateq; clementissimus, quo magis omnes nationes ad ecclesiæ sodalitatem alliciat, omnia mitiget, quæ hactenus visa sunt aliquot populos à Romanæ sedis fœdere alienare, potiusq; habeat*

habeat Evangelii lucrum, quàm suum in omnibus ius persequi. Audio quotidie veteres querimonias de annatis, de condonationibus, de dispensationibus déque reliquis exactionibus, de gravatis ecclesiis: sed arbitror hunc ita moderaturum omnia, ut posthac impudens sit qui pergat queri. SAL. Utinam idem facerent omnes monarchæ! Nihil addubito, quin res Christiana nunc in arctum coacta felicissimè sit proferenda, si gentes barbaræ senserint se vocari, non ad servitutem humanam, sed ad libertatem Evangelicam, nec ad rapinam expeti, sed ad felicitatis & sanctimoniæ consortium. Vbi coaluerint, & in nobis mores verè Christianos compererint, ultrò plus offerent, quàm ab eis ulla vis queat extorquere. LAN. Id brevi futurum auguror, si pestilens (1) Ate, quæ duos potentissimos orbis monarchas funesto bello commisit, abierit (1) ἐς κόρακας. SAL. Atque ego demiror iam dudũ non esse factum, quum Francisco nihil fingi possit humanius, & Carolo Cæsari arbitror à præceptoribus instillatum, ut quò per fortunã plus accesserit imperii finibus, hoc ipsè plus addat clementiæ benignitatiq;. Ad hæc habere solèt & ætas ea peculiarem facilitatis ac mansuetudinis dotem. LAN. Nihil est quod in utroque desideres. SAL. Quid igitur remoratur publicum orbis votum? LAN. Adhuc Iureconsulti de finibus ambigunt, & scis comœdiarum tumultus semper desinere in nuptias. Itidem principes suas finiunt tragœdias. Sed in comœdiis subitò coëunt nuptiæ, hîc inter magnos magnis moliminibus res agitur.

Et præstat aliquãto seriùs obduci cicatricem, quàm mox iterum hulcus erumpere. SAL. *An credis istas nuptias esse firma concordiæ vincula?* LAN. *Vellem quidem, sed ex his video ferè nasci maximam bellorum partem, & si quod bellum ortum fuerit, dum affinis adest affini, latiùs se spargit incendium, & difficiliùs componitur.* SAL. *Fateor, & agnosco verissimum esse quod dicis.* LAN. *Sed æquúmne tibi videtur, ut ob Iureconsultorum rixas, & contractũ moras, totus orbis tantum perpetiatur mali? Nunc enim nihil usquam tutum est, & pessimis licet plurimum, dum neq; bellum est, neq; pax.* SAL. *De principum consiliis non est meum dicere. Verùm si quis me faciat Cæsarem, scio quid sim facturus.* LAN. *Eia, facimus te Cæsarem, simulq; Romanum pontificem, si libet. Quid facis?* SAL. *Fac me potiùs Cæsarem & regem Galliæ.* LAN. *Age, esto utrumque.* SAL. *Protinus concepto pacis voto, ediderem per universam ditionem meam inducias, dimissis copiis, denuncians pœnam capitis, si quis vel gallinam alterius attigerit. Ita pacatis rebus meo commodo, vel, ut melius dicam, publico, transigerem de ditionis finibus, aut de coniugii conditionibus.* LAN. *Habésne firmiora fœderis vincula, quàm matrimonium?* SAL. *Arbitror.* LA. *Imparti.* SAL. *Si Cæsar essem, sic absq; mora transegissem cũ rege Gallorũ. Frater, malus quispiã genius bellum hoc inter nos excitavit, neq; tamen inter nos certamen fuit de capite, sed de ditione. Tu quod in te fuit, fortem ac strenuũ bellatorem præstitisti: Fortuna mihi favit, teq; ex rege fecit*

captivum

captivum. Quod accidit tibi, mihi potuit accidere, & tua calamitas omnes nos admonet humanæ conditionis. Experti sumus, quàm hoc certaminis genus utrique sit incommodum. Age, diverso genere inter nos confligemur. Dono tibi vitam, dono libertatem, pro hoste recipio te in amicum. Sit omnium præteritorum malorum oblivio. Redi ad tuos gratis ac liber, habe tibi tua, esto bonus vicinus, & posthac geratur unum hoc certamen inter nos, uter alterum fide, officiis ac benevolētiâ vincat, neq; certemus uter altero latiùs regnet, sed uter sanctiùs administret suam ditionem. In priori conflictu fortunati laudem tuli, hîc qui vicerit, longè splendidius auferet decus. Mihi quidem hæc clementiæ fama plus adferet veræ laudis, quàm si universam Galliam meæ ditioni adiunxissem. Et tibi gratitudinis opinio plus decoris conciliabit, quàm si me totâ Italiâ depulisses. Noli invidere mihi laudem, quam affecto, ego vicissim tuæ sic favebo, ut huic amico libenter sis debiturus. LA. Profectò sic possit adstringi Gallia, imò totus orbis. Etenim si conditionibus iniquis hulcus hoc obducatur veriùs quàm sanetur, vereor ne mox per occasionem ruptâ cicatrice, pus vetus erumpat maiore cum malo. SAL. Quàm magnificam, quamq; plausibilem gloriam hæc humanitas per universum orbem pararet Carolo. Quæ natio se non lubens tam humano, támque clementi principi submitteret? LA. Egisti Cæsarem sat feliciter: Nunc age Pontificem. SAL. Perlongum sit singula persequi. Dicam com-

pendio. Sic agerem, ut universus orbis intelligeret esse principem Ecclesiæ, qui nihil aliud sitiret, quàm Christi gloriam & salutem omnium mortalium. Ea res verè mederetur invidiæ Pontificii nominis, & solidam ac perennem pararet gloriam. Sed interim ab (τ) asino, quod aiunt, delapsi, multùm aberravimus ab instituto. LA. Ego te mox reducam in viam. Ais igitur obligare Pontificum leges omnes qui sunt in ecclesia? SAL. Aio. LA. Ad pœnam gehennæ? SA. Aiunt. LA. Etiam episcoporum? SA. Sic arbitror, in sua cuiusq; ditione. LA. Etiam Abbatum? S. Hæreo, nam hi certis conditionib. accipiunt administrationem, nec possunt suos gravare constitutionibus, nisi ex autoritate totius ordinis. LA. Quid si episcopus iisdem conditionibus accipiat suam functionem? SAL. Addubito. LAN. Quod episcopus constituit, Pontifex potest rescindere? SAL. Opinor LA. Quod Pontifex decrevit, nemo potest abrogare? SA. Nemo. LA. Vnde igitur audimus rescissas Pontificum sententias, & hoc titulo, quod parùm rectè fuerint edocti, & priorum constitutiones à posterioribus antiquatas, quod à pietate delirarent? SA. Ista subreptitia sunt ac temporaria. Nam & in Pontificem, ut hominem, cadit ignorantia personæ factive. Cæterùm quod ex autoritate concilii universalis proficiscitur, cœleste oraculum est, & pondus habet par evangeliis aut certè proximum. LA. Licétne de evangeliis dubitare? SA. Bona verba, ne de conciliis quidem ritè in spiritu sancto congregatis, peractis, editis & receptis. LA. Quid si quis dubitet,

bitet, an hæc competant in concilium, quod obiicitur, quemadmodum audio Basilienſe concilium à nonnullis reiici, nec omnibus probari Conſtantienſe: loquor de his, qui nunc habentur orthodoxi, ne quid dicam de proximo concilio Lateranenſi. SA. *Dubitent qui velint ſuo periculo. Ego nolo dubitare.* LA. *Petrus igitur habuit autoritatem condendi novas leges?* SAL. *Habuit.* LA. *Habuit & Paulus cum cæteris Apoſtolis?* SA. *Habuerunt in ſuis quisq; eccleſiis, à Petro ſeu Chriſto commiſſis.* LA. *Et Petri ſucceſſoribus par eſt poteſtas cum ipſo Petro?* SA. *Quid ni?* LA. *Tantundem igitur honoris debetur reſcripto Romani Pontificis, quantum epiſtolis Petri: & tantundem conſtitutionibus epiſcoporum, quantum epiſtolis Pauli?* SAL. *Equidem arbitror etiam amplius deberi, ſi præcipiant & legem ferant cum autoritate.* LAN. *Sed fas ne eſt dubitare, an Petrus & Paulus ſcripſerint afflatu divini ſpiritus?* SAL. *Imò hæreticus ſit qui dubitet.* LA. *Idem cenſes de reſcriptis & conſtitutionibus Pontificum & epiſcoporum?* SA. *De Pontifice cenſeo, de epiſcopis ambigo, niſi quod pium eſt de nullo perperam ſuſpicari, ni res ipſa palàm clamitet.* LA. *Quur ſpiritus citiùs patitur errare epiſcopum, quàm Pontificem?* SA. *Quia gravius eſt à capite periculum.* LA. *Si tantum valent præſulum conſtitutiones, quid ſibi vult quod Dominus in Deuteronomio tam rigidè comminatur, ne quis quid addat aut adimat legi?* SA. *Non addit legi, qui latiùs explicat quod latebat, qui ea ſuggerit quæ ſpectant*

ētāt ad legis obſervationem: neque detrahit, qui pro viribus audientium legem diſpenſat alia promens, alia cōſulens pro ratione temporis. LA. *Num obligabant Phariſæorum ac Scribarum conſtitutiones?* SAL. *Non arbitror.* LA *Quur ita?* SAL. *Quia docendi habebant autoritatem, non condendi leges.* LA. *Vtra poteſtas videtur amplior, condendi leges humanas, an interpretandi divinas?* SAL. *Condendi humanas.* LA. *Mihi ſecus videtur. Etenim cui ius eſt interpretandi, huius ſentētia pondus habet legis divinæ.* SAL. *Non ſatis aſſequor quod dicis.* LA. *Dicam explanatiùs. Lex divina iubet ſubvenire parenti: Phariſæus interpretatur hoc eſſe datum patri quod miſſum eſt an corbonam, eò quòd deus pater ſit omnium. Nónne huic interpretationi cedit lex divina?* SAL. *Iſta quidem falſa interpretatio eſt.* LA. *Sed poſteaquam illis ſemel tradita eſt interpretandi autoritas, unde mihi conſtabit, cuius ſit vera interpretatio, maximè ſi ipſi inter ſe diſſentiant?* SAL. *Si minus ſatisfecit tibi ſenſus communis, ſequere præſulum autoritatem. Id tutiſſimum eſt.* LA. *Ergo Phariſæorum & Scribarum autoritas devoluta eſt ad theologos & concionatores?* SAL. *Eſt.* LA. *Sed nullos audio frequentiùs inculcantes, Audite, ego dico vobis, quàm eos qui nunquam verſati ſunt in palæſtris theologicis.* SAL. *Audies omnes candidè, ſed cum iudicio, modo ne ſimpliciter inſaniant. Tum enim oportet populum cum ſibilo ſurgere, quò ſuam agnoſcant dementiam. Cæterùm quibus contigit titulus doctoris,*

ris, his oportet fidere. LA. *Verùm in his quoq; comperio nonnullos multò rudiores ac stultiores illis, qui prorsus sunt illiterati: & inter doctissimos miram video controversiam.* SAL. *Elige quæ sunt optima, inexplicata aliis relinquito, ea semper amplectens, quæ procerum & multitudinis consensus approbavit.* LA. *Scio isthuc esse tutius. Sunt igitur & constitutiones iniquæ, quemadmodùm sunt interpretationes falsæ?* SAL. *An sint, alii viderint: arbitror esse posse.* LA. *Annas & Caiphas habebant potestatem condendi leges?* SAL. *Habebant.* LA. *Num horum quavis de re constitutiones obligabant ad pœnam gehennæ?* SAL. *Nescio.* LAN *Puta Annam constituisse, ne quis reversus à foro sumeret cibum, nisi loto corpore: qui illotus caperet cibum, num crimen gehenna dignum admitteret?* SAL. *Non arbitror, nisi contemptus publicæ potestatis crimen exacerbaret.* LAN. *An omnia præcepta dei obligant ad pœnam gehennæ?* SAL. *Non opinor. Nam deus prohibuit omne peccatum, quamlibet veniale, si theologis habenda fides.* LAN. *Fortassis & veniale pertraheret in gehennam, nisi Deus suâ misericordiâ sublevaret imbecillitatem nostram.* SAL. *Non est absurdum dictu; affirmare non ausim.* LAN. *Quum Israëlitæ exularent in Babylone præter alia plurima quæ lex præscripsit, in multis fuit omissa circuncisio. An omnes hi perierunt?* SAL. *Deus novit.* LAN. *Si Iudæus clàm fame periclitans vesceretur carne suillâ, commiteret ne crimen?* SAL. *Meâ quidem*

senten-

sententia necessitas excusaret factum, quandoquidem ore Domini defensus est David, quod contra legis præceptum comederit panes sacros, quos appellant propositionis: nec solum comedit ipse, sed & fugæ comites prophanos iisdem pavit. LAN. Si quem ea necessitas constringeret, ut aut pereundum sit fame, aut furtum committendum, utrum eligeret, mortem, an furtum? SAL. Forsitan in eo casu furtum furtum non esset. LA. Hem, quid audio, ovum non est ovum? SA. Præsertim si caperet animo reddendi placandiq; dominum, quum primùm liceret. LA. Quid si pereundum esset homini, nisi falsum testimonium ferat adversus proximum, utrum eligendum? SA. Mors. LA. Quid si commisso adulterio possit servare vitam? SA. Potior erit mors. LA. Quid si simplici stupro possit effugere mortem? SA. Moriendum potiùs, ut aiunt. L. Quur hîc ovum non desinit esse ovuum? præsertim si nulla fiat vis aut iniuria. SA. Fit iniuria corpori puellæ. LA. Quid si periurio? SA. Moriendum. LA. Quid si simplici nulliq; noxio mendacio? SA. Docent præoptandam mortem. At ego crediderim gravi necessitate, aut ingenti propositâ utilitate mendacium huiusmodi aut nullum esse crimen, aut levissimum, nisi quod apertâ fenestrâ periculum est, ne discamus & pernicios mendaciis assuescere. Finge incidisse casum, ut innoxio mendacio possit servare & corpora & animas totius patriæ suæ, utrum eliget vir pius, fugiet mendacium? LA. Quid alii sint facturi nescio, ego vel quindecim Homerica men-

mendacia non verear dicere, mox q̃ labeculam illam abstergerem aquâ sacrâ. SA. Idem ego facerem. LA. Igitur non quicquid deus præcipit aut interdicit obligat ad pœnam gehennæ. SA Non videtur. LA. Modus igitur obligationis non est ab autore legis tantum, sed ex materia. Quædam enim cedunt necessitati, quædam non cedunt. SA. Sic videtur. LA. Quid si sacerdos periclitetur de vita, servandus si ducat uxorem, utrum eliget? SA. Mortem. LA. Quum divina lex cedat necessitati, quur hæc lex humana(u) Terminum agit, nulli dignans concedere? SA. Non lex obstat, sed votum. LA. Quid si quis vovisset visere Hierosolymam, nec id posset, nisi certo vitæ dispendio, non ibit, an morietur? SA. Morietur, ni voti relaxationem impetrarit à Pontifice Romano. LA. Quur alterum votum relaxatur, alterum minimè? SA. Quia alterum solenne, alterum privatum. LA. Quid est solenne? SA. Quod solet fieri. LA. An non igitur solenne & alterum quod quotidie fit? SA. Fit, sed privatim. LA. Proinde monachus si privatim apud abbatem profiteretur, nõ esset votum solenne? SA. Nugaris. Ideo facilius relaxatur votum privatum, quia minore offendiculo solvitur, & is qui facit, hoc animo facit, ut si commodum sit, mutet sententiam. LAN. Hoc igitur animo vovent, qui privatim profitentur perpetuam castimoniam? SA. Deberent. LA. Perpetuum igitur & non perpetuum? Quid si Carthusianum monachum hic constringat casus, ut aut vescendum sit carnibus, aut moriendum,

dum, utrum eliget? SAL. *Docent medici, nullas esse carnes tam efficaces, quin idem efficiat aurum potabile & gemmæ.* LAN. *Vtrum igitur conducibilius, gemmis & auro succurrere periclitanti, an earum rerum pretio multos de vita periclitantes servare, & ægroto dare pullum gallinaceum?* SAL. *Hæreo.* LAN. *Atqui piscium aut carnium esus non est ex eorum numero, quæ vocant substantialia.* SAL. *Carthusianos suo iudici relinquamus.* LA. *Dicamus in genere. Diligenter, frequẽter, multisq; verbis inculcatur in lege Mosi sabbatismus.* SA. *Verum.* LA. *Vtrum, igitur succurram urbi periclitanti violato sabbato, an non?* SAL. *At interim me vis esse Iudæum?* LAN. *Volo, & quidem recutitum.* SAL. *Istum nodum secuit ipse dominus. Sabbatum enim hominis causâ est institutum, non contra.* LAN. *Ista lex igitur valebit in omnibus humanis constitutionibus?* SAL. *Valebit, nisi quid obstet.* LAN. *Quid si conditor legis non hoc animo ferat legem, ut quenquam obliget ad pœnam gehennæ, imò ne ad reatum quidem ullum, sed constitutionem nihilo plus velit habere ponderis, quàm exhortationem?* SAL. *O bone, non est in manu conditoris, quantum obliget lex. Vsus est sua potestate ferendo legem: cæterum ad quid obliget, aut non obliget, id Deo in manu est.* LA. *Quur igitur audimus quotidie parochos nostros è suggesto clamantes: cras ieiunandum sub pœna damnationis æternæ: si nobis non constat, quomodo lex obliget humana?* SAL. *Id faciunt, quò magis terreant*

terreant contumaces. nam ad hos arbitror ea verba pertinere. LAN. Sed interim an contumaces talibus dictis territent, nescio: certè infirmos vel in scrupum vel in periculum coniiciunt. SAL. Difficile est utrisq; consulere. LAN. Eadem autem est vis consuetudinis & legis? SAL. Aliquando maior. LAN. Proinde tametsi non adest animus consuetudinem inducentibus iniiciendi laqueum cuiquam, tamen obligat volentes nolentes? SAL. Arbitror. LAN. Onus imponere potest, tollere non potest? SAL. Admodùm. LAN. Iam itaq; vides, opinor, quantum sit periculi, novas leges ab hominibus ferri, si nulla necessitas urgeat, aut nulla magna invitet utilitas. SA. Fateor. LAN. Dominus quum ait, Nolite omninò iurare, num quemvis iurantem obnoxium facit gehennæ? SAL. Non arbitror. Consilium est enim, non præceptum. LAN. At istud unde mihi liquet, quum vix aliud accuratiùs aut severiùs interdixerit, quàm ne iuremus? SAL. Disces à doctoribus. LAN. Et Paulus quum dat consilium non obligat ad gehennam? SAL. Nequaquam. LA. Quur ita? SA. Quia non vult iniicere laqueum infirmis. LAN. Est igitur in manu condentis legem obstringere ad gehennam, aut non obstringere. Et sanctum est cavere, ne quibuslibet constitutionibus illaqueemus imbecilles? SAL. Est. LA. Et si Paulus hîc cautionem adhibuit, multò magis sacerdotibus adhibenda, de quibus incertum quo spiritu agantur. SAL. Fateor. LAN. Atqui paulo ante negabas esse in manu conditoris, quatenus obstringeret lex. SAL. Iam con-

silium est non lex. LAN. Nihil est facilius, quam commutare vocabulum: Noli furari, præceptum est? SAL. Est. LAN. Noli omninò resistere malo? SAL. Consilium est. LAN. At hoc posterius magis habet speciem præcepti, quàm illud prius. Saltem hoc est episcopis in manu, utrum velint esse præceptum, quod instituunt, an consilium? SAL. Est. LA. At istud paulo antè fortiter negabas. Etenim qui non vult suam constitutionem quenquam ad ullum crimen adstringere, nimirum vult eam esse consilium, non præceptum. SAL. Verum, sed non expedit hoc scire vulgus, ne protinus clamitent esse cõsilium, quod servare non libet. LAN. At quid interim facies, tot infirmis conscientiis, tam miserè confusis tuo silentio? Verùm agè dic mihi, nullis ne notis docti deprehendere possunt, utrum consilii vim habeat constitutio, an præcepti? SAL. Possunt, sicut audivi. LAN. Non licet scire mysterium? SAL. Licet, nisi velis effutire. LAN. Ah, (x) pisci dixeris. SAL. Quum nihil audis, nisi hortamur, ordinamus, mandamus, consilium est: quum audis iubemus, districtè præcipimus, præsertim si accedant minæ excommunicationis, præceptum est. LA. Quid si debeam pistori meo, quumq; solvendo non sim, fugere malim quàm conici in carcerem, num pecco criminaliter? SAL. Non arbitror, nisi desit solvendi voluntas. LA. Quur igitur excommunicor? SAL. Istud fulmen territat improbos, non adurit innocentes. Scis enim & apud priscos Romanos fuisse leges diras ac minaces, sed in hoc ipsum tantummodo latas, qualis illa fertur

fertur è duodecim tabulis (y) de dissecando corpore debitoris, cuius ideo nullum extat exemplum, quod non in usum, sed ad terrorem esset prodita. Iam ut fulmen non agit in ceram aut linum, sed in æs: ita tales excommunicationes non agunt in miseros, sed in contumaces. Et tamē, ut ingenue dicam, in huiusmodi frivolis adhibere fulmen à Christo traditum, propemodùm esse videtur, quod veteres dicebant, in lente unguentum. LA. Num idem ius patrisfamiliàs in sua domo, quod episcopo in sua diœcesi? SAL. Arbitror, pro portione. LA. Et huius præscripta similiter obligant? SA. Quid ni? LA. Edico, ne quis vescatur cæpis. Quomodo periclitatur apud deum, qui non paruerit? SAL. Ipse viderit. LA. Posthac non dicam meis, præcipio sed admoneo. SA. Sapies. LA. Verùm perspicio vicinum meum proximum esse periculo & arreptum clàm admoneo, ut sese subducat ab ebriosorum & aleatorum commercio: ille monitorem aspernatus, perditiùs incipit vivere, quàm antea, num hîc illum obstringit admonitio? SAL. Videtur. LA. Igitur neq; cōsulendo, neq; exhortando fugimus laqueum. SAL. Imò non adfert laqueum admonitio, sed admonitionis argumentum. Etenim si frater admonitus, ut crepidis uteretur, negligeret, nullo crimine teneretur. LA. Non hîc percontabor, quantum obligent præscripta medicorum. Votum obstringit ad pœnam gehennæ? SA. Maximè. LA. Omne? SA. Omnissimum, modo sit licitum, legitimū, ac liberum. LA. Quid appellas liberum? SA. Quod nulla extorsit necessitas. LA. Quid est necessitas? SA. Ei

metus cadens in constantem virum. LAN. *Etiam in Stoicum, quem (z) si fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinæ?* SAL. *Istum Stoicum mihi ostende, & respondebo.* LAN. *Sed extra iocum: num famis aut infamiæ metus cadit in constantem virũ?* SAL. *Quidni?* LAN. *Si filia nondum emancipata clàm nubat insciis parentibus, nec passuris si sciant, legitimum erit votum?* SAL. *Erit.* LAN. *An sit nescio, certè si qua sunt hoc est unum ex illorum numero quæ licet vera sint, tamen ob scandalum imbecillium silenda sunt. Quid si virgo quæ ex autoritate parentum cõtraxit matrimonium cum sponso, clàm, & invitis parentibus, voto semet addicat collegio sanctæ Clarę, eritne licitum & legitimum?* SAL. *Si fuerit solenne.* LAN. *Num solenne est quod in agro fit in obscuro monasteriolo?* SA. *Sic habetur.* LA. *Si eadem domi paucis testibus voto profiteatur perpetuam corporis integritatem, non erit legitimum?* SAL. *Non.* LAN. *Quamobrem?* SAL *Quia sanctius votum obstat* LAN. *Eadem puella si vendat agellum valebit contractus?* SAL *Non opinor.* LA. *Et valebit si seipsam dederit in potestatem alienam?* SAL. *Si se Deo dicaverit.* LAN. *An non & votum privatum dicat hominem Deo? Et qui suscipit sanctum coniugii sacramentum, nónne se dicat deo? Et quos deus iungit, dicant se diabolo? De solis coniugibus dixit dominus: quos deus iunxit, homo ne separet. Ad hæc quum adolescens vix dum pubescens, aut puella simplex, minis parentum, sævitia tutorum, improbis instinctibus monachorum, blanditiis,*

&

& odiis protruditur in monasterium, num liberum est votum? SAL. Si sint (a a) doli capaces. LAN. Ea aetas maximè capax est doli, ut cui facillimè possis imponere. Quid si proponam in animo diebus Veneris abstinere à vino, perinde obstringit propositũ, ut votum? SAL. Non arbitror. LAN. Quid igitur interest inter certum propositum, & votum tacitâ cogitatione conceptum. SA. Animus obligandi. LA. Negabas antè, hîc valere animum. Propono si queã: & voveo, sive queam, sive non queam? SA. Habes. LAN. Habeo nebulas in pariete depictas, hoc est, nihil. Est igitur & in proposito dispicienda materiæ ratio? SAL. Opinor. LAN. Et ut illic à legis, ita hic à voti nomine cavendum? SAL. Rectè. LA. Si Romanus Pontifex statueret, ne quis iungat matrimonium intra septimum propinquitatis gradũ, admitteret crimen qui duceret cognatam gradu sexto? SAL. Opinor, certè periclitaretur. LAN. Quid si Episcopus suis ediceret, ne quis haberet rem cum uxore, nisi die lunæ, Iovis & Sabbati, committeret crimen, qui clàm aliis diebus uteretur uxore. SA. Arbitror. LAN. Quid si ediceret ne quis (b b) bulbis vesceretur? SAL. Quid istuc ad pietatem? LAN. Quia bulbi provocant libidinem. Quod de bulbis dico, idem dictum puta de erucis. SA. Hæreo. LAN. Quid hæres? unde est humanis legibus obligandi vis? SAL. Ex dictis Pauli: Obedite præpositis vestris. LAN. Hinc igitur obligat omnis episcoporum ac magistratuum constitutio? SAL. Modò sit æqua, iusta, & legitime lata. LA. Sed istius rei

quis erit iudex? SAL. Ipse qui condidit. Nam eius est interpretari, cuius est condere legem. LA. Ergo citra delectum est obediendum quibuslibet constitutionibus? SAL. Opinor. LA. Quid si præpositus stultus & impius ferat legem impiam & iniquam, ipsius iudicio stãdum erit, & populus cui nullum est iudicandi ius obtemperabit? SA. Quorsum attinet ea somniare quæ non fiunt? LA. Qui subvenit parenti, non subventurus, nisi lex cogeret, num implevit legem? SA. Non arbitror. LA. Quî sic? SA. Primum non satisfacit animo eius qui condidit legem. Deinde voluntati impiæ addit hypocrisim. LA. Qui iciunat, non ieiunaturus, nisi præciperet ecclesia, num satisfacit legi? SA. Mutas & autorem legis & materiam. LA. Confer igitur Iudæum sic ieiunantem diebus præscriptis, ut ni lex hucadigat, non sit ieiunaturus, cum Christiano servante ieiunium ab hominibus indictum, haud quaquã servaturo si legem tollas: aut si mavis, Iudæum abstinentẽ à carne suilla & Christianum abstinentem à carnibus & lactariis die Veneris. SA. Infirmitati nonnihil relentanti legi puto paratam esse veniam, ceri proposito legem aversanti & obmurmuranti non item. LA. Atqui fateris leges divinas non semper obligare ad pœnam gehennæ. SA. Quid ni fatear? LA. Nec audes fateri esse legem humanam, quæ non obligat ad eandem pœnam, sed hominem relinquis in ancipiti. Videris igitur aliquanto plus tribuere legibus hominum, quàm Dei. Mendacium & obtrectatio suapte naturâ sunt mala, & à Deo prohibita,

&

& tamen fateris esse aliquod mendacii & obtrectationis genus, quod non obliget ad pœnam gehennæ: Nec audes eum qui quomodocunq; vescitur carnibus in die Veneris, liberare à pœna gehennæ. SA. Non est meum quenquam absolvere aut damnare. LA. Si divinæ leges & humanæ pariter obstringunt, quid igitur interest inter has & illas? SA. Nimirum quod qui violat legem humanam, immediatè peccat adversus hominem, (si mihi concedis scholasticorum flosculis uti) mediatè adversus Deum: qui violat legẽ divinam, contrà. LA. Quid refert, utrum priùs miscueris acetum, an absynthium, quum mihi utrunq; sit ebibendum? Aut quid refert, utrum lapis à me vulnerato repercussus feriat amicum, an ordine verso? SA. Hoc didici. LA. Et si ex materia circunstantiisq; sumitur obligandi modus in utrisque legibus, quid interest inter autoritatem Dei & hominum? SA. Impia percontatio. LA. Attamen multi credunt plurimùm interesse. Deus tulit legem per Mosen, nec licet violare. Idem fert leges per pontifices, aut certè concilium, quid interest inter has & illas? lex Mosi per hominem, leges nostræ per homines. Et videntur minus ponderis habere, quæ Deus tulit per unum Mosen, quàm quæ spiritus sanctus edit per frequens episcoporum & eruditorum concilium. SA. De spiritu Mosi dubitare non licet. LAN. Paulus in episcoporum vicem venit. Quid igitur interest inter Pauli præcepta & cuiuslibet episcopi? SAL. Quia sine controversia Paulus

scripsit afflatus spiritu. LAN. *Hæc scriptorum autoritas quousq; se porrigit?* SAL. *Arbitror non ultrà apostolos, nisi quæ conciliorum est inviolata autoritas.* LAN. *Quare de Pauli spiritu dubitare non licet?* SAL. *Quia obstat Ecclesiæ consensus.* LAN. *De episcopis dubitare licet?* SAL. *De his nihil temerè suspicandum, nisi res ipsa palàm clamitet quæstum aut impietatem.* LAN. *Quid de conciliis?* SA. *Non licet, si fuerint ritè & per spiritum sanctum congregata peractaq;.* LAN. *Est igitur aliquod concilium, in quod ista non competunt?* SAL. *Esse potest. Quod ni esset, Theologi nequaquam adderent hanc exceptionem.* LAN. *Videtur igitur & de conciliis dubitari posse.* SAL. *Non arbitror, posteaquã fuerint Christianarum gentium iudicio consensuq; recepta comprobataq;.* LAN. *Posteaquàm excessimus* (cc) *pomeria, quibus deus voluit circumscribi sacrosanctam illam & inviolabilem scripturæ autoritatem, videtur mihi & aliud esse discrimen legum divinarum & humanarum.* SAL. *Quod?* LA. *Leges diviuæ sunt immutabiles, nisi si quæ sunt eius generis ut significandi, coërcendive gratiâ videantur ad tẽpus datæ, quas & prophetæ desituras iuxta carnalẽ sensum prædixerunt, & Apostoli iã omittẽdas docuerunt. Deinde, inter leges humanas existunt nõnunquã iniquæ, stultæq; & pestilẽtes, unde & abrogãtur vel autoritate superiorũ, vel cõsentiente neglectu populi. Tale nihil est in legibus divinis. Rursus humana lex suapte spõte cessat, ubi cessarit causa propter quã lata est. Veluti si cõstitutio iuberet singulos*

quotan-

quotannis aliquid conferre in structuram templi, templo absoluto, cessat rigor legis. Adhæc lex ab hominibus lata, non est lex, nisi fuerit utentium consensu comprobata. Lex divina, nec expendi debet, nec potest abrogari. Quanquam & Moses legem laturus, suffragia populi collegit, non quod hoc esset necesse, sed ut illos magis haberet obnoxios. Impudens enim est legem contemnere, quam tuo suffragio comprobaris. Postremò quum leges hominum, quæ ferè corporalia præscribunt, pædagogi sint ad pietatem, cessare videntur, ubi quis profecit ad spiritus robur, ut iam talibus cancellis non egeat, modo pro virili vitetur scandalum Infirmorum, non malitiosè superstitiosorum. Velut si pater præscribat filiæ impuberi, ne bibat vinum, quo tutior sit illius virginitas usq; ad nuptias, quum adoleverit, iamq; viro tradita fuerit, non tenetur præcepto patris. Multæ leges habent instar pharmacorum, ea verò mutantur, & cedunt pro re nata, ipsis etiam medicis approbantibus. Qui si semper iisdem utantur remediis à veteribus proditis, plures occiderent, quàm sanarent. SAL. Multa tu quidem congeris, quorum nonnulla placent, aliqua displicent, quædam non intelligo. LAN. Si lex episcopi quæstum evidenter oleat, hoc est, statuat ut singuli parochi bis in anno emant aureo ducato ius absolvendi à casibus, quos vocant episcopales, quò plus extorqueat à suis, obtemperandum censes? SAL. Censeo, sed interim clamandum adversus legem iniquam, exclusa semper seditione. Sed unde hic mihi

percontator lanio ? Tractent fabrilia fabri. LA. *Huiusmodi quæstionibus sæpè torquemur in conviviis. Interdum diatriba ferveſcit ad pugnam & ſanguinem.* SAL. *Pugnent qui volent, ego cenſeo leges maiorum eſſe reverenter ſuſcipiendas & obſervandas religioſè, velut à Deo profectas: nec eſſe tutum, nec eſſe pium de poteſtate publica ſiniſtram concipere aut ſerere ſuſpicionem. Et ſi quid eſt tyranni dis, quod tamen non cogat ad impietatem, ſatius eſt ferre, quàm ſeditioſè reluctari.* LAN. *Iſta quidem ratione fateor bene conſultum rebus eorum, qui dignitate pollent, & tecum ſentio, nec illis invideo. Cæterum lubens audiam rationem, quâ conſulatur & populi vel libertati vel commodis.* SAL. *Deus non deſtituet populum ſuum.* LA. *Verùm ubi interim illa libertas ſpiritus, quam apoſtoli promittunt ex Evangelio, quam Paulus toties inculcat, clamans: Regnum dei non eſt eſca & potus: & quod filii non ſimus ſub pædagogo, nec amplius ſerviamus elementis huius mundi: aliaq; innumera: ſi tanto pluribus conſtitutionibus onerantur Chriſtiani, quàm Judæi, & ſi arctiùs obligant hominũ leges, quàm pleraq; à Deo tradita præcepta?* SAL. *Dicam Lanio. Non in hoc eſt Chriſtianorum libertas, ut liceat illis facere quæ velint, liberis à cõſtitutionbus humanis, ſed quod ex fervore ſpiritus ad omnia prompti, lubentes & alacres ea faciunt, quæ præſcribuntur, nimirum filii potiùs quàm ſervi.* LA. *Expeditè, ſed erant & ſub lege Moſaica filii, & ſunt ſub Evangelio ſervi, atq; adeò vereor, ne*

maxima

maxima pars hominum; si quidē servi sunt, qui lege coacti suum officiū faciunt. Quid igitur discriminis inter novam & veterem? SAL. *Meo iudicio multum interest. Quod vetus sub involucris docuit, nova sub oculos posuit. Quod illa sub ænigmatibus prædixit, hæc dilucidiùs ostendit. Quod illa subobscurè promisit, hæc exhibuit maximâ quidem ex parte. Illa tradita erat uni genti, hæc ex æquo docet omnes salutem. Illa paucis Prophetis & eximiis viris impartiit insignem illam & spiritualem gratiam, hæc omne donorum genus largiter effudit in omnium ætatum, sexuum & nationum homines, linguas, sanationes, prophetias, miracula.* LA. *Vbi nunc igitur ista?* SAL. *Cessarunt, non interierunt, vel quia non est opus, iam evulgatâ Christi doctrinâ, vel quia plerique titulo tantum Christiani, fide, quæ est miraculorum architectrix, caremus.* LAN. *Si propter incredulos ac diffidentes opus est miraculis, talium nunc plena sunt omnia.* SAL. *Est incredulitas simpliciter errans, qualis erat Iudæorùm obmurmurantium Petro, quod Cornelii familiam recepisset ad Evangelii gratiam: qualis erat gentium, quæ religionem quam à maioribus acceperant, putabant èsse salutiferam, & Apostolorum doctrinam esse superstitionem peregrinam: hi conspectis miraculis conversi sunt. Nunc qui diffidunt Evangelio, tanta luce per universum orbem coruscante, non simpliciter errant, sed excecati malis affectibus nolunt intelligere, ut bene agant: Hos nulla miracu-*

lare-

la reducerent ad mentem meliorem. Et sanandi tempus nunc est, puniendi post futurum est. LA. *Quanquam multa dixisti satis probabiliter, tamen mihi propositum est, non fidere salsamentario, sed adibo Theologum quendam eximiè doctum, quicquid is de singulis pronuntiaverit, cœlestis oraculi vice fuerit.* SAL. *Quis iste? Pharetrius?* LAN. *Ille simpliciter delirat & ante annos, dignus qui concionetur deliris aniculis.* SALSA. *Blitæus?* LAN. *An ego tam loquaci sophistæ credam?* SAL. *Amphicolus?* LAN. *Nunquam ei credam in solvendis quæstionibus, cui meo malo credidi carnes meas. An ille bonâ fide solvat problemata, qui pessima fide nondum solvit pecuniam?* SAL. *Lemantius?* LAN. *Non utor cæcis ad indicandam viam?* SAL. *Quis igitur?* LAN. *Si scire vis, Cephalus est, vir trium linguarum & omnis politioris literaturæ perpulchrè gnarus, tum in sacris voluminibus & vetustis theologis diu studioseq; versatus.* LAN. *Dabo rectius consilium. Eas ad inferos, illic invenies Rabinum Druinum, qui tenedia bipenni dissecabit omnes tuas quæstiunculas.* LAN. *Tu præi, quo mihi viam appares.* SAL. *Sed extra iocum: Est ne verum quod narras, datam potestatem vescendi carnibus?* LAN. *Ludebam, te ut urerem. Et si Romanus Pontifex id vellet maximè, ordo salsamentariorum moveret seditionem, deinde mundus est plenus pharisaicis hominibus, qui non alia re sibi possunt vindicare sanctimoniam, nisi talibus observatiunculis: hi nec pateren-*

terentur sibi detrahi iam partam gloriam, nec sinerent minoribus plus esse libertatis, quàm ipsis fuit. Ne in lanionum quidem rem esset, permitti liberum quarum libet rerum esum. Tum enim varius esset eventus nostræ negotiationis, nunc certius est lucrum & minus (dd) aleæ, minusq; laborum. SAL. Verissima prædicas, sed eadem incommoditas ad nos rediret. LAN. Gaudeo tandem inventum aliquid, in quo salsamentario cum lanione conveniat. Jam ut incipiam & ipse serio loqui, quemadmodum fortassis expediret populum Christianum paucioribus constitutiunculis obstringi, præsertim si quæ non multum aut nihil conducunt ad pietatem, ne dicam officiunt: ita non libet abistis stare, qui omnes omnium hominum constitutiones reiiciunt, neque flocci faciunt. Imò ob hoc ipsum multa faciunt, quia præceptum est ne faciant. Attamen demirari non possum in plerisq; rebus præpostera mortalium iudicia. SAL. Idem nec ego satis admirari possum. LA. Cœlum terræ miscemus, si quid periculi suspicamur, ne quid decedat ponderis sacerdotum constitutionibus, autoritatiq; & dormitamus quum imminet evidens periculum, ne tantum tribuamus hominum autoritati, ut autoritati divinæ minus tribuatur quàm oportet. Sic à ~~Scylla~~ Charybdi declinamus, ut non metuamus ~~Charybdim~~ Scyllam, malum exitiabilius. Debetur episcopis suus honos, quis negat? præsertim si agunt quod dicuntur. Sed impium est, honores soli Deo debitos transferre in homines, & dum impense referemur hominem

nem, parum revereri Deum. Honorandus Deus in proximo, venerandus in proximo, sed interim adhibenda cautio, ne Deus per hanc occasionem suo fraudetur honore. SAL. *Itidem videmus multos in tantum fidere corporalibus ceremoniis, ut his freti negligant ea quæ sunt veræ pietatis, suis meritis arrogantes, quod est divinæ largitatis, & ibi consistentes, unde gradus erat ad perfectiora, & ex his rebus proximum calumniantes, quæ per se nec bonæ sunt, nec malæ.* LA. *Quin in eadem re quum duo sint quorum alterum altero præstantius, semper deterioris est nobis potior ratio. Corpus & quæ corporis sunt, ubiq; pluris fiunt, quàm ea quæ sunt animi, & hominem occidisse pro gravi crimine ducitur, ut est: at pestifera doctrina, vipereis instinctibus corrupisse mentem hominis, ludus est. Si sacerdos alat capillitium, aut vestem sumat hominis prophani, rapitur in carcerem, acriter punitur: si bibat in lupanari, si scortetur, si ludat aleam, si vitiet alienas uxores, si nihil attingat sacræ lectionis, tamen columna est ecclesiæ. Non excuso mutatam vestem, sed accuso præposterum iudicium.* SAL. *Imò si non persolvat pensum precum horariarum, paratum est anathema: si fœneretur, si simoniam admittat, impune est.* LA. *Si quis videat Carthusianum aliter vestitum, aut vescētem carnibus, quàm execratur, quàm horret, quàm timet, ne terra dehiscens & spectatorem & spectatum absorbeat: idem si videat eum temulentum, mendacibus verbis in famam aliorum debacchantem, mani-*

manifestis dolis imponẽtem tenui vicino, nemo perinde abominatur. S. veluti si quis videat Franciscanum enodi cingulo cinctũ, aut Augustinensem nõ corio, sed lanâ cinctum, aut discinctũ Carmelitam, aut cinctum Rhodiensem. Rursus si percalceatum Franciscanum, aut semicalceatũ cruciferum, nónne concitaret (ee) Tyria, quod dici solet, maria? L. Imò nuper apud nos ex duabus fœminis, quarum utranq; dixisses prudentem, altera abortiit, altera concidit syncopi, quod conspicerent canonicum quẽdam sacris virginibus præfectum in propinqua vicinia, sed tamen in publico obambulare, qui vestem lineam non haberet tectam nigro pallio. At eædem crebro viderant aves eiusmodi comessantes, cantillantes, saltitantes, non addam cætera, nec ullam sentiebant nauseam. SAL. Sexui fortasse debetur venia. Opinor tibi notum Polythrescum. Is ægrotabat periculosè, phthisis erat. Medici diu suaserant, ut vesceretur ovis & lactariis, sed frustrâ. Eôdem cohortabatur episcopus. Ille quum esset vir non indoctus, & theologiæ baccalaureus, videbatur citius emoriturus, quam utriusq; medici consilio morem gesturus. Ita visum est medicis & amicis, ut falleretur. Parata est sorbitio ex ovis & lacte caprino, dictum est lac amygdalinum. Ille lubens comedit, & idem aliquot diebus faciens cœpit habere meliusculè, donec puella quædam fucum prodidit. Ibi cœpit quod comederat revomere. At idem superstitiosus in lacte, nullâ religione commotus est, quominus abiuraret pecuniam

mihi

mihi debitam. Nam chirographum simpliciter exhibitum clàm ungui sciderat. Delatum est iusiurandum, ego illi cessi. Is verò tam non gravatim recepit, ut optare videretur quotidianas eiusmodi delationes. Quid hoc iudicio perversius? Peccabat adversus mentem ecclesiæ, qui hic non obtemperarit sacerdoti & medicis, & in periurio manifesto firmam habebat conscientiam, tam infirmus in lacte.

L A. *Hic mihi succurrit fabula, quam nuper Dominicanus quidam narravit in concione frequentissima, quò sermonis amaritudinem (nam in die Parasceves exponebat mortem Domini) iucundiore narratione dilueret. Virginem sacram oppresserat adolescens. Veri tumor arguit factum. Convocatus est virginum chorus, præsedit abbatissa. Accusata est (ff) Inficiali statui non erat locus, argumentum erat necessarium. Confugit ad statum ~~suum~~ qualitatis, nisi mavis translationis: Oppressa sum à valentiore. At saltem exclamasses. Fecissem, inquit, sed in dormitorio nefas est solvere silentium. Sit hæc fabula, modò fateamur hoc stultiora geri permulta. Nunc dicam, quod his oculis vidi. Nomen hominis lociq; silebitur. Habebam affinem Priorem abbati proximum, ordinis Benedictini, sed ex eorum numero, qui non vescuntur carnibus, nisi extra locum, quem appellant magnum refectorium. Habebatur doctus, & ipse volebat haberi, annos natus fere quinquaginta. Certare poculis, & hilarescere vino, erat illi quotidianum. Duodecimo quoque die adibat thermas publicas. Illic dabatur opera purgan-*

purgandis renibus. SAL. Erat unde id fieret? LAN. Possidebat annuè sexcentos florenos. SAL. O paupertatem optabilem! LA. Ex vino & Venere incidit in phthisim. Desperantibus medicis, abbas imperabat esum carnium, addens illud terribile verbum, sub pœna inobedientiæ. Ille vix adigi potuit, ut moriens gustaret carnes, à quibus tot annis nõ abhorruerat. SA. Prior tali abbate dignus. Divino tamen quos dicas, nam eandem fabulam & ab aliis audire memini. LA. Divina. SAL. Nónne abbas est prægrandi obesoq; corpore, linguâ sub-blæsa: Prior humiliore staturâ, sed erectâ, gracili vultu? LA. Divinasti. SA. Accipe par pari relatum. Audies quod ipse nuper vidi, cuiq; non interfui solum, verùm etiam propemodùm præfui. Erant duæ monachæ, quæ visebant cognatos suos. Vbi venissent quò volebant, famulus per oblivionem reliquerat codicem precum iuxta consuetudinem ordinis & loci, in quo vivebant. Deum immortalem! quanta illic perturbatio. Non audebant cænare, nisi dictis precibus vespertinis, nec sustinebant ex alio codice dicere, quàm ex suo. Interim tota domus cœnaturiebat. Quid multis? Canterio recurrit famulus sub multam noctem, adfert relictum codicem: Dicuntur preces, vixq; ad decimam cœnavimus. LA. Hactenus nihil audio, quod sit magnopere reprehendendum. SA. Nimirum, dimidium duntaxat audisti fabulæ. Inter cœnandum cœperunt illæ virgines hilarescere vino, tandem risu soluto iocis parùm pudicis perstrepuit convivium, sed

nemo licentiùs egit, quàm illæ, quæ nisi dictis ex ordinis forma precibus cœnare noluerunt. A convivio lusus, choreæ, cantilenæ, reliqua non audeo commemorare, sed planè vereor, ne quid eâ nocte patratum sit parum virgineum nisi me fallebant procœmia, lascivi lusus, nutus & suavia. LAN. Istam perversitatem non tam imputo virginibus, quàm sacerdotibus earum curam gerentibus. Sed age, fabulam fabulâ pensabo: quin potiùs audies oculatam historiam. Hisce diebus aliquot coniecti sunt in carcerem, quod ausi sunt die dominico panem coquere, quum fortè deesset. Equidem non damno factum, sed excutio iudicium. Aliquanto pòst die dominico, qui vulgò palmarum dicitur, fortè erat cur vicus propinquus mihi esset adeundus. Ibi tum ad horam diei fermè quartam à prandio, obvium habeo, ridiculúmne dicam an miserandum spectaculum, arbitror nulla Bacchanalia plus habuisse turpitudinis. Alii vacillabant huc illuc vino, non aliter quàm navis destituta rectore iactatur ventis & fluctibus. Erant qui complexi brachium alterius sustinebant lapsantem, sed ipsi parum firmi, alii subinde cadebant, ægrè surgebant: nonnulli quernis frondibus erant coronati. SAL. Magis conveniebat (gg) Pampineis, tum addendi (hh) thyrsi. LA. Senior quidam Silenum agens, sarcinæ in morem sublimis gestabatur humeris, eo gestu quo solent olim efferri cadavera pedibus eò porrectis quò ibant, nisi quòd pronus baiulabatur, ne vomitu præfocaretur supinus.

nius. Is miserè convomebat suras & calcaneos extremorum baiulorum. Nec inter baiulos quisquam erat sobrius pleriq; ridebant, sed sic ut facilè diceres mentem abesse Bacchi furor habebat omnes. Atque hac pompâ civitatem ingressi sunt, idque clarâ luce. SALSAM. Vnde collegerant eam insaniam? LAN. In vico propinquo vinum paulò vilius venditur quàm in urbe. Eò se contulerant aliquot conbibones, quò vilius insanirent, sed largiùs. Non enim minus impensum est pecuniæ, sed plus contractum est dementiæ. Hi si gustassent ovum, velut admisso parricidio, pertracti fuissent in carcerem, quum præter omissam sacram concionem, præter neglectas preces vespertinas, in die tam sacrâ, tantum intemperantiæ publicitùs esset admissum, nemo puniit, nemo detestatus est. SALSAM. Atqui ne isthuc tantopere mireris, in mediis urbibus, in popinis templo proximis, diebus quamlibet festis, potatur, cantatur, saltatur, pugnatur, tanto strepitu, tantóque tumultu, ut nec sacrum peragi, nec sacra concio possit exaudiri. Iidem si eodem tempore consuissent calceum, aut si in die Veneris gustassent suillam, capitis accersérentur. Et tamen dies Dominicus ob hoc potissimum est institutus, quò vacaret audire doctrinam Evangelicam & ideò vetitum consuere calceos, ut sit otium concinnandis animis. An non hæc mira iudiciorum perversitas? LAN. Prodigiosa. Iam in ipso ieiunii præscripto, quum duo sint, alterum abstinentia cibi

alterum delectus cibi: nemo nescit, prius illud præcepti divini, aut certè iuxta præceptum divinum esse, alterum verò non solùm humanum, verùm etiam propemodùm pugnans cum Apostolica doctrina, utcunque hoc excusamus: tamen hîc quoque præpostero iudicio, cœnare vulgò impune est, gustasse cibum ab homine vetitum, à Deo permissum, & item ab Apostolis, capitale est. Ieunium tametsi non constat esse certò præceptum ab Apostolis, tamen illorum exemplis ac literis commendatum est. At interdictum ciborum esum, quos Deus creavit ad vescendum cum gratiarum actione, ut tueamur apud iudicem Paulum, quot (ii) *lemmatis est opus? & tamen toto passim orbe cœnatur affatim, nullus offenditur; si valetudinarius gustet pullum gallinaceum, periclitatur Christiana religio. In Anglia vulgus quadragesimæ tempore, iustam cœnam apparat alternis diebus, nemo miratur: si febri periclitans tentet attingere ius pulli, plus quàm sacrilegium admissum videtur. Apud eosdem in quadragesima, quo ieiunio ut nihil antiquius, ita nihil sanctius habitum est apud Christianos, impunè cœnatur, ut dixi. Si tentes idem extra quadragesimam die Veneris, nemo ferret. Si quæras quamobrem, allegant patriæ consuetudinem. Execrantur enim qui regionis negligit consuetudinem, & ipsi sibi ignoscunt, qui negligant vetustissimam totius ecclesiæ consuetudinem.* SAL. *Nec probandus est, qui sine caussa negligit consuetudinem patriæ in qua vivit.* LAN. *Nec ego crimi-*

nor

nor eos, qui quadrageſimam cum Deo, ventreq; partiuntur, ſed indico præpoſterum de rebus iudicium. SAL. Quum dies dominicus præcipuè legatur inſtitutus, quo populus ſimul conueniret ad audiendum ſermonem evangelicum; qui non audit miſſam, abominabilis eſt: qui negligit concionem malens pilâ ludere, purus eſt. LAN. Quantum flagitium admiſſum exiſtiment, ſi quis ſumat Euchariſtiam illotis faucibus, quàm nihil trepidant, quum idem faciant illoto animo, perverſisq; cupiditatibus ſordidato! SAL. Quàm multi ſunt ſacerdotes, qui citiùs mortem oppetant, quàm ſacrificent, calice & patinâ nondum ab epiſcopo conſecratâ, aut quàm ſacrificent veſte quotidianâ! At inter hos qui ſic affecti ſunt, quàm multos videmus, qui non verentur ad ſacram menſam accedere, noctis proximæ crapula ad huc temulenti! Quanta trepidatio, ſi fortè contigerint corpus Domini, eâ manus parte, quæ ſacro oleo contacta non fuit? Quin eadem religione diſpicimus, ne prophanus animus offendat Dominum? LA. Vaſa ſacra non attingimus, & piaculum admiſſum arbitramur, ſi id fortè acciderit, & interim viva templa ſancti ſpiritus quàm ſecuri violamus? SAL. Humana conſtitutio vetat, ne notus, claudus, aut luſcus recipiatur ad ſacra miniſteria. Hic quàm ſumus difficiles, & tamen interim paſſim recipimus indoctos, aleatores, temulentos, milites & homicidas. Dicunt, latent nos animorum morbi. De occultis non loquor, de his loquor, quæ magis in propatulo ſunt, quàm vitia corporis. LAN. Sunt

& episcopi, qui ex functionibus nihil sibi vindicant, præter rationes, aliáque sordida. Concionandi munus, quæ prima dignitas est episcopi, cedunt quamlibet sordidis, haud quaquam facturi, nisi præpostero iudicio tenerentur. SAL. Qui festum diem violat ab episcopo quopiam institutum, rapitur ad pœnam, & satrapæ quidam, qui tot constitutionibus Pontificum & conciliorum, tot fulminibus fortiter contemptis, impediunt canonicas electiones, opprimunt immunitates ecclesiasticorum, ne his quidem parcentes domibus, quæ fovendis senibus, ægrotis, & egenis expiorum hominum eleemosynis institutæ sunt, abundè Christiani sibi videntur, si sæviant in leviſſimarum rerum prævaricatores. LAN. Præstat satrapas missos facere, loquiq; de salsamentis & carnibus. SAL. Assentior. Redeamus igitur ad ieiunium & pisces. Audivi Pontificum leges nominatim excipere pueros, senes, ægrotos, invalidos, grávem laborem sustinentes, gravidas, lactantes, ac vehementer tenues. LAN. Idem & ipse frequenter audivi. SAL. Rursus audivi præcellentem quendam theologum, opinor Gersoni nomen esse, hoc addere, si quid exstiterit causſæ paris momenti, cum his quæ Pontificum leges nominatim excipiunt, similiter cessare vigorem præcepti. Sunt enim corporum peculiares habitus, qui reddunt capitaliorem inediam, quàm morbus evidens. Et sunt vitia morbive, qui non apparent, quum reverá plus habeant discriminis. Proinde qui sibi notus est, nihil opus

opus habet consulere sacerdotem, quemadmodum infantes non consulunt sacerdotem, quia causa eximit illos à lege. Et qui pueros, aut vehementer senes, aut alioqui invalidos, adigunt ad ieiunium aut esum piscium, bis peccant, primùm adversus fraternam charitatem: deinde adversus mentem Pontificum, qui nolunt eos involvi lege, quibus observata perniciem adferret. Christus quicquid instituit, ad sanitatem animi & corporis instituit. Nec ullus Pontifex sibi vindicat tantam potestatem, ut suâ constitutione quenquam adigat ad vitæ discrimen: Veluti, si quis ex inedia vespertina contrahat insomniam, & ob insomniam periclitetur (kk) paraphronesi, simul & adversus ecclesiæ mentem, & adversus Dei voluntatem, homicida est sui. Principes quoties commodum est, editâ lege minantur supplicium capitale. Quid illis liceat, non definio: illud dicam, tutiùs facerent si non infligerent mortem corporis, nisi ob causas in divinis literis expressas. In odiosis dominus longiùs avocat ab extrema linea, velut à periurio, vetans omninò iurare, in homicidio prohibens irasci: nos ob humanam constitutionem ad extremam homicidii lineam impellimus, quàm vocamus necessitatem. Imò quoties apparet causa probabilis, charitatis est ultrò hortari proximum ad ea, quæ postulat corpusculi imbecillitas. Et si nulla apparet causa, tamen Christianæ charitatis est, benignè interpretari, quod recto animo fieri potest, nisi qui comedit, præ se ferat manife-

ſtum eccleſiæ contemptum. Contumaciter ac ſeditiosè veſcentes, rectè punit magiſtratus prophanus, at quid quisq; domi ſuæ pro corpuſculi ſanitate comedat, medicorum eſt curare, non magiſtratuum. Quod ſi quorum improbitas hinc quoque concitet tumultum, ipſi ſeditionis accerſantur, non is qui ſervivit valetudini nec divinâ nec humanâ lege violatâ. Hic certè non in loco præteximus autoritatem pontificum, quorum tanta eſt humanitas, ut ubi cognorint cauſſam haud abſurdam, ultrò invitent ad ea quæ poſtulat valetudo, diplomatis arment adverſus malorum obtrectationes. Denique per univerſam Italiam patiuntur in certis macellis vendi carnes, nimirum illorum ſaluti conſulentes, quos illa lex non aſtringit. Quin & in concionibus ſacris audivi Theologos paulò minus Phariſaicos dicere: Nihil eſt quod vereamini cœnæ tempore ſumere panem unum & (li)heminam vini cerviſiævé propter imbecillitatem humani corporis. Si tantum ſibi ſumunt autoritatis, ut pro cœna cœnulam indulgeant validis, idq; contra præceptum Eccleſiæ, quæ ieiunium indixit, non cœnulam: quur non audent iuſtam cœnam permittere iis, quorum imbecillitas hoc requirit, & pontifices expreſſis cauſſis declararunt ſibi placere? Dicatur zelus, ſi quis durius tractet corpus ſuum. Nam ſibi quisque notus eſt. At ubi pietas, ubi charitas iſtorum, qui contra legem naturæ, contra legem Dei, contra ſenſum legis pontificiæ fratrem imbecillem, ſpiritu promptum,

corpusculo infirmum ad mortem adigunt, aut morbum morte duriorem? LA. Suggerit mihi tua commemoratio quiddam, quod ante biennium vidi. Erotem nosti virum iam natu grandem, videlicet sexagenarium, valetudine plusquàm vitreâ, tum quotidianis morbis iisq; atrocissimis gravissimisq; studiorum laboribus sic afflictâ, ut vel Milonem possint deiicere: ad hæc occultâ quadam naturæ proprietate vel à puero sic & abhorrens à piscium esu, & impatiens inediæ, ut nunquam id tentarit absq; capitis discrimine, postremò diplomatis pontificum abunde communitus adversus Pharisaicas linguas. Is nuper eò vocantibus amicis, inviserat civitatem (mm) Eleutheropolim, non omninò suo nomini respondentem. Erat autem quadragesimæ tempus. Datus est unus atq; alter dies amicorum affectibus. Interim vescebatur piscibus, ne quem offenderet, quum haberet præter necessitatem à pontifice diploma, per quod licebat vesci quibuslibet. Iam præsentiebat morbum imminentem, quem habebat familiarem, sed morte crudeliorem: parat abitum, & res urgebat, nisi maluisset ibi decumbere. Ibi quidam suspicantes illum hoc maturiùs abire, quod non ferret esum piscium, effecerunt ut Glaucoplutus vir adprimè doctus & primæ in ea republica autoritatis, Erotem invitaret domum suam ad ientaculum. Eros iam turbæ satur, quàm in publico diversorio vitare non poterat, assensus est, sed hac lege, ne quid esset apparatus, præter ova duo, quæstans ubi comedisset, equum conscenderet. Promissum est ita fore. Ubi

eò venit, paratus erat pullus gallinaceus. Eros indignè ferens prater ovanihil attigit & abrumpens convivium conscendit equos deducentibus eruditis aliquot. Eius pulli nidor, nescio quomodo, pervenerat ad sycophantas. Ab his rumor sparsus est tam atrox, ac si decem homines fuissent veneno necati. Nec ea civitas modò perstrepuit hac fabulâ, sed eodem die fermè rumor ad alias civitates transvolarat, quæ aberant itinere tridui. Atque ut fit, rumor aliquid veris addiderat, Erotem ni properè fugisset, accersendum fuisse ad magistratum. Hoc ut erat falsissimum, ita verum erat Glaucoplutum magistratui expostulanti satisfecisse. Iam Eros sic affectus, ut dixi, si vel in publico carnibus vescetur, quis deberet offendi? Et tamen in eadem civitate totam quadragesimam, sed præcipuè diebus festis, bibitur usque ad insaniam, clamatur, saltatur, pugnatur, luditur aleâ proximè templum, ut sacra concio non possit audiri, & nullum est offendiculum. SAL. Mira iudiciorum perversitas. LAN. Accipe fabulam huic non dissimilem. Iam fermè biennium est, quòd idem Eros valetudinis ergò viseret Ferventiam: ego officii gratiâ comitatus sum. Divertit in ædes veteris amici, cuius crebris literis fuerat vocatus. Is est vir præpotens & illius ecclesiæ procerum unus. Ventum est ad pisces: rursus Eros cœpit periclitari, agmen morborum erat febris, cephalalgia, vomitus, calculus. Hospes tametsi videret graviter periclitantem amicum, nõ ausus est tamen carnium micam dare amico. Quamobrem? Videbat toi caus-

sa

sus quur liceret, viderat diploma. Sed metuebat linguas hominum. Et iam eò profecerat morbus, ut frustra daturus fuerit. SAL. *Quid Eros? Novi hominis ingenium, emoriatur citius quàm amicum ulla gravet invidiâ.* LAN. *Incluſit ſe cubiculo, triduum vitam vitavit ſuo more. Prandium erat ovum unũ, potus aqua ſaccaro decocta. Simulatq; ſe remiſerat febris, conſcendit equum, ſecum deferens commeatum.* SAL. *Quem?* LAN. *Lac amygdalinum in laguncula, & uvas paſſas in crumena. Vbi domum rediit, tum aperuit ſeſe calculus, totumq; menſem decubuit. Et tamen hunc quoque abitum ſævus ſed vanus carnium rumor ſequutus eſt, & Lutetiam uſque perlatus, non ſine frequẽti ſplendidorum mendaciorum comitatu. Quod tu remedium arbitraris idoneum talibus offendiculis?* SAL. *Ut in illorum capita cuncti ſuas matulas effundant, & ſi fortè occurrant, obturatis naribus prætereantur, quò vel ſic agnoſcant ſuam veſaniam.* LAN. *Certè hanc Phariſaicam impietatem oportebat acribus theologorum convitiis flagellari. De hoſpite verò illo quid cenſes?* SAL. *Mihi vir prudens videtur, qui norit, quàm frivolis de cauſis, quantas tragœdias interdum excitet populus.* LAN. *Sit hoc ſanè prudenter factum, & boni viri metum civiliter interpretemur. At quàm multi ſunt, qui quum in ſimili caſu fratrem mori patiantur, eccleſiæ conſuetudinem, & populi ſcandalum prætexunt: Cæterùm in vita palàm dedecoroſa, quam agunt in comeſſationibus, in amoribus,*

in luxu, in otio, in summo contemptu sacrorum studiorum, in rapinis, simoniis & fraudibus, nihil formidant populi scandalum. SAL. *Omninò tales sunt quidam. Quod isti pietatem appellant, immanis, & impia crudelitas est. Sed illi mihi videntur crudeliores, qui non ex occasione relinquunt hominem in periculo, sed inventis periculis veluti laqueis, impellunt multos in corporis animiq; manifestum discrimen, præsertim nullâ publicâ autoritate pollentes.* LAN. *Expecto quid dicas.* SAL. *Ante annos triginta vixi Lutetiæ in collegio, cui cognomen ab aceto.* LA. (nn) *Sapientiæ vocabulum audio. Quid verò narras? Vixit salsamentarius in eo collegio tam acido? Non mirum igitur, si tantum tenet quæstionum theologicarum. Nam illic, ut audio, parietes ipsi mentem habent theologicam.* SAL. *Sic est, ut dicis, ego tamen præter corpus pessimis infectum humoribus, & pediculorum largissimam copiam nihil illinc extuli. Verum ut pergam, quod cœpi. In eo collegio tum regnabat Iohannes Standonens, vir in quo non damnasses affectum, sed iudicium omninò desiderasses. Etenim quod ipse memor adolescentiæ, quam cum extrema paupertate transegerat, rationem habebat pauperum, vehementer probari debet. Et si iuvenum inopiam hactenus sublevasset, ut honestis studiis suppeteret rerum usus, nõ ad lasciviam exuberaret copia, laudem merebatur. Cæterùm quod rem aggressus est, cubitu tam duro, victu tam aspero, parcoq;, vigiliis ac laboribus tam gravibus, ut intra annum prima experientia, multos iuvenes*

felici

felici indole præditos, ac spem amplissimam præ se fe-
rentes, alios neci dederit, alios cæcitati, alios demen-
tiæ, nonullos & lepræ, quorum aliquot ipse novi, cer-
tè nullus omnium non periclitatus est, quis non intel-
ligat esse crudelitatem in proximum? Nec his con-
tentus, addidit pallium & cucullam, ademit in to-
tum esum carnium. Et huius generis plantaria,
transtulit in longinquas regiones. Quod si quisque
tantum permittat suis affectibus, quantum ille per-
misit, futurum est, ut istorum similes totum occupent
mundum: Siquidem à talibus initiis, primùm orta
sunt monasteria, quæ nunc minitantur pontificibus
& monarchis. In proximi ad pietatem resipiscentis
lucro gloriari pium est, in veste aut cibo gloriam
quærere Pharisaicum est. Proximorum inopiam sub-
levare pietas est: prospicere ne liberalitate bonorum
abutantur ad luxum, disciplina est. Cæterum in
morbos, in delirationem, in mortem his rebus impel-
lere fratrem, crudelitas est, parricidium est. Abest
fortasse voluntas occidendi, at non abest homicidiũ.
Quæ igitur istis debetur venia? Nimirùm quæ me-
dico, qui per insignem imperitiam occidit ægrotum.
Dicet aliquis, nullus illos cogit ad hoc vitæ genus, spõ-
te veniunt, rogant admitti & liberum est abire per-
tæsis. O Scythicam responsionem. Itáne postulant,
ut adolescentes rectiùs perspiciant, quid ipsis conve-
niat, quàm vir doctus, rerum usu tritus, & ætate
provectus? Sic sese excuset lupo, qui famelicum o-
stensâ escâ pellexit in retia. An qui vehementer esu-
rienti apponat cibum insalubrẽ aut lethiferum et-

iam,

iam, ita semet excusabit pereunti? Nemo te coëgit edere, volens ac lubens devorasti quod erat appositum. Nónne is iure respondeat? Tu non cibum dedisti sed venenum. Telum ingens necessitas, grave tormentum fames. Auferant igitur illa magnifica verba, libera erat electio. Imò magnam vim admovet, quisquis talibus utitur tormentis. Nec ea sævitia tantum perdidit tenues, sustulit non paucos divitum filios & generosam indolem depravavit. Ætatem lascivientem moderatis rationibus cohibere, paternum est. Cæterùm in medio hyemis rigore datur postulantibus paululum panis, potus iubetur è puteo peti, qui aquam habet pestilentem pestiferam alioqui, etiam si nihil haberet præter rigorem matutinum. Novi multos, qui valetudinem ibi contractam, nec hodiè possunt excutere. Erant aliquot cubicula humili solo, putri gypso, vicinià latrinarum pestifera. In his nullus unquam habitavit, nisi aut mors aut morbus capitalis fuerit consequutus. Omitto nunc miram flagrorum carnificinam, etiam in innoxios. Sic aiunt dedisci ferociam: ferociam appellant indolem generosiorem quam studio frangunt, ut eos reddant habiles monasteriis. Quantum ibi devorabatur ovorum putrium? quantum vini putris hauriebatur! Sunt fortassis hæc iam correcta, sed serò, videlicet iis qui perierunt, aut corpus circunferunt infectum. Neque verò hæc commemoro, quod malè velim illi collegio, sed operæ pretiũ esse iudicavi monere, ne sub ũbra religionis humana sævitia corrumpat ætatem imperitam ac teneram.

Iam

Jam quantum ibi discatur civilitatis, aut veræ pietatis, in præsentia non excutio. Quòd si viderem malitiam exuere, quicunq; cucullam induunt, hortarer omnes ad cucullam. Nunc alia res est: proinde non sunt ad hoc vitæ genus frangendi spiritus suppullulantis ætatis, sed animus magis ad pietatem educandus. Mihi vix contigit ullum ingredi mònasterium Carthusianorum, quin illic offenderim unũ atq; alterum aut simpliciter mente captum aut delirantem. Verùm iamdudum tempus est, ut à tam longa digressione redeamus ad institutum. LA. Imò nullum est digressionis dispendium. Rem ipsam egimus, nisi si quid tibi fortè succurrit, quod adiiciendum putes, iis quæ disserta sunt de constitutionibus humanis. SA. Mihi quidem nec humanum præceptum implere videtur, qui negligit hoc præstare quod spectavit is qui præcepit. Etenim qui festis diebus tantum abstinet ab operibus manuariis, nec interim vacat sacris, aut audiendis concionibus, violat festũ diem, negligens id cuius gratiâ festus dies institutus est. Ideò enim interdictum est opus bonum, ut fieret melius. Iam verò qui prosolitis operis, vacant popinis, scortis, temulentiæ, pugnis & aleæ, bis violant diem festum. LAN. Opinor & precum sacrarum pensum in hoc præscriptum sacerdotibus ac monachis, ut hac exercitatione consuescerent sustollere mentem in Deum: & tamen qui pensum hoc non absolvit periclitatur. Qui tantum ore demurmurat voces, nec curat animum ad ea quæ sonat colligere, imò ne literas quidem studet discere, sine quibus

quæ

quæ sonant intelligi non possunt, vir bonus habetur, ac sibi quoq; videtur. SAL. *Ego multos novi sacerdotes, qui piaculum inexpiabile putant, aliquam partem precum omisisse, aut per errorem dixisse de D. virgine, quum dicendum esset de S. Paulo. At iidem pro nihilo ducebant, aleam, scortum, ac temulentiam, quæ divinis pariter & humanis legibus vetita sunt.* LAN. *Nec paucos ego comperi, qui citiùs mortem oppetissent, quàm vel casu gustato cibo, aut dum os proluunt, delapsis in stomachum aliquot aquæ guttis sacrificassent: at iidem fatebantur esse sibi cum quibusdam simultatem, quos, si daretur opportunitas, occiderent, nec verebantur cum hoc animo ad sacram Christi mensam accedere.* SAL. *Atqui ut ieiuni sacrificent, hominis præceptum est, ut deponant iras priùs quàm accedant ad sacram mensam, Dei præceptum.* LAN. *Iam verò de periurio quàm præpostere iudicamus! infamis habetur, qui iureiurando confirmavit, se dissoluisse æs alienum, si convincatur non dissoluisse: nec periurium obiicitur sacerdoti, qui palam impudicè vivit, quum iureiurando publice professus sit castitatem.* SA. *Quin istam cantionem canis episcoporum vicariis, qui coràm altari deierant, se comperisse omnes quos offerunt initiandos idoneos ætate, scientiâ & moribus, quum aliquoties inter hos vix duo trésve sint tolerabiles, plurimi vix ad* (oo) *stivam idonei.* LA. *Vocatur ad pœnam, qui commotus aliquâ causâ peierat, & non puniuntur, qui tertio cuique verbo admiscent periurium.* SAL. *Isti non iurant ex animo.*

LAN.

LAN. *Eodem (pp) colore patrocineris licebit ei, // qui hominem occîdit non ex animo. Peierare nec // ioco, nec serio, fas est. Et atrocius crimen foret, si // quis ioco necaret hominem, quàm si commotus irâ. //* SAL. *Quid si quis ad eandem trutinam expendat iusiurandum principum, quo inaugurantur?* LA. *Et ista quum sint maximè seria, tamen quoniam velut ex more fiunt, non habentur pro periuriis. Eadem est querimonia de votis. Matrimonii votum est iuris, sine controversia, divini, & tamen dirimitur per monasticæ vitæ professionem ab hominibus repertam.* SAL. *Quum nullum votum religiosius // sit, quàm baptismi, tamen qui vestem mutat aut locum, perinde quasi patrem veneno necarit, perquiritur, rapitur, stringitur, nonnunquam & occiditur propter honorem ordinis. At quorum tota vita pugnat ex diametro cum professione baptismi, quippe qui toti serviunt mammonæ, ventri, & huius mundi pompis, habentur in pretio, nec his obiicitur voti violati crimen, nec exprobratur, nec vocantur apostatæ, sed habentur pro Christianis.* LAN. *Simile vulgi iudicium est de benefactis ac malefactis, deq; præsidiis beatitudinis. Quanta infamia sequitur puellam lapsam? at longè gravius crimen est, lingua mendax & obtrectatrix, & animus odio livoreq; corruptus. Vbi non gravius punitur quamvis leve furtum, quàm adulterium? Nemo lubens // cum eo consuetudinem habet, qui semel furti aspersus est infamiâ: cum eo qui coopertus est adulteriis // pulchrum est habere familiaritatẽ. Spiculatori pu- //*

blico, qui stipendio conductus, servit legibus, quemadmodum & iudex ipse, nemo dignetur locare filiam: Et non detestamur affinitatem militis, qui toties invitis parentibus, & vetante nonnunquam magistratu subduxit sese ad bellum mercenarium, tot stupris, tot raptibus, tot sacrilegiis, tot homicidiis, aliisq; facinoribus imburati, quæ vel in ipsa militia, vel in profectione ad bellum, & reditu à bello committi solent: hunc generum adscisimus, hunc quovis carnifice peiorem adamat virgo, & interpretamur etiam nobilitatem quæsitam scelere. Qui nummum tollit pendet, qui fraudatâ monetâ publicâ, qui monopoliis, qui usuris, qui mille technis ac fraudibus tam multos spoliant, inter præcipuos habentur. S A. Qui uni cuipiam venenum porrigunt, ut venefici, dant pœnas legibus: qui vinis infectis aut oleo vitiato populum inficiunt, impune faciunt. L A. Novi quosdam monachos adeò superstitiosos ut existiment sese esse in manu diaboli, si vel casu sacra vestis absit, nec metuunt ab unguibus diaboli, si mentiantur, si calumnientur, si inebrientur, si invideant. S A. Istiusmodi licet & inter nos idiotas complures videre: non credunt domum tutam à violentia cacodæmonis, nisi paratam habeant aquam consecratam frondes sacras ac cereum, & non metuunt suis ædibus, in quibus quotidie tot modis provocatur Deus, & colitur diabolus. L A N. Quàm multi sunt, qui magis fidunt præsidio virginis matris, aut Christophori, quàm ipsius Christi? Matrem colunt imaginibus, candelis & cantiunculis, Christum impiâ vitâ

vitâ fortiter offendunt. Nauta quum periclitatur, Christi matrem aut Christophorum aut quemvis divorum citiùs invocat, quàm ipsum Christum: & virginem se credunt habere propitiam, quod illi sub noctem cantiunculam non intellectam canunt, Salve regina: ac non potiùs metuunt, ne illa se putet irrideri talibus cantiunculis, cum totus dies magnaq; noctis pars illis transigatur, obscœnis sermonibus, temulentiis, & factis non referendis. SAL. Ita militi periclitanti citiùs in mentem venit Georgius aut Barbara, quàm Christus. Porrò quum nullus sit cultus divis gratior quàm imitatio factorum quibus ipsi Christo placuerunt, hanc partem fortiter contemnimus. Et Antonium nobis egregiè faventem fore credimus, si illi porcos aliquot sacros alamus, fiq; ipsum cum suo porco, igni & tintinnabulo pictum habeamus in foribus ac lateribus ædium: nec metuimus, quod magis erat metuendum, ne ille malè velit ædibus, in quibus regnant ea vitia, quæ vir sanctus semper fuit detestatus. Virgini annumeramus rosariola, & salutatiunculas, quin potiùs annumeramus in illius gratiam coërcitum animi tumorem, repressam libidinem, condonatam iniuriam? Huiusmodi cantiunculis delectatur Christi mater, his officiis demerueris utrunq; LAN. Itidem morbo periclitanti citiùs in mentem venit S. Rochus aut Dionysius, quam Christus unica salus hominum. Quin & hi qui sacras literas interpretantur è suggesto, quas nemo sine spiritus afflatu, vel intelligere rectè,

vel docere potest utiliter, malunt invocare virginis matris auxilium, quàm ipsum Christum, aut Christi spiritum. Et in hæreseos suspicionem vocatur, qui mutire audet adversus hanc consuetudinem, quam vocant laudabilem. Atqui laudabilior erat veterum consuetudo, quam obtinuerunt Origenes, Basilius, Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, qui spiritum Christi identidem invocant, virginis auxilium nusquam implorant: Nec in eos stomachantur, qui tam sanctam consuetudinẽ, & ex Christi & apostolorum doctrina, & sanctorum patrum exemplis desumptam, ausi sunt immutare. SAL. *Similis error habet complures monachos, qui sibi persuadent Benedictum esse propitium, donec gestent illius cucullam & pallium, quanquam non arbitror eum virum unquam gestasse tam* (qq) *lacinioſam magnoq; emptam vestem: nec verentur illius iram, quod in vita nihil habeant cum illo commune.* LAN. *Francisci germanus est, qui vestem cinericiam, & cannabeum cingulum non abiicit: vitam confer, nihil pugnantius. De plerisque loquor, non de omnibus. Atque hic sermo per omnes ordinum & professionum formas circumferri potest. Ex corruptis iudiciis nascitur præpostera fiducia, & ex iisdem nascuntur præpostera scandala. Prodeat Franciscanus coriaceâ zonâ cinctus, qui casu funem suum perdiderit: aut Augustinensis laneum gestans cingulum, aut discinctus, qui cingi soleat, quæ futura est abominatio! quãtum periculum, ne mulieres ad hoc spectaculum abor-*

abortiant? Et ex huiusmodi nugis, quanta fraternæ charitatis ruptura? quàm acerba odia? quàm virulentæ obtrectationes? Adversus hæc clamat Dominus in Evangelio, nec minus graviter Paulus Apostolus. Adversus eadem clamandum esset Theologis & concionatoribus. SAL. Esset sanè, sed in his multi sunt, quibus expedit talem esse populum, imò tales esse principes, tales episcopos. Et sunt rursus, qui nihilo plus sapiunt in his, quàm populus: aut si quid sapiunt, dissimulant, suo ventri consulētes potiùs quàm IESV Christo. Itaq; fit, ut populus undique corruptus præposteris iudiciis, ibi fidat ubi præsens est periculum: ibi trepidet, ubi nihil est periculi: ibi conquiescat, unde progrediendum erat: eò proficiat, unde erat recedendum. Ab his malè structis, si quid tentes convellere, clamant excitari seditionem, quasi seditio sit, si quis vitiosum corporis habitum, quem imperitus medicus diu foverit, ac propemodùm verterit in naturam, conetur eximere pharmacis melioribus. Verùm abrumpenda est querimonia, quæ finem non habet. Et periculum sit, si senserit populus hoc nostrum colloquium, ne novum suscitent proverbium, quod hæc curæ sint Salsamentario & Lanioni. LAN. Istis ego regeram vetus proverbium: Sæpè etiam est holitor valdè opportuna loquutus. Nuper quum ista dissererem super cœnam, malis auspiciis aderat quidam pannosus, pediculosus, luridus, vietus, exuccus, facie cadaverosâ, cranium vix habebat tres pilos, quoties loquebatur, claudebat oculos, aiebant Theologum esse. Is me

vocabat discipulum antichristi, aliaq; permulta balbutiebat. SAL. *Quid ibi tu? mutus?* LAN. *Ego illi precabar micam sobriæ mentis in tam putido cerebro, si tamen ullum habebat cerebrum.* SAL. *Iuvaret & istam audire fabulam ordine.* LAN. *Audies si die Iovis veneris ad prandium. Habebis vitulinam crusto incoctam: contusam, adeoq; teneram, ut possis vel exugere.* SAL. *Polliceor hac lege, si die Veneris apud nos prandeas, efficiam ut intelligas salsamentarios non semper vesci putribus salsamentis.*

(a) *Cubito nasum*: Extat iocus Ciceronis in Salsamentarii filiũ. (b) *Venimus ad summũ*: de re extremæ impudẽtiæ (c) *Lotione superior*: Sic Horat.; quia subinde inquinatur. (d) *Dis manib.* Id est inferis. Sic Decius & Q. Curtius se Diis manibus devoverunt. (e) *Tabes* quam φθίσιν Græci vocant. (f) *Epilepsis* morbus comitialis. (g) *Muria* Sive muries est aqua Salsamentorum (h) *Agoranomi* præfecti foris in quibus venduntur esculenta. (i) *Torpedo* piscis lethalis contactu. (k) *Hydrus* serpens aquatilis. (l) *Lepus* piscis homini præsentissimum & immedicabile venenũ, & homo pisci, adeo ut hominis contactu solùm moriatur. (m) *Hectici* qui perpetuâ laborant febri iam in habitum actâ. (n) *Phthisici* qui contabescunt & exarescunt. (o) *Vertigo* capitis est præludium ad morbum comitialẽ. Hœdus autem dicitur obnoxius ei morbo & carnes inimicæ ad id propensis mali. (p) *Echinus* piscis spinas habens pro pedibus, hic imminente tempestate afflgit sese, aut saburrat harenâ. (q) *Hordei* tunica; alludit ad allegoriam parabolæ de quinq; panibus hordeaceis. (r) *Ate* Dea Homerica quæ dissidia serit inter Deos & homines. (s) Id est in malam rem. (t) *Ab asino*, id est, à proposito digressi Vide Chiliad. (u) Terminum agit; fabula de Termino Deo, qui nec Iovi voluit cõcedere, notissima est. (x) *Pisces muti* esse declarat proverb. (y) De dissecando corpore

vide

vide A. Gellium de pœnâ talionis. (z) *Si fractus* illâbatur orbis, &c. Verba Horat. ex od. (*aa*) *Doli capaces*: Ita loquuntur Inreconsulti. Alter ex ambiguo iocatur, quasi doli capax, qui dolo est idoneus. (*bb*) *Bulbis*: Genus est cepis. Et bulbus & eruca provocat Venerem. Vnde Ovid. *Salaces vocat erucas*. (*cc*) *Pomeria* id est limites præscriptos. (*dd*) *minus aleæ* id est minus periculi (*ee*) *Tyria maria* id est summos tumultus. Vide proverb. (*ff*) *Inficialis* status, quum factum negatur. *Qualitatis*, quùm defenditur, ut iure factum. *Translationis* cum culpa facti transfertur in alium. (*gg*) *Pampineis*, quia Baccho operabantur. (*hh*) *Thyrsi*, hastæ vitex, quas gestabant agentes bacchanalia. *Silenus* apud Virgilium inducitur senex Epicureus. Est & Deus comes Bacchi. (*ii*) Id est argumentis: sed propriè argumentum futile lemma dicitur. (*kk*) *Paraphronesis*, deliratio id est lenior insania. (*ll*) *Hemina* mensuræ genus sextarii dimidium. (*mm*) *Eleutheropolis* id est libera civitas. (*nn*) Alludit ad locum Plautinum. *Habetne acetum in pectore?* nos acri ingenio dicimus. (*oo*) Id est ad aratrum. Nam stiva pars aratri. (*pp*) *Color* in Rethoricis est ratio defensionis. Iuv. *duc Quintiliane colorem*. Et Senec. in controversiis sæpe meminit coloris. (*qq*) *Lacinios a* id est sinuosa, multiq; panni quod tamen primùm videtur inventum, quod minus apparerent vestigia corporis.

FVNVS.

MARCOLPHVS, PHÆDRVS.

MAR. *Vnde nobis Phædrus, num ex* (a) *antro Trophonii?* PH. *Cur istuc rogas?* MA. *Quia præter morẽ tristis, horridus, squalidus, torvus: in summa nihil minus, quàm quod diceris.* PH. *Si quis diutiùs versantur in officinis fabrorũ ærariorũ, aliquid nigroris sibi contrahunt: quid miraris, si ego, tot dies versatus apud duos ægrotantes, morientes, & sepultos, solito sum mœstior, præsertim cum* [illegible] *mihi fuerit*

egregiè charus? MAR. Quos mihi narras sepultos? PH. Nosti Georgium Balcaricum? MA. Nomine duntaxat, de facie non novi. PH. Alterum scio tibi prorsus ignotum esse. Is erat Cornelius Montius, quî cũ mihi plurimis iam annis interceſſit arctiſſima neceſſitudo. MA. Mihi nunquam contigit adesse morienti. PH. Mihi sæpiùs quàm vellem. MA. Sed est ne mors res tam horrenda, quàm vulgò prædicant? PH. Iter ad mortẽ durius, quàm ipsa mors. Quòd si quis horrorem illum, & imaginationem mortis excutiat animo, magnã mali partem sibi detraxerit. Breviter, quicquid est cruciabile, vel in ægrotatione, vel in morte, longè tolerabilius redditur, si quis se totum tradat divinæ voluntati. Nam quod attinet ad sensũ mortis, cùm iã animus distrahitur àcorpore: arbitror aut nullũ esse, aut per quàm stupidũ esse sensum, quòd natura prius quàm huc veniatur, consopiat ac stupefaciat omnes partes sensibiles. MA. Nascimur absq; sensu nostri. PH. Sed non absq; sensu matris. M. Cur non itidem emorimur? Cur Deus morĩ voluit esse tã cruciabilem? PH. Nativitatẽ voluit esse gravẽ ac periculosam matri, quò charius haberet, quod peperisset: mortem autẽ unicuiq; voluit esse formidabilem, ne passim homines sibi mortem consciscerent. Etenim quum videamus & hodie tam multos sibi manus adferre: quid censes futurum, si mors nihil haberet horribile? Quoties vapulasset servus, aut etiam filius adolescens, quoties uxor indignaretur marito, quoties perisset res, aut aliud accidisset, quod agrè esset animo, protinùs ad laqueum,

ad

ad gladium, ad flumen, ad præcipitium, ad venenum currerent homines. Nunc mortis acerbitas vitam nobis reddit chariorem præsertim quum medici nequeant mederi semel vitâ defuncto. Quanquam ut non omnibus eadem est nascendi sors, ita non est eadem omnibus mortis ratio. Quosdam cita mors protinus liberat, alii lentâ morte contabescunt. Lethargici, quemadmodum & ab aspide percussi, somno consopiti citra sensum sui moriuntur. Illud observavi, nullum esse mortis genus tam acerbum, quin perferatur, si quis obfirmato animo decrevit exire. MAR. *Vtrius mors visa est Christianior?* PH. *Mihi quidem Georgii visa est honorificentior.* MAR. *Etiámne mors habet ambitionem suam?* PHÆ. *Ego nunquam vidi duos tam dispari morte morientes. Si vacat audire, depingam excessum utriusque: tuum erit iudicare, utra mors sit optabilior homini Christiano.* MAR. *Imò te rogo, ne graveris narrare. Nam ipse nihil audiero cupidius.* PH. *Ergo de Georgio prius audi. Vbi mors iam certa sui signa dederat, medicorum chorus, qui diu curarant ægrotum, dissimulatâ vitæ desperatione, cœperunt mercedem poscere.* MAR. *Quot erant medici?* PH. *Aliquando decem, interdum duodecim, cùm paucissimi sex.* MAR. *Satis erat ad occidendum vel valentem.* PH. *Numeratâ pecuniâ clàm submonuerunt proximos, non procul abesse mortem, curarent ea, quæ pertinerent ad animæ salutem: nam de corporis incolumitate nihil esse spei. Per amicos intimos blandè submonitus*

est & ægrotus, ut corporis curam Deo committeret, ea tantum curaret, quæ pertinerent ad feliciter hinc emigrandum. His auditis mirâ torvitate Georgius oculos intendit in medicos, velut indignè ferens, quod ab illis destitueretur. Illi respondérunt, se medicos esse, non deos: quod artis erat, præstitisse: cæterùm adversus fatalem necessitatem nullam valere medicinam. His actis abeunt in proximum cubiculum. MAR. Quid? morantur etiam acceptâ mercede. PH. Inter illos nihil convenerat de morbi genere: alius aiebat hydropem, alius tympanitem, alius apostema in intestinis, alius aliud atque aliud malum: totoq; hoc tempore, quo tractabant ægrotum, acerrimè disceptarunt de morbi genere. MAR. O felicem interim ægrotum! PHÆ. Eam litem ut tandem finirent, per uxorem postularunt, ut sinerent exanimati corporis anatomiam fieri. Id esse honorificum, & solere vel honoris gratiâ fieri in magnatibus: deinde rem eam fore saluti multis, id ad meritorum ipsius cumulum accessurum: postremò pollicentur suo sumptu se commercaturos triginta Missas, cessuras in commodum mortui. Id ægrè quidem, sed tandem blanditiis uxoris ac propinquorum impetratum est. His actis subduxit sese (c)statio medicorum. Negant enim fas esse, ut qui vitæ solent opitulari, mortis sint spectatores, aut exequiis intersint: Mox accitus est Bernardinus, vir, ut scis, reverendus Franciscanorum custos, qui confessionem exciperet. Vix peractâ est confessio; iam aderat

in

in ædibus turba quatuor ordinum quos vulgus appellat mendicantium. MAR. *Tot*(d)*vultures ad unum cadaver.* PHÆ. *Deinde vocatus est Parochus, qui hominem inungeret, sacrumq; symbolum corporis Dominici porrigeret.* MAR. *Religiosè.* PH. *Verùm ibi minimum abfuit, quin inter parochum & monachos cruenta pugna fuerit orta.* MAR. *Apud lectum ægroti?* PH. *Et quidem spectante Christo.* MA. *Quid excitavit tantos tumultus subitò.* PHÆ. *Parochus ubi cognovit ægrotum fuisse confessum Franciscano, negavit se vel unctionis sacramentum, vel eucharistiam, vel sepulturam impartiturum, ni suis auribus audisset ægroti confessionem: se parochum esse, sibi pro sua ovicula reddendam Domino rationem: id non posse, si solus ignoraret arcana conscientiæ.* MARCOL. *Nónne visus est æquum dicere.* PHÆ. *Non illis quidem. Nam strenuè reclamabant omnes, præsertim Bernardinus & Vincentius Dominicanus?* MAR. *Quid adferebant?* PHÆ. *Magnis convitiis incessebant Parochum, subinde vocantes eum asinum, dignumq; qui pastorem ageret porcorum: Ego, inquit Vincentius, sum sacræ theologiæ Baccalaureus formatus, mox Licentiandus, atque etiam Doctoris titulo insigniendus: tu vix legis Evangelium, tantum abest, ut possis excutere secreta conscientiæ. Quòd si libet esse curiosum, exquire quid agat uxor & (e)manzares tui domi, aliaq; per multa quæ me pudet referre.* MAR. *Quid ille, mutus ad hæc?* PH. *Mutus? Imò diceres*(f)

cicadam

cicadam alâ correptam: Ego, inquit, baccalaureos multò te meliores nectam è (g) stipulis fabarum. Autores & principes ordinum vestrorum, Dominicus & Franciscus, ubi didicerunt philosophiam Aristotelicam, aut argumenta Thomæ, aut speculationes Scoti? aut ubi donati sunt titulo baccalaureorum? Irrepsistis in mundum adhuc credulum, sed pauci humiles, quidam etiam docti ac pii, nidulabamini in agris ac vicis: mox in opulentissimas quasque civitates, & in florentissimam civitatis partem demigrastis. Tot sunt agri, qui pastorem alere non possunt, ibi locus erat vestræ operæ: nunc nusquam adestis, nisi in ædibus divitum. Jactatis nomen Pontificum: at vestra privilegia nihil valent, nisi cùm cessat Episcopus, pastor, aut huius vicarius. In meo templo nullus vestrum concionabitur, me pastore incolumi. Non sum Baccalaureus: Nec sanctus Martinus erat: & tamen agebat Episcopum. Si quid mihi deest doctrinæ, à vobis non petam. An creditis etiamnum mundum esse tam stupidum, ut ubicunque viderit vestem Dominici aut Francisci, putet adesse illorum sanctimoniam? Num vestra refert, quid agam domi meæ? Quid vos agatis in latebris vestris, quomodo tractetis sacras virgines, etiam populus novit. Jam quàm nihilo sint vel feliciores vel puriores divitum domus, quas frequentatis, omnibus & lippis & tonsoribus notissimum est. Cætera, Marcolphe, non audeo referre: omninò patres illos reverendos minimè reverenter tractavit. Nec erat futurus

finis:

finis: ni Georgius manu motâ signum dedisset. se velle quippiam dicere. Ægrè impetratum est, ut rixa tantisper consilesceret. Tum ægrotus: Sit pax, inquit, inter vos: tibi parocho dennò confitebor. Deinde pro strepitu nolarum, pro cantionibus funeralibus, pro cenotaphio, pro sepultura numerabitur tibi pecunia prius, quàm exeas hanc domum, neq; committam: ut ulla in parte de me queri possis. MAR. Num parochus recusavit tam æquam conditionem? PH. Non. Tantum obmurmuravit nonnihil de confessione, quam ægroto remisit. Quid opus est, inquit, iisdem repetendis, fatigare tum ægrotum, tum sacerdotem? Si in tempore mihi confessus fuisset, fortassis sanctius condidisset suum testamentum, nunc vos videritis. Hæc æquitas ægroti pessimè habebat monachos, indigne ferentes eam prædæ partem decidi parocho. Ego tamen intercessi feciq;, ut lis sopiretur. Parochus unxit ægrotum, dedit corpus Domini, & numeratâ summâ discessit. MAR. Sequuta est igitur eam tempestatem tranquillitas? PH. Imò tempestatem hanc sævior tempestas protinus excepit. MAR. Obsecro quid causæ? PH. Audies. Confluxerant in ædes quatuor ordines mendicantium; his adiunxit sese quintus Cruciferorum. Adversus hunc ceu nothum quatuor illi magno tumultu coorti sunt: rogabant, ubi vidissent unquam plaustrum quinque rotarum: aut quâ fronte vellent esse plures mẽdicantium ordines, quàm sint Evangelistæ. Eadem, inquiunt, operâ adducite huc mendicos omnes è pontibus

tibus ac triviis. MAR. Quid ad hæc cruciferi? PHÆ. Vicissim rogabant, quomodo tum incessisset plaustrum ecclesiæ, cùm nullus esset ordo mendicantium: deinde, cùm unus esset: postea tres? Nam Evangelistarum, inquiunt, numerus nihilo plus habet adfinitatis cum nostris ordinibus, quàm cum alea, quæ undiq; quatuor ostendit angulos: Augustinenses quis allegit in ordinem mendicantium? aut quis Carmelitas? Quando mendicavit Augustinus, aut quando Helias? Nam hos faciunt suorum ordinum authores. Hæc aliaq; multa fortiter quidem illi detonabant: sed soli quatuor exercituum (h) impressionem non ferentes cesserunt, diratantùm minitantes. MAR. Hîc saltem effulsit tranquillitas. PH. Imò (i) Syncretismus ille in quintum ordinem, versus est in pugnam gladiatoriam: Franciscanus ac Dominicanus contendebant, nec Augustinenses nec Carmelitas esse Germanè mendicos, sed nothos ac suppositittios. Hæc rixa sic increduit, ut planè vererer, ne veniretur ad manus. MAR. Hæccine ferebat ægrotus? PHÆ. Non hæc acta sunt apud lectum, sed in atrio quod cubiculo adhærebat: voces tamen omnes ad ægrotum permanabant. Neq; enim mussabant, sed (k) plenis tibiis res agebatur: & scis alioqui in ægrotis auritum sensum esse acutiorem. MAR. Quis tandem exitus belli? PHÆ. Ægrotus per uxorem denunciavit: ut silerent paulisper, se compositurum hoc dissidium. Itaque rogavit, ut tum quidem temporis Augustinenses & Carmelitæ discederent, hoc illos nullo suo

damno

damno facturos. Nam tantundem, inquit, cibi mittetur eis domum, quantum hic daretur remanentibus. In funere verò iussit omnes ordines adesse, etiam quintum, atque ut æqua pecuniæ portio divideretur singulis: ad commune tamen convivium non adhiberentur, ne quid turbæ posset oriri. MAR. Virum (l) œconomicum mihi narras, qui vel moriens norit tot rerum undas componere. PHÆ. Phy, multis annis gesserat militiæ ducem, Ibi quotidianum est huiusmodi tumultus suboriri inter cohortes. MARCOL. Erat igitur resplendidâ? PHÆ. Admodùm. MAR. Sed malè partâ, ut fit, rapinis sacrilegiis, extorsionibus. PHÆ. Ita quidem vulgò faciunt duces: nec ausim deierare, hunc fuisse ab illorum moribus alienum. Si tamen satis hominem novi, magis auxit rem ingenii dexteritate, quàm violentiâ. MAR. Quî sic? PHÆ. Callebat Arithmeticam. MAR. Quid tum postea? PHÆ. Quid tum? apud Principem supputabat militum triginta millia, quum vix essent septem millia. Deinde multis militibus nihil numerabat. MA. Nè tu mihi magnificam narras Arithmeticam. PH. Deinde bellum arte (m) ducebat, solitus simul & ab hostium & amicorum vicis & oppidis pecuniam stipulari menstruam: ab hostibus, ne paterentur hostilia: ab amicis, ut illis liceret cum hoste pacisci. MAR. Agnosco morem vulgatum militum. Sed absolve narrationem. PH. Bernardinus igitur & Vincentius cum aliquot sui ordinis sodalibus remanserunt apud ægrotum, ad reliquos missus

est

est (n) commeatus. MAR. Satin' inter eos conveniebat, qui remanserant in præsidio? PH. Non usque quaq;. Grunniebant, nescio quid, de prærogativis diplomatum, sed ne non perageretur fabula, dissimulatum est. Hic iam proferuntur cautiones testamentariæ, fiuntq; stipulationes accitis testibus, de iis, quæ inter ipsos antè transegerant. MAR. Isthæc audire gestio. PH. Dicam summatim: nam perlonga est fabula. Superest uxor annos nata duodequadraginta, mulier sanè proba cordataq;: filii duo, alter annum natus undevigesimum, alter decimum quintum: filiæ totidem, sed impubes utraq;. Testamento sic cautum erat, ut uxor, quoniam perpelli non poterat, ut fieret monacha, sumeret pallium Beghinæ, id est, medium genus inter monachas & laicas: Filius natu maior, quoniam nec is induci potuit, ut fieret Monachus. MAR. Vulpes (o) anus non capitur laqueo. PHÆ. Mox ab exequiis patris properaret Romam, ibique ex relaxatione Pontificis factus ante legitimam ætatem sacerdos, totum annum singulis diebus sacrificaret in templo Vaticano pro anima patris, & sacros gradus in Laterano, singulo quoque Veneris die genibus perreptaret. MAR. Suscepit hæc libenter? PHÆ. Ne dicam dolo, ut (p) asini solent sarcinas impositas. Filius minor dicaretur sancto Francisco, filia maior sanctæ Claræ, minor Catharinæ Senensi. Hoc tantum potuit obtineri: nam Georgii mens erat, quò magis sibi haberet Deum obnoxium, quinque superstites partiri in

quinque

quinque mendicantium ordines: & acriter quidem adlaboratum est, sed ætas uxoris, filiiq; maioris, nec minis, nec blanditiis cessit. MAR. Exhæredandi genus. PH. Vniversa hæreditas sic erat divisa, ut detractis de (q) solido impendiis funeralibus, uncia cederet uxori, cuius dimidiâ victitaret ipsa, dimidium cederet loco, cui seforet addictura: unde si mutato consilio recederet, tota pecunia resideret penes eum gregem: altera uncia decideretur filio, cui tamen statim numeraretur viaticum, & quod satis esset emendo (r) diplomati, parandóque victui annuo Romæ. Qui si mutatâ sententiâ recusaret initiari sacris ordinibus, illius uncia divideretur inter Franciscanos & Dominicanos. Et id ne fiat, vereor: adeò videbatur adolescens à sacris abhorrere. Duæ unciæ cederent Monasterio, quod excepisset filium natu minorem: binæ item monasteriis, quæ excepissent puellas: sed hac lege, ut si illi detrectarent eam vitam profiteri, omnis tamen pecunia penes illos maneret incolumis. Iam una rursus uncia decideretur Bernardino, tantundem Vincentio: dimidium uncia Carthusianis, pro communione bonorum operum omnium, quæ toto fierent ordine. Vnciæ & semis quæ supererat, distribueretur occultis pauperibus, quos beneficio dignos iudicassent, Bernardinus & Vincentius. MAR. Debebas Iureconsultorum more dicere, quos vel quas. PH. His igitur verbis stipulati sunt, recitato testamento: Georgi Belearice, vivus & sanæ mentis approbas hoc testamentum, quod dudum ex animi tui sententia

tia condidisti? Approbo. Et hæc est tua suprema & immutabilis voluntas? Est. Meque & hunc Vincentium Baccalaureum instituis ultimæ tuæ voluntatis executores? Instituo. Iussus est denuo subscribere MAR. Qui potuit moriens? PH. Bernardinus rexit ægroti manum. MAR. Quid subscripsit? PH. Sanctum Franciscum & sanctum Dominicum iratos habeat, qui tentarit hinc aliquid immutare. MAR. At non metuebant actionem testamenti inofficiosi? PH. Ista actio non habet locum in his quæ Deo dicantur: neq; quisquam libenter cum Deo litem suscipit. His peractis, uxor & liberi datis dexteris ægroto, iurãt se servaturos quod recepissent. Posthæc cœptum est agi de pompa funerali, non sine contentione. Tandem hæc vincit sententia, ut ex quinque ordinum singulis adessent novem in honorẽ quinq; voluminum Mosis, & angelorum in novem choros digestorum. Suam quisq; ordo crucem præferret, canerentq; funebres (s) nænias. Adhæc, præter cognatos, conducerentur triginta (tot nummis erat venditus Dominus) (t) daduchi pullati, & honoris gratiâ ploratores duodecim (hic est numerus ordini apostolico sacer) comitarentur: à feretro sequeretur equus Georgii pullatus, sic ad genua alligata cervice, ut herum humi requirere videretur. Stragula hinc atque hinc ostenderent insignia. Similiter & unaquæque tæda & pulla vestis haberet insignia. Reponeretur autem corpus quidem ipsum ad dextram altaris summi in tymbo marmoreo, qui promineret à solo pedes quatuor: ipse in summo

recum-

recumberet, Pario sculptus marmore, totus armatus à vertice usque ad calcaneum, nec deesset galeæ sua crista: crista erat onocrotali collum, nec clypeus lævo brachio, in quo insignia hæc erant, tria capita apri sylvestris aurea, in (u) planicie argentea: nec lateri gladius inaurato capulo: nec baltheus inauratus ac gemmis distinctus bullis, nec pedibus aurea calcaria: erat enim eques auratus: sub pedibus haberet leopardum. Ora sepulchri titulum haberet tali viro dignum. Cor autem separatim recondi volebat in sacello divi Francisci. Intestina mandavit parocho honorificè sepelienda in sacello, quod est virgini matri sacrum. MAR. Funus nimirum honorificum, sed nimio constans. Venetiæ vel cerdoni cuipiam plus haberetur honoris minimo impendio. Feretrum elegans dat sodalitas, & unum comitantur aliquando sexcenti monachorum tunicis palliisve vestiti. PH. Vidimus & nos, risimusq; istas pauperum ineptas glorias. Incedunt fullones & coriarii supernè, infernéque cerdones, in medio monachi, chimæras esse diceres: nec hic alia res erat, si vidisses. Cautum est & illud Georgio, ut Franciscanus & Dominicanus inter sese sortè decernerent, utris primus cederet locus in pompa: post hos cæteri quoque sortirentur, ne quid hinc oriretur tumultus. Parochus & huius clerici locum tenerent infimum, hoc est, primum. Nec enim aliud erant passuri monachi. MAR. Non acies tantum, sed & pompas ille callebat ordinare. PHÆ. Cautum est & illud, ut funebre sacrum, quod

apud parochum fieret, modulato musicorum concentu peragereturhonoris gratiâ. Dum hæc aliáque tractantur, inhorruit ægrotus, deditq; signa certissima supremum tempus adesse. Adornatur igitur extremus fabulæ actus. MAR. Nondum finis? PH. Recitatur diploma Pontificis, in quo promittebatur criminum omnium abolitio, totusq; purgatorii metus adimebatur. Ad hæc iustificabantur omnia illius bona. MA. Rapto parta? PH. Certè iure belli, ac more militari. Sed fortè aderat Philippus Iureconsul. uxoris frater: Is in diplomate notavit locum secus positum, quàm oportuit, & iniecit suspicionem falsi. MAR. Haud quaquam in tempore. Dissimulandum erat, etiamsi quid inesset erroris, & nihilo peius habuisset ægrotus. PH. Adsentior. Et ægrotus sic hac re perturbatus est, ut minimum abesset à desperatione. Ibi Vincentius fortem virum præbuit: iussit Georgium quieto esse animo, sibi esse potestatem corrigendi supplendique, si quid in diplomatibus vel erratum esset, vel omissum. Quòd si te, inquit, fefellerit diploma, ego iam nunc hanc animam pro tua suppono anima, ut tua petat cœlos, mea dedatur Orco. MAR. Accipit ne Deus tales animarum permutationes? Et si accipit, num satis cautum videbatur Georgio tali pignore? Quid si Vincentii anima vel absq; permutatione debebatur inferis? PH. Quod gestum est narro. Hoc certè perfecit Vincentius: ægrotus visus est animum recipere. Mox recitantur cautiones, quibus Georgio promittebatur societas omnium operum, quæ fierent per quatuor ordines

&

& quintum Carthusiensium. MA. Ego metuerem, ne deprimerer ad inferos, si tantum sarcinæ baiulandum esset. PH. De bonis operibus loquor: ea non aliter gravant animam subvolaturam, quàm plumæ avem. MAR. Mala igitur opera sua quibus legant? PH. Militibus Germaniæ conductitiis. MA. Quo iure? PH. Iure Evangelico: Habenti dabitur. Simulq; recitatus est numerus missarum & psalteriorum, quæ defuncti animam essent comitatura. Erat autem immensus. Post hæc iterata est confessio, dataq; benedictio. MA. Ita efflavit animã? PH. Nondum. Strata est humi storea iuncis contexta, sic ut ab initio convoluta cervicalis speciem ex sese faceret. MA. Quid nunc futurum est? PH. Eam consperserunt cinere, sed raro: ibi deposuêre corpus ægroti. Instrata est tunica Franciscana, sed prius consecrata preculis & aquâ lustrali: Cuculla supposita est capiti: nam tum indui non poterat: unà cum illa suppositum est diploma cum cautionibus. MAR. Nova mortis species. PH. Atqui confirmant, dæmoni nullũ esse ius in eos, qui sic moriuntur. Sic aiunt præter alios mortuũ sanctũ Martinum & Franciscum. MA. Sed huic morti illorum vita responderat. Obsecro quid tum postea. PH. Porrecta est ægroto crucis imago, & candela cerea. Ad crucẽ porrectam dixit ægrotus: Soleo in bellis tutus esse meo clypeo: nunc hũc clypeum opponã hosti meo, & exosculatus admovit humero lævo. Ad ceream verò sacram: Olim, inquit, hastâ valui in bellis: nunc hanc hastam vibrabo adversus hostem animarum. MAR. Satis militariter.

PH. *Has postremas voces edidit. Nam mox linguam mors occupavit, simúlque cœpit animam agere. Bernhardinus à dextris imminebat morienti, Vincentius à sinistris, uterque pulchrè vocalis. Alter ostendebat imaginem sancti Francisci, alter Dominici: Cæteri sparsi per cubiculum demurmurabant psalmos aliquot voce lugubri. Bernardinus magnis vociferationibus percellebat aurem dextram, Vincentius sinistram.* MA. *Quid occlamabant?* PH. *Huiusmodi fermè Bernardinus: Georgi Balearice, si nunc quoque probas ea, quæ sunt acta inter nos, flecte caput in dextrum. Flexit. Vincentius contra: Ne quid trepides Georgi, habes Franciscum & Dominicum propugnatores. Esto securus. Cogita quantum habeas meritorum, quod diploma: denique memineris, meam animam pro tua oppignoratam, si quid esset periculi: hæc si sentis & probas flecte caput in lævum. Flexit. Rursus simili clamore. Si hæc sentis, inquiunt, preme manum meam. Tum manum pressit. Ita huc & illuc flectendo capite, & premendis manibus transactæ sunt horæ fermè tres. Cùm iam inciperet oscitare Georgius, ibi Bernardinus erectus pronunciavit absolutionem, quam perficere non potuit, quin Georgius efflasset animam. Hæc sub noctis medium: mane peracta anatomia.* MAR. *Quid mali repertum est in corpore?* PH. *Rectè mones: nam exciderat. Fragmentum plumbi inhærebat (u) diaphragmati.* MAR. *Vnde id?* PH. *Vxor narrabat, illum quòdam ictum sphærula bombardicâ. Hinc conjectabant medici, plumbi liquefacti*

facti particulam resedisse in corpore. Mox corpus lacerum utcunque convestitum est amictu Franciscano. A prandio sepultura peracta est, eâ pompâ quâ decretum erat. MAR. Nunquam audivi mortem operosiorem, nec funus ambitiosius. Verùm istam opinor fabulam nolis evulgari? PH. Quamobrem? MAR. Ne quid irritentur crabrones. PH. Nihil est periculi. Etenim si pia sunt, quæ narro, etiam ipsorum interest hæc scire populum: sin minus, quotquot inter illos boni sunt, mihi gratias agent, qui hæc prodiderim, quò pudore correcti quidam, desinant similia agere: deinde simplices caveant, ne in similem pertrahantur errorem. Sunt enim & apud istos cordati vereq; pii: qui frequenter apud me questi sunt, paucorum vel superstitione, vel improbitate totum ordinem reddi apud bonos invidiosum. MAR. Rectè tu quidem & fortiter. Sed nunc aveo scire, quomodo decesserit Cornelius. PH. Vt vixit nulli molestus, ita mortuus est. Habebat febrem (x) anniversariam, quæ statis temporibus singulis annis recurreret. Ea tum, sive quia gravabat ætas: nam annum excesserat sexagesimum: sive aliis de causis, solito magis urgebat hominem, & visus est ipse præsentire diem fatalem imminere. Itaq; quatriduo prius, quàm moreretur, erat Dominicus dies, templũ adiit, confessus est suo parocho, audivit publicam concionem, & sacrum, à sacro reverenter accepto pignore corporis Dominici, domum se recepit. MA. Non usus est medicis? PH. Vnicum duntaxat consuluit, sed non minus bonum virum, quàm bonum

medicum: ei Iacobo Castrucio nomen est. MA. Novi, nihil illo sincerius. PH. Is respondit suam quidem operam amico non defuturam: sed sibi videri, plus esse præsidii in Deo, quàm in medicis. Cornelius hanc vocem non minus alacriter accepit, quàm si certissimam vitæ spem ostendisset. Itaque, tametsi semper pro suis facultatibus fuisset per benignus in pauperes, tum quicquid decidi poterat uxoris & liberorum necessitati, impartiebatur in egenos, non istos ambitiosè mendicos & nusquam non obvios, sed in probos, qui pro viribus industria laborandi cum paupertate pugnabant. Rogabam hominem, ut decumberet, & sacerdotem ad sese accerseret potius quàm tenue corpusculum defatigaret. Respondit hoc sibi semper studio fuisse, ut amicos suos sublevaret potius, si posset, quàm gravaret officiis, nec se sui dissimilem esse velle in morte. Nec decubuit quidem, nisi postremum diem & noctis partem, qua reliquit terras. Interim ob corpusculi lassitudinem baculo nitebatur, aut sedebat in cathedra, rarò componebat se lectulo, sed vestitus & erecto capite. Hoc tempore aut mandabat aliquid de curandis egenis, maximè notis ac vicinis, aut legebat è libris sacris, quæ provocant hominis erga Deum fiduciam, quæque illius in nos charitatem declarant. Si per lassitudinem ipse minus poterat, audiebat amicum prælegentẽ. Frequenter miro affectu hortabatur familiam ad mutuum amorem & concordiam atq; studium veræ pietatis, solicitosq; de morte ipsius amantissimè consolabatur. Identidem adme-

admonebat suos, ne quid æris alieni præteriretur indissolutum. MAR. Non condiderat testamentum? PHÆ. Jampridem sanus ac valens id curarat. Negabat enim esse testamenta, quæ fierent ab agentibus animam, sed deliramenta potius. MAR. Nihil legarat monasteriis aut egenis? PHÆ. Ne teruncium quidem. Ego, inquit, pro mea portione dispensavi facultatulas meas: nunc ut earum possessionem aliis trado, ita trado & dispensationem. Et confido meos sanctius dispensaturos, quàm ipse feci. MAR. Non accersebat ad se se pios homines, quemadmodum fecit Georgius? PHÆ. Ne unum quidem: præter familiam, & duos intimè amicos, nullus aderat. MAR. Demiror quid senserit. PHÆ. Negabat se morientem pluribus molestum esse velle, quàm fuisset nascens. MAR. Expecto finem istius fabulæ. PHÆ. Mox audies. Venit dies Iovis. Ille stratum non reliquit, sentiens extremam corpusculi lassitudinem. Accitus parochus impartiit extremam unctionem, ac rursus porrexit corpus Domini, sed citra confessionem. Negabat enim quicquam scrupuli resedisse in animo, Ibi parochus agere cœpit de sepultura, quâ pompâ, quóve loco sepeliri vellet. Sepeli, inquit, me quomodo sepelires infimæ sortis Christianum: nec mea refert, ubi seponas hoc corpusculum, æquè inveniendum in extremo die, ubicunque condideris. Pompam funeris nihil moror. Mox iniecta mentio de sonitu campanarum, de tricenariis & anniversariis, de diplomate, de communione meritorum emenda.

Tum ille: Mi pastor, nihilo peius habebo, etiamsi nulla sonet campana: Si me vel uno funebri sacro dignaberis, plus satis erit. Aut si quid aliud est, quod ob publicam ecclesiæ consuetudinem citra scandalum infirmorum omitti vix potest, id tuo permitto arbitratui. Nec est animus, cuiusquam vel preces commercari, vel meritis quenquam suis spoliare. Satis meritorum exuberat Christo: & confido, totius Ecclesiæ preces ac merita mihi, si modo vivum sum membrum, profutura. In duobus diplomatibus mihi tota spes est. Alterum est peccatorum meorum, quod princeps pastorum Dominus Iesus abolevit, affigens illud cruci: alterum quod ipse suo sacro sancto sanguine scripsit & obsignavit, quo nos certos reddidit de salute æternâ, si totam fiduciam nostram in ipsum transferamus. Absit enim ut instructus meritis ac diplomatibus provocem Dominum meum, ut in iudicium veniat cum servo, certus quòd in conspectu eius non iustificabitur omnis vivens. Ego ab illius iustitia appello ad eiusdem misericordiam, quoniam immensa est & ineffabilis. His dictis abiit parochus. Cornelius veluti magnâ spe salutis conceptâ, gaudens & alacer iubet sibi quædam recitari è sacris voluminibus: quæ confirmant spem resurrectionis, & præmium immortalitatis, velut illud ex Esaia de morte Ezechiæ dilata, unà cùm cantico. Deinde cap. 15. Epistolæ Pauli ad Corinth. prioris: De morte Lazari ex Ioanne: sed præcipuè historiam Christi passi ex Evangeliis. Quàm hic animo devorabat singula: ad quædam

suspirans

suspirans, ad alia compositis manibus gratias agens, ad quædam hilarescens ac gestiens, ad nonnulla preculas quasdam breves eiaculans! Prandio cùm paululum temporis obdormisset, iubet recitari caput ex Evangelio Iohannis 12. usq; ad historiæ finem. Hic dixisses hominem planè transfigurari, adflariq; novo spiritu. Iam dies vergebat ad vesperam; accersit uxorem & liberos: ibi erecto quantum licuit corpusculo, sic adfatus est suos: Charissima coniux, quos Deus antè coniunxerat, idem nunc separat, sed corporibus duntaxat, idq; ad breve tempus, curam, charitatem, pietatem, quam antehac partiri soles in me, & dulcissima pignora, totam in istos transfer. Ne putaris te ullis modis posse magis demereri vel Deum, vel me, quàm si istos, quos Deus dedit nobis coniugii fructum, sic educes, foveas & instituas, ut Christo digni habeantur. In hos igitur conduplica pietatem tuam, & meam portionem in te translatam existima. Id si feceris, ut facturam confido, non erit, cur videantur orphani. Quod si repetas matrimonium: Ad hanc vocem uxor erupit in fletum, cœpitq; deierare, se nunquam de repetendis nuptiis cogitaturam. Hic Cornelius: Soror in Christo mihi charissima, si Dominus Iesus largiri dignabitur tibi propositum istud, ac robur spiritus, ne desis dono cæsti. Erit enim hoc tibi pariter ac liberis commodius. Sin aliò vocabit carnis infirmitas, scito quod mors mea te liberat à iure coniugii, sed nõ liberat à fide; quã meo tuoq; nomine debes curandis

commu-

communibus liberis. Quod ad matrimonium attinet, utere libertate, quam tibi permisit Dominus. Tantum hoc te rogo moneoq;, ut virum tibi deligas iis moribus, túque te illi talem præbeas, ut possit vel suapte bonitate ductus, vel tuâ commoditate provocatus amare privignos. Proinde cave, ne cui voto te obstringas. Serva te liberam Deo, & liberis nostris: quos sic institues ad omnem pietatem, ut caveas ne se cuipiam addicant instituto, donec per ætatem & rerum usum constiterit, ad quod vitæ genus sint idonei. Deinde versus ad liberos, exhortatus est ad studium pietatis, ad obediendum matri, ad mutuam inter ipsos charitatem & concordiam. His peroratis dedit osculum uxori; liberis; facto signo crucis, precatus est bonam mentem, & Christi misericordiam. Post hæc intuens omnes qui aderant: Sub crastinam, inquit, auroram Dominus, qui diluculo revixit, pro sua misericordia dignabitur hanc animulam ex huius corpusculi sepulchro, eq; huius mortalitatis tenebris evocare in lucem suam cœlestem. Nolo teneram ætatem excubiis inanibus fatigari. Cæteri quoq; vicissim dormiant. Mihi satis est unum adesse vigilem, qui recitet sacram lectionem. Transactâ nocte, sub horam quartam, cunctis præsentibus iussit recitari Psalmum totum, quem Dominus orans recitavit in cruce: Eo finito, iussit exhiberi cereum & crucem, & cereum accipiens, dixit: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Crucem exosculatus dixit, Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

bo? Mox manus super pectus in supplicantis gestum composuit, & oculis in cœlum erectis, dixit: Domine Jesu, accipe spiritum meum. Et protinus clausit oculos veluti dormiturus, simulq; levi flatu emisit spiritum: dixisses illum obdormisse, non expirasse. MAR. *Nunquam audivi mortem minus operosam.* PHÆ. *Talis fuerat in omni vita. Vterque fuit amicus. Fortasse non æquè diiudico, uter decesserit Christianiùs: tu qui integer es, rectiùs dispicies.* MAR. *Ita faciam, sed per otium.*

(a) Vide proverbium de *Trophonii antro*. (b) Quia Phædrus Græcis sonat hilarem. (c) *Statio medicorum*, id est, conventus. (d) *Vultures* præsentiunt cadavera, unde captatores testamentorum *vultures* dicuntur. (e) Iureconsulti *manzares* vocant ex incesto natos. (f) *Cicada alâ correptâ*, vide proverbinm. (g) E culmis tritici nectuntur galeri, nonnunquam & pallia adversus pluviam: Faba caules habet grandes, intortos & fragiles, ad nihil minus utiles quàm ad texendum. Est vulgò iactatum proverbium apud Batavos. (h) *Impressio* est vehemens hostium irruptio. (i) *Syncretismus*, id est, conspiratio prius dissidentium in communem hostem. vide Chiliad. (k) *Plenis tibiis*, id est, clarè, vide proverbium. (l) *Oeconomicum*, peritum rei domesticæ vocat. (m) Ducunt bellum qui de industria proferunt: sed gerunt qui verè bellant. (n) *Commeatus*, id est, cibus, militare verbum. Et ideò præsidium vocat domum unde alios depulerant. (o) *Vulpes anus*, vide proverbium. (p) Allusit ad illud Flac. *Demitto auriculas ut iniquæ mentis asellus, Cum gravius dorso subit onus.* (q) *De solido*, id est, de integra hæreditate, quæ assis dicitur nondum divisa. (r) Diploma intellige, quo liceret consecrari sacerdotem ante tempus legitimum. (s) *Nenia* propriæ cantilenæ funebres. Nonnunquam tamen nugas quaslibet appellamus nænias. (t)

Dudu-

Daduchi Latine dicuntur tædiferi. Datâ operâ fingit insignia vitiosa. Nam caduceatorum leges habent, adulterina esse insignia, quæ habent metallum super metallum. (*u*) *Diaphragma* est septum transversum, quod separat præcordia, in quibus cor est & pulmo ab inferiore corporis parte, splen, epar, & renes. (*x*) *Annuversariam*, id est, singulis annis recurrentem.

ECHO.

IVVENIS, ECHO.

IVVE. *Cupio paucis te consulere. si vacat.* ECH. *Vacat.* IVVE. *Et si venio tibi gratus invenis.* ECH. *Venis.* IVVEN. *Sed potes ne mihi & de futuris dicere verum Echo?* ECH. (a) ἔχω. IVVE. *Et Græcè nosti? Quid istuc novi?* ECH. *Novi.* IV. *Qualia tibi videntur Musarum studia?* ECH. (b) δία. IV. *Censes igitur terendos authores, qui conducunt ad bonas literas.* ECH. *Teras.* IV. *Quam igitur mentem habent isti, qui hæc studia linguis traducunt suis?* ECH. *Suis.* IV. *Sed utinam harum cultores similiter essent & pietatis studiosi.* ECH. *Osi?* IV. *Nunc quorundam improbitas omnes reddit invisos.* ECH. (c) ἴους. IV. *Et multis hominum peccatum confertur in nomen eruditionis.* ECH. (d) ὄνοις. IV. *Atqui vulgò videntur non infimi.* ECH. *Fimi.* IV. *Quid facere censes eos, qui terunt ætatem in sophistico doctrinæ genere?* ECH. *Nere.* IV. *Fortassis telas araneārum.* ECH. *Harum.* IV. *Ac Penelopes telas texunt ac retexunt.* EC. *Texunt.* IV. *Cui suades ut me dem*

vitæ

vite iustituto? Ec. *Tuto.* Iv. *Erit auspicatum si uxorem duxero?* Ec. *Serò.* Iv. *Quid si mihi veniat usu, quod his qui incidunt in uxores parum pudicas parumq; frugiferas?* Ec. *Feras.* Iv. *At qui cum talibus morte durior est vita.* Ec. *Vita.* Iv. *Siccine in rebus humanis dominari fortunam?* Ech. *Vnam.* Iv. *Magis fortasse expedit, ut aliquis præ coniugio monachi institutum eligat?* Ech. *Ligat.* Iv. *Quid superest remedii, ubi quem adstrinxerit tam nodus insolubilis?* Ech. *Bilis.* Iv. *Attamen miserum est homines vivere solos.* Ech. (e)ὄλως. Iv. *Cuiusmodi censes horum temporum plerosque monachos?* Ech (f)ἄχθ. Iv. *Quid igitur istos movet, qui suspiciunt illos ut semideos?* Ech. (g)δέθ. Ivve. *Quid captant plerique qui ambiunt sacerdotium?* Ec. *Otium.* Iv. *Præterea nihil habet sacerdos?* Ec. (h)πέρδθ. Iv. *Quid bonæ rei contingit illis, qui fiunt Episcopi?* Ech (i)κόποι. Ivve. *At nulli magis vivunt in otio.* Ech. *Scio.* Iv. *Quæ res illos admonere poterit, ut intelligant, quantum sustineant onus?* Ec. (k)ὀνθς. Iv. *Ergò res præclara est sacerdotium, si quis se in eo gerendo, qualem oportet, præbeat?* Ech. *Beat.* Ivve. *Quid fructus erit, si me conferam in aulam eorum, qui præcellunt monarchica dignitate?* Ec (l)*Ate.* Iv. *At non paucos video, qui solent illic sibi præclaram felicitatem ariolari.* Ech. (m)λάροι. Iv. *At interim dum incedunt holoserícati, vulgò videntur homines magnifici.* Ech. *Fici.* Iv. *Foris igitur aureos, intus ficulneos homines dicis, si quis inspiciat*

com-

ciat cominus. ECH. *Minus.* IV. *Nihil igitur præclari sunt, quos pro diis veneramur byssinos.* ECH. (n)σὺν Θ. IV. *Nec militare genus magno æstimabis fortasse.* ECH. *Asse.* IVVE. *Magnum quiddam pollicentur, qui è syderibus & futura prædicunt Astrologi.* ECH. (o)λόγοι. IV. *At strenuè laborant Grammatici.* ECH (p)εὐκῆ. IVVE. *Non placent, opinor legulei homines semper famelici.* ECH. (q)λύκοι. IV. *Qualis ero, si fiam opifex?* ECH *Fex.* IV. *Itáne nihil præterea adferunt artes boni aut mali.* ECH. *Ali.* IV. *Fuerone beatus, si perseveravero in bonis literis.* ECH. *Eris.* IV. *Sed quæres dabit, ut adsit pietas.* ECH. *Ætas.* IV. *Decem annos ætatem iam trivi in Cicerone.* ECH. (r)ὄνε. IV. *Vnde tibi subit me asinum dicere?* ECH. *Ere.* IV. *Fortassis hoc dicis, non sic huic incumbendum, ut alios relinquam.* ECH. *Inquam.* IV. *Non placet igitur is, qui se per omnem vitam tantum in hoc torqueat, ut fiat Ciceronianus?* ECH. (s)ἄνυς. IV. *Quid superest natu grandibus, quorum ætas ad hæc discenda non est tempestiva?* ECH. *Stiva.* IV. *Facundior esses, opinor si longiùs abessem.* ECH. *Essem.* IV. *Non me delectant sermones dissyllabi.* ECH. *Abi.* IV. *Cœpi prior: video non posse vitari, quin posterior desinas.* ECH. *Sinas.* IV. *Jam igitur tibi videor satis instructus ad ea probè gerenda, quæ sunt in vita.* ECH. *Ita.* IV. *Proindè, si me voles, abire, dicito.* ECH. *Ito.*

(a) Id est, possum. (b) Id est, sacra. (c) Id est, scilicet. (d) Id est,

est, asinis. (e) Id est, omninò. (f) Id est, perniciem, pestem. (g) Id est, timor. (h) Id est, lucrum. (i) Id est labores. (k) Id est, mens. (l) *Ate*, id est, calamitas. (m) Vide Chilarus: avis est marina & rapax. (n) Id est, nocumentum. (o) Id est, fabulæ. (p) Id est, frustra. (q) Id est, lupi. (r) Id est, asine. (s) Id est, amens.

ΠΟΛΥΔΑΙΤΙΑ.

DISPAR CONVIVIVM.

SPVDVS, APITIVS.

SPVD. *Heus, heus Apiti.* API. *Non audio.* SP. *Heus, inquam, Apiti.* API. *Quis hic est tam molestus interpellator?* SP. *Est seriæ rei quiddam, quod te volo.* API. *At ego ad rem seriam propero.* SPV. *Quo nam?* API. *Ad cœnam.* SPV. *Hac ipsa de re volebam tecum (t) agere.* APIT. *Non vacat nunc actoribus operam dare, ne actum agam.* SP. *Nihil feceris dispendii, comitabor te quò properas.* AP. *Age dic modò tribus verbis.* SPV. *Magno studio molior convivium, in quo nulli displiceam cõvivarum, placeam omnibus. Eius artis quoniam tu principatum tenes, ad te, velut ad oraculum confugio.* API. *Responsum accipe, & quidem iuxta veterem morem* (b) ἔμμετρον: Nulli ut displiceas, nullum invitare memento. SPV. *Atqui solenne est epulum, multos excipiam oportet.* API. *Quò plures invitaris, hoc pluribus displiceas oportet. Quæ fuit unquam tam benè vel conscripta vel acta fabula, ut toti placuerit theatro?* SP. *Sed age* (c) *Comi delitium Apiti, subleva me tuo consilio, habebo te posthac numinis loco.* APIT. *Sit igitur hoc primum consilium: Ne*

conare quod fieri non potest. Sp. Quidnam? Api. Vt convivator omnibus placeas. Tanta est palatorum varietas. Spv. At saltem, ut paucioribus displiceam. Api. Voca paucos. Sp. Non licet. Api. Voca pares, & ingeniis congruentes. Spv. Ne id quidem mihi liberum est. Vitari nō potest, quin & multos vocem, & dissimiles: denig; nec eiusdem linguæ, neq; nationis homines. Apit. Næ tu mihi verè convitium narras, non convivium, in quo facilè possit talis exoriri lusus, qualem Hebræi narrant accidisse in structura Babel, ut petenti frigidum aliquis porrigat calidum. Sp. Opitulare, te quæso, gratum experieris ac memorem. Api. Agè quando electio non est tui arbitrii, in re mala dabo bonum consilium. Haud parvi refert ad hilaritatem convivii, quo quisq; loco sedeat. Sp. Verissimum. Api. Ea res ut tibi cedat prosperè, fac ut sortibus distribuantur accubitus. Sp. Pulchrè mones. Api. Deinde, ne sic paulatim à summo ad imum procedant patinæ, ut sigma literæ vel serpentis potius imaginem pingant, aut ultrò citroq; reciprocent, quemadmodum olim in conviviis (d) myrtus tradi solet. Sp. Quid igitur? Ap. Sed ad singulas convivarum tetradas appone patinas ternas sic, ut quarta media promineat, quemadmodum pueri tribus nucibus imponunt quartam, in singulis sit aliud atq; aliud cibi genus, quò quisque quodlibet eligat. Sp. Placet. Sed quoties mutabo patinas? Ap. Quot partibus constat oratio rhetorica? Sp. Quinq;, ni fallor. Ap. Quot actibus constat fabula? Sp. Apud Horatium legi. Ne sit quinto productior

ctior actu. API. Toties mutabis patinas, ut proœmium sit iusculentum, conclusio vel epilogus ex variis bellariorum generibus conflatus. SPV. Quem probas in patinis ordinem? AP. Eundem quem Pyrrhus in acie. SP. Quid ais? AP. Quemadmodum in oratione, ita nec in convivio decet proœmiũ esse elaboratum. Rursus epilogus varietate commendetur potiùs, quàm apparatu. In tribus itaque mediis servanda Pyrrhi disciplina, ut in utroque cornu sit aliquid eximium, in media acie vulgarior apparatus. Hoc pacto fiet, ut nec sordidus videare, nec fastidiosa copia sis molestus. SP. Satis expeditè de cibis: supereſt, ut quomodo bibendum doceas. API. Nulli omnium cyathum appones: sed pueris dato negotium, ut ubi percontati didicerint, quo quisque vini genere delectetur, alacriter ad nutum cuique quod volet, porrigant. Ea ex re duplex erit commodum. Nam & parcius bibetur, & iucundius; non solum ob id, quia subinde recens dabitur potus, verùm etiam quòd nemo bibet, nisi sitiens. SPVD. Optimum profectò consilium. Sed qui fieri poterit, ut hilarescant omnes? APIT. Id ut fiat, partim in te situm est. SPV. Quînam? API. Tenes illud: Ante omnia vultus accessêre boni. SPV. Quorsum istud? AP. Vt convivas comiter excipias, fronteq; hilari compelles, sermonem ad cuiusq; ætatem, affectum, ac mores attemperans. SP. Accedam, ut dicas melius. AP. Nosti linguas? SP. Propemodum omniũ. API. Vt suâ quemq; linguâ subinde appelles: utque convivium fabulis amœnioribus hilarescat,

varias misce materias de rebus, quarum quisque libenter meminit, & nullius dolore audiuntur. SPV. Quas dicis huiusmodi materias? API. Sunt peculiares ingeniorum differentiæ, quas ipse melius perspicies, ego generatim attingam aliquot. Senes gaudent ea memorare, quæ multorum fugiunt memoriam, admiratores temporum, in quibus ipsi floruerunt. Matronis dulce est refricari memoriam eius temporis, cùm à procis ambirentur. Nautæ, quique diversas ac longinquas mundi regiones inviserunt, libenter ea narrant, quæ, quia nemo vidit, mirantur omnes. Est & ante actorum malorum, iuxta proverbium, iucunda recordatio, si modò eius sint generis, ut cum probro coniuncta non sint: veluti militiæ, profectionum, naufragiorumq; discrimina. Postremò de sua cuiq; arte est grata confabulatio, déque hisce rebus, quarum usum callet. Hæc sunt fermè generalia: cùm peculiares affectus singulatim describi non queant: sed exempli causâ, est aliquis laudis appetentior, alius vult haberi doctus, alius gaudet videri dives: est hic loquacior, ille pauciloquus: nonnullos reperias tetricos, alios contrà blandiores. Sunt qui nolint videri senes, quum sint: sunt rursus qui volunt haberi grandiores, quàm sint: adfectantes hoc esse mirandi, quòd belle portant ætatem: sunt fœminæ quæ sibi de forma placent, sunt aliæ putidulæ. His cognitis affectibus, haud difficile est miscere sermones unicuique gratos, vitatis his, quæ mœrorem adferunt. SPV. Nè tu perpulchrè tenes artem convivatoriam! API. (e) Phy, si tantundem temporis

poris & operæ mihi consumptum esset in utroque Iure, Medicina, ac Theologia, quantum impensum est huic arti, iamdudum & inter Iurecõsultos, Medicos, ac Theologos, doctoris & titulum & lauream tulissem. SP. Credo. API. Sed heus tu, ne quid erres, hîc cavendum est, ne fabulæ sint nimium prolixæ, aut ne exeant in temulentiam. Quemadmodum enim vino nihil iucundius, si modicè sumpseris: contrà, nihil molestius, si suprà quàm sat est hauseris: ita usu venit in fabulis. SPV. Vera prædicas: Sed huic incommodo quodnam ostendis remedium? AP. Vbi senseris suboriri τὸν ἄοινον μῦθον, per occasionem interseca sermonem, & argumentum diversum intersere. Frustra, opinor, te monerem, ne cui suus dolor in convivio refricetur, utcunque Plato iudicat in conviviis quibusdam vitiis esse medendum, vino discutiente tristitiam, & offensæ memoriam abolente. Verùm illud te monitum oportuit, ne nimium crebrò salutes convivas, tametsi probo, ut interdum obambulans, nunc hos, nunc illos comiter appelles: oportet enim convivatorem bonum, motoriam agere fabulam. Nihil autem incivilius, quàm ibi commemorare, quod cibi genus sit, quâ coctum arte, quanti emptum. Idem de vino dictum puta. Quin extenuãdum etiam modicè, quod apponitur. Alioqui nimis diligens extenuatio apparatus, idem agit quod ostentatio. Satis est, bis aut adsummũ ter dixisse: Boni consulite: Si parùm lautus est apparatus, animus certè lautissimus est. Interdum sales aspergendi sunt, sed qui nihil habeant dentis. Profuerit & illud, sub-

inde suâ quenque compellare linguâ, sed paucis. Dicendum erat initio, quod mihi nunc tandem venit in mentem. SP. *Quid nam?* API. *Si non placet sortito dare locos, cura ut tres ex omnibus eligas naturâ festivos, minimè mutos, quorum unum collocabis in capite mensæ, alterum è regione, tertium in medio, qui silentium ac tristitiam cæterorum discutiant. Quòd si perspexeris, convivium vel silentio tristius esse, vel clamoribus tumultuosum, aut etiam ad rixas tendere.* SP. *Hoc crebrò fit apud nos: quid tum faciendum?* AP. *Accipe rem mihi multo usu compertam.* SP. *Expecto.* AP. *Inducito duos Mimos, sive* (g) γελωτοποιὺς, *qui sine voce ridiculũ aliquod argumentum gesticulatione repræsentent.* SP. *Cur sine voce?* AP. *Vt par sit omnium voluptas, aut nihil loquãtur, aut linguâ loquantur omnibus æquè ignota. Gestibus loquentes omnes pariter intelligent.* SP. *Quod argumentum mihi narras, non satis intelligo.* APIT. *Sunt innumera, puta uxorem decertantem cum marito de principatu, aut simile quippiam è media vita. Quò magis erit ridicula saltatio, hoc plus erit omnibus voluptatis. Hos oportet esse semifatuos: alioqui qui planè fatui sunt, quædam interdum effutiunt imprudentes, quæ lædunt.* SPVD. *Ita tibi precor semper propitium Comum, ut mihi dedisti fidele consiliũ.* AP. *Addam coronidem, quin potiùs repetam, quod initio dixeram, ne nimium sis anxius, ut placeas omnibus, non hîc tãtum, sed in omni vita: atq; ita fiet, ut citiùs placeas omnibus: optimum enim in vita,* NEQVID NIMIS.

(a) Agere

(a) *Agere* est iudicio prosequi, inde *actores*. (b) Id est, metricum, numeris constans. (c) *Comus* Deus est comessationis & gulæ. Dictum est autem delitium Comi, ut homines elegantioris ingenii dilicias Musarum appellamus. (d) Vide proverb. *Ad mirtum canere*. (e) *Phy*, interiectio despicientis. (f) Id est, sine vino ebrietatem. (g) Id est. Risus excitatores, fictos moriones.

DE REBVS AC VOCABVLIS.

BEATVS, BONIFACIVS.

BE. *Salvus sit Bonifacius*. BON. *Etiam atq; etiam salvus sit Beatus. Sed utinam essemus uterque quod dicimur, tu dives, ego formosus.* BE. *itáne parum tibi videtur, habere nomen magnificum?* BON. *Mihi quidem minimi momenti, nisi res adsit.* BE. *At plerique mortales aliter adfecti sunt.* BO. *Fieri potest, ut mortales sint isti, homines esse nõ credo.* BE. *Et homines sunt, ô bone, nisi putas etiam nunc sub humana specie camelos & asinos obambulare.* BO. *Hoc citiùs crediderim, quàm homines esse, qui pluris nomen faciunt, quàm rem.* BE. *In certis rerum generibus, fateor, plerique malunt rem, quàm nomen: in multis contra.* BON. *Hoc quid sit, non satis assequor.* BE. *Atqui penes nos ipsos exemplum est, tu Bonifacius diceris, & habes quod diceris: sed si esses alterutro spoliandus, utrum malles, habere malam faciem: an pro Bonifacio dici Cornelius?* BO. *Equidem malim vel Thersites dici, quàm habere prodigiosam faciem: an bonam habeam, nescio.* BE. *Item ego si dives essem, & aut res, aut nomen esset deponendum, malim* (a) *Irus dici, quàm re spoliari.* BO. *Adsentior vera loquenti.* BEA. *Idem usu veniet, opinor, in his qui*

sunt prosperâ valetudine, aut aliis corporis præditi commodis. BON. *Probabile est.* BE. *At quàm multos videmus, qui mallent nomen eruditi pijq; viri, quàm esse docti bonijq;.* BON. *Plurimos istiusmodi novi.* BE. *An non apud hos plus habet momenti nomen, quàm res?* BO. *Videtur.* BE. *Iam si quis nobis adesset dialecticus, qui scitè definiret quid sit rex, quid episcopus, quid magistratus, quid Philosophus, fortassis & hîc inveniremus, qui mallent nomen, quàm rem.* BON. *Ita profectò, si rex est, qui legibus & æquitate populi commodum spectat, non suum: si episcopus, qui totus invigilat gregi Dominico: & si magistratus est, qui ex animo consulit Reipublicæ: & si Philosophus est, qui neglectis fortunæ commodis, tantum studet bonæ menti parandæ.* BE. *Hîc vides quãtum huius generis exemplorum possim aggerere.* BON. *Sanè plurimùm.* BE. *An hos omnes negabis esse homines.* BO. *Vereor ne nos ipsi citiùs nomen hominis amittamus.* BE. *At si homo est animal rationale: quãtum abest hoc à ratione, ut in corporis commodis veriùs quàm bonis, & in externis, quæ fortuna dat simul & eripit cùm libet, rem malimus, quã nomen: in veris animi bonis, nomen pluris faciamus, quàm rem.* BO. *Præposterum mehercule iudicium, si quis attendat,* BE. *Eadem autem est ratio in contrariis.* BO. *Expecto quid dicas.* BE. *Idem iudicandum de nominibus rerum fugiendarum, quod dictũ est de vocabulis expetẽdarũ.* B. *Apparet.* BE. *Magis enim horrendũ est esse tyrannũ, quàm tyranni nomẽ, & si malus episcopus iuxta sentẽtiam Evangelicam*

fur

fur est & latro: non tam hæc nomina sunt nobis detestanda, quàm ipsa res. BON. *Convenit sanè.* BEAT. *Tu de cæteris similiter colligito.* BON. *Prorsùs intelligo.* BEA. *Nónne fatui nomen aversantur omnes?* BON. *Et quidem maximè.* BEA. *Nónne fatuus esset, qui (♁) aureo piscaretur hamo, qui vitrum anteponeret gemmis, qui chariores haberet equos, quàm uxorem ac liberos?* BON. *Is esset quovis (☿) Coræbo stultior.* BEA. *An non tales sunt qui procurrunt in militiam, spe lucri non admodùm magni, corpus & animam exponentes periculo: qui student congerendis opibus, quum animum habeant omnium bonarum rerum egenum: qui vestes & ædes exornant, quum animus neglectius ac squalidus iaceat: qui corporis valetudinem anxiè tuentur, animum tot capitalibus morbis laborantem negligunt, denique qui fugacissimis huius vitæ voluptatibus, cruciatus merentur æternos?* BON. *Ipsa ratio fateri cogit, plus quàm fatuos esse.* BEA. *Atque his fatuis quum plena sint omnia, vix invenias, qui ferre possint fatui vocabulum, quum adeò non abhorreant àre.* BON. *Sic est profectò.* BEA. *Age scis, quàm sint apud omnes invisa vocabula mendacis ac furis.* BON. *Sunt invisissima, nec sine causa.* BEA. *Fateor. Sed quum stuprare coniuges alienas sit furto sceleratius: tamen adulteri cognomine quidam etiam gloriantur, ad furti convicium illicò stricturi gladium.* BON. *Ita res habet apud complures.* BEA. *Ita quum multi scortis vinoq́; perditissimi sint & sint libenter*

ac palam, tamen ad ganeonis nomen offenduntur. Bo. *Hi nimirum rem sibi gloriæ ducunt quum vocem rei debitam horreant.* Bea. *Sed vix aliud nomen auribus nostris videtur intolerabilius, quàm mendacis.* Bon. *Novi qui hoc convitium cæde sint ulti.* Be. *Sed utinam pariter abominentur rem. Nunquam accidit tibi, ut qui promiserat sè mutuum ad certum diem redditurum falleret.* Bo. *Frequenter, etiam quum id deierasset, neq; id semel, sed iterum atq; iterum.* Bea. *Fortasse non erant solvendo.* Bo. *Imò erant: sed commodius esse ducebant, non reddere creditum* Be. *An hoc nõ est mentiri?* Bo. *Planissimè.* Be. *Auderes istiusmodi creditorem sic compellare: Cur mihi toties menturis?* Bo. *Non, nisi paratus essem ad pugnam.* Be. *An non simili modo quotidie verba dant latomi, fabri, aurifices, & vestiarii, pollicentes ad certum diem, nec tamen præstantes, etiamsi magni referat tua?* Bo. *Mira impudentia: sed adde his advocatos pollicentes operam.* Be. *Potes addere sexcenta nomina, nemo tamen horum laturus sit mendacis vocabulum.* Bo. *Hoc genere mendaciorum plena sunt omnia.* Bea. *Itidem furis nomen nemo tolerat: quum à re non perinde omnes abhorreant.* Bo. *Expecto, ut dicas clarius.* Bea. *Quid interest inter eum, qui rem tuam tollit è scrinio: & inter eum, qui depositum abiurat?* Bon. *Nihil, nisi quod sceleratior est, qui spoliat etiam fidentem.* Bea. *At quàm pauci sunt, qui depositum reddunt: aut si reddunt: non dant integrum!* Bon. *Opinor esse per-

perpaucos. Bo. Nemo tamen istorum ferat furis vocabulum, quum rem non horreant. Bon. Admodùm. Bea. Iam mihi reputa, quid vulgo fiat in tractandis pupillorum bonis, in testamentis ac legatis, quantum hæreat digitis tractantium. Bon. Frequenter totum. Bea. Furtum amant, vocabulum detestantur Bo. Maximè. Be. Quid agant, qui res (d) fisci tractant, qui monetam publicam cudunt deteriorem, qui nunc aucta, nunc diminuta nummorum æstimatione, privatorum rem accîdunt, fortasse nobis non admodum liquet: de his quæ quotidie experimur, loqui fas est. Qui sumit mutuum, aut qui conflat æs alienum hoc animo, ut reddat, si liceat, nunquam: quantulum abest à fure? Bon. Cautior fortasse dici potest, melior nequaquam. Beat. At horum quum ingens ubiq; sit numerus, nemo tamen tolerat nomen furis. Bon. Animum solus Deus novit: proinde apud homines obærati vocantur, non fures. Beat. Quantuli refert, quo nomine dicantur apud homines, modò sint fures apud Deum? Certè suus cuiq; notus est animus. Ad hæc, qui quum debeat multum, quod obtigit pecuniæ, nequiter prodigit, qui posteaquam decoxit in una civitate, delusis creditoribus fugit in aliam, hospites quærens, quibus imponat, idq; facit crebriùs: nónne satis declarat quo sit animo? Bon. Satis superq;. Sed tamen isti solent fucare colore, quod faciunt. Bea. Quónam? Bo. Multum multisq; debere prædicant sibi cum magnatibus atque adeò regibus esse commune: eóque qui sunt

hoc

hoc ingenio præditi, ferè nobilitatis opinionem adfectant. BEA. *In quem usum?* BON. *Dictu mirum, quantum equiti licere velint.* BEA. *Quo iure, quibus legibus?* BON. *Haud aliis, quàm quibus præfecti maris vindicant sibi quicquid ejectum est naufragio, etiamsi extet Dominus: quibus alii suum esse volunt, quicquid apud furem aut prædonem deprehenderint.* BEA. *Istius modi leges possent ipsi fures condere.* BON. *Et facerent, si queant tueri: & haberent quod excusarent, si bellum indicant prius, quàm furentur.* BEA. *Quis hoc iuris dedit equiti potiùs, quàm peditì?* BON. *Militiæ favor. Sic enim exercentur ad bellum, quò promptiores sint ad spoliandum hostem.* BEA. *Sic opinor* (e) *Pyrrhus exercebat suos ad bellum.* BON. *Non: sed Lacedæmonii.* BE. *Abeant in malam crucem cum suo exercitio. Sed unde nomen hoc tantæ prærogativæ?* BON. *Quibusdam obvenit à maioribus, alii mercantur ære, quidam adsciscunt.* BEA. *An licet adsciscere cuilibet?* BON. *Licet, si mores respondeant.* BEA. *Qui?* BON. *Si nihil bonæ rei gerat, si splendidè vestiatur, si incedat annulatus, si gnaviter scortetur, si aleam ludat assiduè, si certet chartis, si compotationibus ac voluptatibus ætatem absumat, si nihil loquatur plebeium, sed arces, pugnas, ac bella mera crepet, Thrasonica omnia. Isti sibi permittunt, bellum, cui velint, indicere, etiamsi pedem ubi ponant non habeant.* BEA. *Equites mihi narras,* (f) *equuleo dignos. Atqui tales habet non paucos Sicambria.*

(e) *Irus*

(a) *Irus* apud Homerum mendici pauperis nomen (b) Neronem hoc feciſſe, author eſt Sueton. (c) *Coræbi* viri ſtultitia proverbio locum dedit. (d) *Fiſcus* hic nomen habet, quod olim in fiſcellis, hoc eſt, ſportulis pecunias colligebant. (e) Author Xenophon in Repub. Lacedem. (f) locus eſt in dictione equulei, quod & parvum equum & tormenti genus ſignificat.

CHARON, GENIVS. *ALASTOR.

CHA. *Quid ita properas geſtiens Alaſtor.* AL. *Opportunè tu quidem ô Charon. Ad te properabam.* CHA. *Quid novæ rei?* AL. *Nuncium fero tibi Proſerpinæq; lætiſſimum futurum.* CHA. *Effer igitur quod fers, teq; exonera.* ALA. *Furiæ non minus gnaviter, quàm feliciter geſſerunt ſuum negotium: nullam orbis partem non infecerunt malis tartareis, diſſidiis, bellis, latrociniis, peſtilentiis, adeò ut planè iam calvæ emiſſis (a) colubris ſint: & exhauſtæ venenis obambulent, quærentes quicquid usquam eſt viperarum & aſpidum, quando tam glabræ ſunt, quàm ovum, & pilum non habent in capite, neque quicquam in pectore ſucci efficacis. Proinde tu fac cymbam, ac remos appares. Mox enim ventura eſt tanta umbrarum multitudo, ut verear ne non ſufficias omnibus transmittendis.* CHA. *Iſta nos non fugerant.* AL. *Vnde reſcieras.* CHA. *Oſſa pertulerat ante biduum.* AL. *Vt illâ deâ nihil eſt velocius. Sed quid tu igitur hîc ceſſas relictâ cymbâ?* CHA. *Ita nimirum res ferebat. Huc profectus ſum, ut mihi compararem validam*

aliquam

aliquam triremem: nam mea cymba iam vetustate putris ac sutilis non sufficerit huic oneri, si vera sunt, quæ narravit Ossa. Quanquam quid opus erat Ossa? res ipsa compellit. Nam naufragium feci. ALA. Nimirum totus distillas: suspicabar te redire è balneo. CHA. Imò enatavi è (c) Stygia palude. AL. Vmbras ubi reliquisti. CHA. Natant cum ranis. AL. Sed quid narravit Ossa? CHA. Tres orbis monarchas capitalibus odiis in mutuum exitium ruere, nec ullam orbis Christiani partem immunem esse à belli furiis: nam tres illi reliquos omnes pertrahunt in belli consortium, omnes esse talibus animis, ut nemo velit alteri cedere: nec Danum, nec Polonum, nec Scotum: nec verò Turcam interim esse inotio, moliri dira: pestilentiam ubiq; sævire, apud Hispanos, apud Britannos, apud Italos, apud Gallos. Ad hæc novam esse luem ex opinionum varietate natam, quæ sic vitiavit omnium animos, ut nulla usquam sit sincera amicitia, sed frater fratri diffidat, nec uxori cum marito conveniat. Spes est, hinc quoq; nascituram olim magnificam hominum perniciem, si res à linguis & calamis ad manus pervenerit. AL. Hæc omnia verissimè narravit Ossa. Nam ipse plura vidi his oculis, assiduus comes & adiutor furiarum, quæ nullo tempore magis declararunt se suo dignas nomine. CH. Atqui periculum est, ne quis dæmon exoriatur, qui subitò adhortetur ad pacem, & sunt mortalium animi mutabiles. Nam audio apud superos esse (d) polygraphum quendam, qui calamo suo non desi-

desinit insectari bellum, & ad pacem cohortari. AL. Ille iampridem surdis canit. Olim scripsit paeis profligatæ querimoniam, nunc eidem extinctæ scripsit epitaphium. Sunt alii contrà, qui non minus iuvant rem nostram quàm ipsæ furiæ. CHA. Quinam isti? ALA. Sunt animalia quædam pullis, & candidis palliis, cinericiis tunicis, variis ornata plumis, hæc nunquam recedunt ab aulis principum: instillant in aurem amorem belli, hortantur eodem proceres ac plebem, in Evangelicis illis concionibus clamitant bellum esse iustum, sanctum ac pium. Quóque magis mireris hominum fortem animum, clamitant idem apud utramque partem. Apud Gallos concionantur: Deum stare pro Gallis, nec vinci posse, qui Deum habeat protectorem. Apud Anglos & Hispanos, hoc bellum non à Cæsare geri sed à Deo: tantùm præbeant se viros fortes, victoriam esse certam. Quòd si quis interciderit, eum non perire, sed rectà subvolare in cœlum sicut erat, armatum. CHA. Et habetur istis tanta fides? ALA. Quid non potest simulata religio? Accedit huc iuventus, rerum imperitia, gloriæ sitis, ira, animus ad id, quò vocatur, naturâ propensus. His facilè imponitur, nec difficilè perpellitur plaustrum suapte sponte propendens ad ruinam. CH. Ego istis animalibus lubens aliquid boni fecero. AL. Appara lautum convivium. Nihil potes gratius. CH. Ex (e)malvis, lupinis & porris. Nam apud nos non alia est, ut scis annona. AL. Imò ex perdicibus, capis, & phasianis, si vis

esse

esse gratus convivator. CHA. *Sed quæ res istos movet, ut tantoperè promoveant bellum? Aut quid hinc metunt commodi?* AL. *Quia plus emolumenti capiunt è morientibus, quàm ex vivis. Sunt testamenta, parentalia, bullæ, multaq; alia non adspernanda lucra. Denique malunt in castris versari, quàm in suis alvearibus. Bellum multos gignit episcopos, qui in pace ne teruncii quidem siebant.* CHA. *Sapiunt.* AL. *Sed quid opus est triremi?* CHA. *Nihil, si velim in media palude rursus naufragium facere.* ALA. *Ob multitudinem?* CH. *Scilicet.* ALA. *Atqui umbras vehis, non corpora. Quantulum autem ponderis habent umbræ?* CH. *Sint* (f) *tipulæ: tamen tipularum tanta vis esse potest, ut onerent cymbam. Tum scis & cymbam umbratilem esse.* ALA. *At ego memini me videre, cum esset ingens turba, nec cymba caperet omnes, à clavo tuo tria millia umbrarum pendére nonnunquam, nec tu pondus ullum sentiebas.* CHA. *Fateor tales esse animas, quæ paulatim demigrarunt è corpore phthisi aut* (g) *hecticâ tenuato. Cæterùm quæ subitò revelluntur è crasso corpore, multum corporeæ molis secum ferunt. Tales autem mittit* (h) *apoplexia,* (i) *synanche, pestilentia, sed præcipuè bellum.* AL. *Non opinor Gallos aut Hispanos adferre multum ponderis.* CHA. *Multò minus quàm cæteri: quanquam & horum animæ non omnino veniunt plumeæ. Cæterùm è Britannis, è Germanis benè pastis veniunt aliquoties tales, ut nuper periclitatus sim decem duntaxat vehens:*

& nisi

& nisi (k) iacturam feciſſem, perieram unà cum cymba, vectoribus & naulo. ALA. Ingens diſcrimen. CHA. Quid interea cenſes fieri, cùm accedunt craſſi Satrapæ, Thraſones, & Polymacharoplacidæ? ALA. Ex his qui pereunt in iuſto bello, nullos arbitror ad te venire. Nam aiunt, eos rectâ ſubvolare in cœlum. CHA. Quò ſubvolent, neſcio, unum illud ſcio, quoties bellum eſt, tot ad me veniunt ſaucii lacerique, ut demirer unum ſupereſſe apud ſuperos. Nec ſolùm veniunt onuſtæ crapulâ & abdomine, verùm etiam bullis, & ſacerdotiis, aliiſque rebus plurimis. AL. At iſta non deferunt ſecum, ſed nudæ veniunt ad te. CHA. Verum! ſed quæ recentes veniunt, ſomnia talium rerum ſecum adferunt. AL. Itáne gravant ſomnia? CH. Gravant cymbam meam: quid dixi gravant? Iam demerſerunt. Poſtremò tot obulos putas nihil habere ſarcinæ? AL. Equidem arbitror, ſi ferãt æreos. CH. Proinde certum eſt mihi proſpicere de navi quæ ſufficiat oneri. AL. O te felicem! CH. Quid ita? AL. Quia propediem diteſces. CH. Ob multitudinem umbrarum? AL. Næ. CH. Siquidem ſuas opes ſecum adferant. Nunc qui in cymba deplorant, ſe apud ſuperos reliquiſſe regna, præſulatus, abbatias, auri talenta innumera, ad me nihil adferunt præter obulũ. Itaq; quod iam annis ter mille mihi corraſum eſt, id totum eſt effundẽdum in unam triremem. AL. Sumptum faciat oportet, qui quærit lucrum. CH. Atqui mortales, ut audio felicius negotiantur, qui favente (l) Mercurio diteſcũt intra triennĩ. AL. Sed idem

decoquunt nonnunquam. Tuum lucrum minus, sed certius. CH. *Nescio quàm certum: si quis Deus nunc exoriatur, qui res principum componat, sors hæc tota mihi perierit.* AL. *Ista quidem de re iubeo, ut me sponsore in utramque aurem dormias. Intra decennium totum nihil est quòd pacem metuas. Vnus Romanus Pontifex sedulo quidem hortatur ad concordiam, sed (in) laterem lavat. Murmurant & civitates tædio malorum: conferunt susurros populi, nescio qui: dictitantes iniquum, ut ob privatas iras aut ambitionem duorum triúmve, res humanæ sursum deorsum misceantur: sed vincent, mihi crede, quamlibet recta consilia, furiæ. Cæterùm quid opus erat hac gratiâ petere superos? An apud nos non sunt fabri?* CH. *Certè Vulcanum habemus.* CH. *Pulchrè, si quærã navim æream.* AL. *Minimo ascersetur aliquis.* CH. *Ita est: sed deficit nos materia.* AL. *Quid audio, nihil illic silvarum?* CH. *Etiam nemora, quæ fuerant in campis Elysiis, absumpta sunt.* AL. *In quem tandem usum?* CH. *Exurendis hæreticorum umbris, adeò ut nuper coacti simus, è terræ visceribus carbones effodere.* AL. *Quid? an istæ umbræ non possunt minore sumptu puniri?* CHA. *Sic visum est Rhadamanto.* AL. *Vbi triremem mercatus eris, unde remiges parabuntur?* CH. *Meæ partes sunt tenere clavum: remigent umbræ, si velint traiicere.* AL. *At sunt, quæ non didicerunt remum agere.* CH. *Apud me nullus est eximius: remigant & monarchæ, remigent & Cardinales, suam quisq; vicem, non minus quàm plebeii tenues,*

sive

sive didicerint, sive non didicerint. AL. *Tu fac dextro Mercurio feliciter mercere triremẽ. Ego nõ te remorabor amplius. Orco lætũ adferam nunciũ. Sed heus tu Charon.* C. *Quid est?* A. *Fac matures reditũ, ne te mox obruat turba.* C. *Imò iã plus, q̃ ducẽta millia offendes in ripa, præterillas q̃ natãt in palude. Properabo tamẽ quãtũ licebit. Dic illis me mox adfuturũ.*

(*) *Alastor* malus genius, infestus Dæmon. (a) Alludit ad fabulam Eumenidum, quæ pro coma angues nutrire dicuntur. (b) *Ossa*, fama: dea est apud Homerum. (c) Aristophanes fingit in Stygia palude multas esse ranas. (d) *Polygraphus*, qui multa scribit. Sic autem seipsum vocat hic & alibi. (e) *Malva & porrum* inferorum victus est: & lupinos si non maceres commodè, mirum quàm amarescant. (f) *Tipula* Vermiculus de aranearum genere, levissimus, ut qui supra aquam currat. (g) *Hectica*, febris species, paulatim conficiens corpus. (h) Intemperantia mater apoplexiæ. (i) *Synanche* Latinis angina, itidem causam habet plenitudinem. (k) Faciunt iacturam nautæ, cum ob periculum evitandum exonerant navem, abiectis etiam quæ prætiosissima sunt. (l) *Mercurius* deus lucri & mercatorum præses. (m) *Lavat laterem*, qui inanem operam sumit. Vide Chil.

SYNODVS GRAMMATICORVM personæ.

ALBINVS, BERTVLPHVS, CANTHELVS, DIPHYLVS, EVMENIVS, FABVLLVS, GADITANVS.

AL. *Est ne quisquam in hoc numero, qui didicit Arithmeticam?* BE. *Cui tandem rei?* AL. *Qui certum doceat, quot convenerimus Grammatici.* BE. *Istuc quidem citra* (a) *calculos, vel digiti nostri nobis dicere poterunt. Te pono in pollice, me in indice,*

Canthelum in medio, Diphylum in annulari, Eumenium in minimo. Nunc ad lævam transeo: illic in pollice pono Fabullum, in indice Gaditanum. Itaq;, ni fallor, septem sumus. Sed quorsum attinet istuc scire? AL. *Quoniam audio septenarium reddere legitimum concilium.* BER. *Quod concilium mihi narras?* AL. *Est res seria, quæ me diu multúmque torsit, neque me tantùm, verùm multos etiam viros neutiquam indoctos. Eam proponam in medium, ut huius synodi authoritate semel finiatur quæstio.* CA. *Eximium quiddam sit oportet, quod vel tu ignores Albine, vel animum tuum perspicacissimum diu multúmque torserit. Quare cupimus & ipsi nosse, quid istuc sit rei. Nam unus omnium nomine respondeo.* AL. *Ergò hìc estote omnes, aures simul adhibentes & animos. Plus vident oculi, quàm oculus. Est ne quisquam vestrûm, qui nobis explanare possit, quid significet hæc vox, Anticomarita?* BER. *Nihil facilius. Sonat enim Betæ genus, quam prisci nade scupatilem appellabant, caule contorto nodosõq;, mirè hujo Colefatua, tetri odoris, si contingas, posset cum* (b) *Anagyri contendere.* CAN. *Natatilem narras betam:* parvam *imò cacatilem bestiam. Quis unquam audivit aut legit antehac nomen natatilis betæ?* BER. *Imò hoc dilucidè docet Mammetrectus, vulgò corruptè dictus, quum vero nomine dicatur Mammotreptos, quasi dicas aviæ alumnum.* AL. *Quid istuc est tituli?* BER. *Vt intelligas, in libro nihil inveniri præter meras delicias, quod mammæ, hoc est, aviæ soleant indulgentiùs habere nepotes, quàm matres liberos*

Vid. infra p. 787.

suos

suos. ALB. *Planè delicioſum opus mihi narras. Nuper enim cùm in hunc codicem incidiſſem, minimum abfuit, quin riſu diſſilierim.* CAN. *Vbi tu nactus es eum codicem, qui rariſſimus inventu eſt?* BER. *Abbas divi Bavonis, nomine Livinus, à prandio Brugis duxit me in bibliothecam ſuam peculiarem, quam homo ſenex, cupiens aliquod ſui monumentum poſteris relinquere, non mediocri ſumptu parabat. Nullus erat liber, qui non eſſet manu deſcriptus, idq; in membranis: nullus, qui non variis picturis ornatus, ac foris byſſo auróque tectus. Quin & ipſa codicum ſpacioſa moles neſcio quid maieſtatis præ ſe ferebat.* AL. *Quinam erant?* BE. *Oh, præclari omnes: Catholicon, Brachylogus, Ovidius per allegorias expoſitus, aliiq; innumeri, inter quos & lepidiſſimum Mammotreptum reperi. Inter eas delicias inveni natatilem Betam.* AL. *Cur vocant natatilem?* BE. *Referam quod legi, penes authorem fidei periculum eſto. Quoniam, inquit, provenit in locis humidis putribúſque, nec uſquam feliciùs provenit, quàm in cœno, aut ſterquilinio, honos ſit auribus.* AL. *Itáne graviter olet?* BE. *Sic, ut nec oletum ullum peiùs oleat.* AL. *Eſtne illius holeris ullus uſus?* BE. *Imò in delitiis eſt.* AL. *Fortaſſè porcis, aut aſinis, aut bubus* (c) *Cypriis.* BE. *Imò hominibus, & quidem delicatis. Pelinorum gens eſt, apud quam convivia viciſſim in longam ducuntur periodum, extremam compotationem vocant ſuâ linguâ Reſumptam, quaſi nos dicamus bellaria aut tragemata.* AL. *Quàm bella bellaria!* BE. *Eius cõpotationis*

hæc lex est, ut liberum sit convivatori quicquid volet apponere: nefas autem sit convivis quicquam reiicere sed omnia boni consulere. AL. Quid si apponeret (d) cicutam aut crambē recoctam? BE. Quicquid apponitur, devorandum est ibi tacitè. Domi tamen licet, quod ederint, revomere. Nam hîc ferè ponūt natatilem Betam sive anticomaritam. Nihil enim refert utro nomine dixeris, res eadem est. Admiscent aliquid querni corticis, & alii plurimum. ita (e) moretum absolvunt. AL. Quis persuasit legem tam barbaram? BE. Consuetudo quovis tyranno potentior. AL. Tragicam (f) periodum mihi narras, quæ tam inamœnum habeat exitum. BE. Dixi meam vicem nulli præiudicans, si quis quid habet rectius. CA. At ego comperi priscis fuisse piscem, quem vocarunt anticomaritam. BE. Dic authorem. CA. Codicem exhibere possum, nomen authoris non possum dicere. Scriptus est Gallicè, sed formulis Hebraicis. BE. Quam speciem habet piscis anticomarita? CA. Cæteranigris squamis est, solus venter albet. BE. Palliatum quempiam Cynicum, opinor, nobis ex pisce facies. Qui sapor? CA. Nihil insuavius. Quin pestilens est. Nascitur in putribus lacunis, interdum & in cloacis, iners, limosus: solo gustu pituitam gignit gravem, quam vix vomitu leves. Frequens est in regione, quam Celtithracen appellant. Nam illic in delitiis est, quod gustasse carnes detestabilius sit homicidio. AL. Infelix regio cum suo Anticomarita. CA. Tantum habeo quod dicam: nemini præiudicatum velim meâ sententiâ.

DIP.

DIP. *Quid opus est huius vocis enarrationem ex Mammothreptis aut Hebræis schedis petere, quum ipsa dictionis etymologia præ se ferat anticomaritas dici puellas parum feliciter coniugatas, utpotè maritis vetulis. Nec enim novũ est, quod scribæ,* Quo, *verterunt in* Co: *quum sint literæ cognatæ, c. q. & k.* EV. *Erat aliquid quod dixit Diphylus, si constaret dictionẽ esse Latinam. Mihi videtur esse Græca, è tribus conflatâ: ex* ἀντὶ, *quod est contra, &* κρώζειν, *quod sonat pagũ & ὀαριζειν, quod est muliebriter garrire: hinc per synalœphen elisa o, dictus est Anticomarita, qui rusticana garrulitate cunctis obstrepit.* FA. *Sedulò quidem meus dixit Eumenius: At mihi videtur ex tot dictionibus conflata vox, quot habet syllabas. Nam* αν *sonat* ἄνυς: τι, τίλλων: κω, κώδια: μα, μάλυ: ρυ, ῥυπαρᾶ: (*perperam enim scribunt per* ι:) τα, τάλας: *ex his conficitur,* amens ac miser vellens pilos putrium tergorum. AL. *Tali opificio cibus congruit beta natatilis, de qua modò dixit Bertulphus.* BER. *Nimirum anticomarita, anticomaritæ.* GA. *Sedulò quidem dixistis omnes: at mihi videtur uxor viro malè morigera, dici Anticomarita per syncopen antidicomarita, quod semper adversetur marito.* AL. *Si recipimus tales tropos, facilè ex* (g) *foria fient fora, & cuniculus fiet cuculus.* BE. *Atqui Albinus, qui consul est in hoc Senatu, nondum dixit, quid ipse censeat.* AL. *Ex me quidẽ quod afferam, non habeo, haud tamẽ gravabor in mediũ adferre, quod ab hospite meo nuper didici homine linguacissimo. Sæpiùs variabat in loquẽdo sermonẽ, quàm luscinia cãtionẽ.*

Is adseverabat, vocem esse chaldaicam, è tribus compositam. Apud illos enim, ut aiebat, anti sonat perversum ac cerebrosum: comar, petram: ita, sutoriã. BE. *Quis unquam petræ tribuit cerebrum?* ALB. *Nihil absurdi, si modò mutes genus.* CA. *Prorsus in hac synodo evenit, quòd vulgò dici solet: Quot homines, tot sententiæ. Quid igitur actum est? sententiæ numerari possunt, dividi non possunt, ut pars maior vincat minorem.* AL. *Vincat igitur melior deteriorem.* CA. *Atqui ad hoc ipsum opus esset aliâ synodo. Nam sua cuiq; sponsa videtur pulcherrima.* AL. *Istuc si verum esset, minus haberemus adulteriorum. Sed habeo consilium expeditum. Fabis sortiamur ex hoc numero, cui ius sit, ut ex omnibus suffragiis probet, quod volet.* CA. *At isthæc in te cudetur faba. Num vera dixi?* AL. *Mihi prima & postrema magis arridet.* CA. *Adsentimur omnes, ut unus pro omnibus respondeam.* AL. *Agè. sit igitur hoc inter ea, de quibus dubitare fas non est.* CA. *Maximè.* AL. *Si quis dissentiat, quid erit pœnæ?* CA. *Maiusculis scribetur* hæreticus in grammatica. AL. *Adiiciam bonis avibus, quod mihi non negligendum videtur: id ex medico quodam Syro acceptum amicis communicabo.* BE *Quid istuc?* AL. *Si natatilem betam, gallam è quercu, & sutorium atramentum in mortario contuderis, deinde aspersis copri sex unciis miscueris in malagma, præsentaneum esse remedium adversus caninam scabiem, & porcorum pruriginem.* BER. *Sed heus Albine, qui nobis omnibus de Anticomarita negocium facessis: in quo tandem*

autore

autore legitur istud vocabulum? AL. Dicam, sed in aurem & uni. BE. Accipiam, sed hac lege, ut ego vicissim unus uni in aurem dicam. AL. At repetita henas, tandem fit (b) chilias. BE. Verum dicis: ubi semel ex henade reddideris dyadem: iam non est tibi in manu, sistere fluxum dyadis. AL. Quod pauci norunt, celari potest: quod multi, nequaquam: trias autem ad multitudinem pertinet. BE. Probè, qui tres simul haberet uxores, multas habere diceretur. Sed qui tres haberet pilos in capite, aut dentes in ore, multósne an paucos habere diceretur? AL. Sophista, admove aurem. BE. Quid ego audio? Istud non minus absurdum est, quàm si Græci civitatem, cui expugnandæ tot classes ducebant, suo nomine non possent nominare, pro Troia dicentes Sutriũ. AL. Atqui hic Rabinus est nuper è cælo delapsus, qui nisi præsens numen succurrisset rebus humanis, iam dudum quæreremus, ubinam essent homines, ubi pietas, ubi philosophia, ubi literæ. BE. Næ iste inter Moriæ proceres primas meretur, dignus qui posthac vocetur (i) Archimorita, cum suis Anticomaritis.

(a) Nam veteres olim calculis supputabant, ut nunc in quibusdam regionibus nummis æneis. (b) *Anagyris* herbæ species, quam si contingas manibus pessimè olet. Vide proverbium. (c) *Boves Cypri* stercore victitabant, vide proverbium. d) *Cicuta venenum est, Crambe recocta mors.* (e) *Moretum* pistilli seu placentæ genus, quod variis herbis constat. (f) Comœdia lętam habet. Tragœdia semper tristem catastrophen. (g) *Foria*, pluraliter, autore Nonio, stercora sunt liquidiora. (h) *Henas* unitas. *Chilias* mille-

lenarius numerus est, (i) *Archimorita*, stultus stultorum, hoc est, stultorum princeps.

ΑΓΑΜΟΣ ΓΑΜΟΣ.

CONIVGIVM IMPAR.

PETRONIVS, GABRIEL.

PET. *Vnde nobis, Gabriel, tam tetricâ fronte? Num ex antro* (a) *Trophonii?* GAB. *Imò à nuptiis.* PET. *Nũquam vidi vultum minus nuptialem. Nam qui nuptiis interfuerunt, totos postea sex dies solent hilariores amœnioresq; videri, senes etiam reiuvenescere ad annos decem. Quas igitur tu mihi nuptias narras? Mortis, opinor, cum Marte.* GAB. *Imò iuvenis generosi, cum puella sedecim annos nata, in qua nihil desideres, sive formam spectes, sive mores, sive genus, sive fortunam. Quid multis? Jove marito digna videri poterat.* PETR. *Hui, tam teneram puellam, tam vetulo.* GAB. *Reges non senescunt.* PETR. *Vnde igitur istæc tristitia. Fortasse sponso invides, qui tibi captatam prædam victor præripuit.* GAB. *Phy, nil minus.* PET. *Num tale quid accidit, quale memorant de convivio* (b) *Lapitharum?* GAB. *Nequaquam.* PETR. *Quid? an defuit Bacchi liquor?* GAB. *Imò supererat.* PET. *Non aderant tibicines?* GAB. *Et fidicines, & lyricines, & tubicines, & utricines.* PETR. *Quid igitur, non aderat, Hymenæus.* GAB. *Frustra tot vocibus ciebatur.* PETR. *Nec charites?* GAB. *Ne musca quidem charis. Nec* (c) *pronuba Iuno nec aurea Venus, nec Jupiter Gamelius.* PETR. *Næ tu mihi nuptias loqueris prorsus inauspicatas, &*

Paron.

ἀθέους

ἀθλιος seu potius ἄγαμον γάμον. GAB. *Magis dicas, si vidisses.* PET. *Non igitur saltatum est?* GAB. *Imò miserè claudicatum.* PET. *Nullum ergo numen prosperum istas hilarabat nuptias.* GAB. *Nullum omninò illic aderat præter unam deam, quæ Græcis dicitur* (d) *Psora.* PET. *Pruriginosas, opinor, nuptias dicis.* GAB. *Imò rubiginosas & purulentas.* PET. *Sed quid est, mi Gabriel, quòd hæc commemoratio tibi lachrymas etiam excutit?* GAB. *Hæc res Petroni, vel silici possit extundere lachrymas.* PE. *Credo, si silex vidisset: sed obsecro te, quidnam est hoc tanti mali? Ne cela, nec meum animum diutius suspendito.* GABR. *Nosti Lampridium Eubulum?* PETR. *Quo non alius in hac urbe vir melior aut beatior.* GAB. *Quid? eius filiam Iphigeniam?* PET. *Florem huius ætatis nominasti.* GA. *Sic est. at scis cui nupserit?* PET. *Sciam si dixeris.* GAB. *Nupsit Pompilio* (e) *Bleno.* PETR. *Eine Trasoni, qui neminem non solet occidere suis gloriosis fabulis?* GAB. *Huic ipsi.* PET. *At is iam olim celebris est in hac urbe, duabus potissimùm rebus, mendaciis ac scabie, quæ nondum suum habet nomen, quum ipsa tam multorum habeat nomina.* GAB. *Superbissima scabies est, quæ nec lepræ, nec elephantiasi, nec lichenibus, nec podagræ, nec mentagræ cedat si res veniat in certamen.* PETR. *Ita prædicant medicorum filii.* GAB. *Quid ego nunc, Petroni, de pignam puellam tibi non incognitam, quanquam plurimum gratiæ addidit ornatus nativo decori. Mi Petroni, dixisses deam quampiam esse.*

esse. Nihil illam non decebat. Interim prodiit nobis beatus ille sponsus, trunco naso, alteram trahens tibiam, sed minus feliciter quàm solent Suitzeri: manibus scabris, halitu gravi, oculis languidis, capite obvincto, sanies & è naribus, & ex auribus fluebat. Alii digitos habent annulatos, ille etiam in femore gestat annulos. PETR. *Quid parentibus accidit, ut talem filiam tali portento committerent?* GA. *Nescio, nisi quòd hodie plerisq; videtur adempta mens.* PETR. *Fortasse prædives est.* GAB. *Est affatim, sed ære alieno.* PETR. *Si puella veneno sustulisset ambos avos & avias, quod gravius supplicium de illa sumi poterat?* GAB. *Si* (f) *minxisset in patrios cineres, satis pœnarum datura fuerat, tali monstro, vel osculum dare coacta.* PETR. *Accedo.* GAB. *Mihi sanè factum hoc crudelius esse videtur, quàm si illam* (g) *nudam obiecissent ursis, aut leonibus, aut crocodilis. Nam aut feræ pepercissent tam insigni formæ, aut subita mors finisset cruciatum.* PETR. *Vera prædicas. Mihi planè videtur hoc factum Mezentio dignum,* Æneid. 8. p. 485. *qui* mortua, *ut inquit Maro*, jungebat corpora vivis, componens manibusq; manus, atque oribus ora. *Quanquam nec Mezentius, ni fallor, tam immanis erat, ut tam amabilem puellam cadaveri iungeret: nec ullum cadaver est, cui non iungi malis, quàm tam putido cadaveri. Siquidem hoc ipsum quod spirat, merum est venenum: quod loquitur, pestis est: quod contingit, mors est.* GAB. *Jam tu mihi cogita, Petroni, quid voluptatis habitura*

tura sint illa suavia, illi complexus, illi nocturni lusus ac blanditiæ. PETR. *Theologos nonnunquam audivi loquentes de impari coniugio. Istuc demùm optimo iure dici potest impar coniugium, quasi gemmam inseras plumbo. Sed interim demiror teneræ virginis audaciam. Solent enim tales puellæ ad lemuris aut larvæ conspectum tantùm non exanimari. An hæc audebit tale cadaver amplecti nocte?* GAB. *Habet puella quod excuset, authoritatem parentum, importunitatem amicorum, ætatis simplicitatem, ego parentum vesaniam satis mirari non possum. Quis enim filiam habeat tam infelici formâ, quam collocare velit homini leproso?* PETR. *Nullus, opinor, si modò vel unciolam habeat sanæ mentis. Mihi si lusca esset, eademq; clauda, nec minùs deformis, quàm fuit Thersites Homericus, postremò indotata, recusarem istiusmodi generum.* GAB. *At hæc lues est omni leprâ cùm tetrior, tum nocentior. Nam citiùs serpit, & subinde recurrit, ac frequenter occidit, quum nonnunquam lepra sinat hominem ad extremam usque senectutem vivere.* PETR. *Fortasse latebat parentes sponsi morbus.* GAB. *Imò pulchrè noverant.* PETR. *Si tam malè volebant filiæ, quin potiùs insutam* (h) *culleo proiecerunt in Scaldam?* GAB. *Profectò levior fuisset insania.* PET. *Quæ dos commendabat illis sponsum. Præcellit arte quapiam?* GAB. *Permultis: Strenuus est aleator, potator invictus, scortator improbus: nugandi, mentiendiq; artifex maximus, prædator non segnis, decoctor*

decoctor eximius, comessator perditus. Quid multis? quum scholæ non profiteantur nisi septem artes liberales, hic habet plus quàm decem illiberales. PETR. Aliquid tamen fuerit oportet, quod illum commendarit parentibus. GAB. Nihil aliud, quàm glorioſum equitis nomen. PET. Qualis eques cui per ſcabiem vix in ſella ſedere licet? Sed fortaſſis habet luculentas poſſeſſiones? GAB. Habuit mediocres, ſed ex protervia, quam fecit, nihil ſupereſt præter unam turriculam, unde excurrere ſolet ad prædam, eamq; tam bellè inſtructam, ut nolis illic porcos tuos ali. Sed interim nunquam non habet arces in ore & feuda, aliáque magnifica nomina: usquam non adfigit ſua inſignia. PETR. Clypeus quod habet ſymbolum? GAB. Tres elephantos aureos, in ſpacio phœniceo. PET. Scilicet (i) elephas elephanti congruit. Oportet autem hominem eſſe ſanguinarium. GAB. Imò vinarium. Nam rubro vino mirum in modum delectatur: ſic tibi ſanguinolentus eſt. PETR. Ad hauriendum igitur utilis eſt illi proboſcis. GAB. Maximè. PET. Itaq; inſignia declarant magnum ac ſtolidum nebulonem, vini gurgitem. Neque enim color ille ſanguinis eſt, ſed meri: & aureus elephas indicat quicquid auri nactus eſt vino abſumi. GAB. Sic eſt. PE. Quid igitur dotis hic Thraſo confert ad ſponſam? GAB. Quid? maximam. PE. Qui maximam decoctor? G. Sine me loqui: Maximam, in quam peſſimamq; ſcabiem. PET. Emoriar ni malim filiam meam equo nuptam, quàm tali equiti. GAB. At ego vel monacho

ho nuptam malim. Imò hoc non est homini nubere, sed hominis cadaveri. Hoc spectaculum si vidisses, dic mihi tenuissésne lacrimas? PET. *Quî potuissem, qui vixista sine lacrymis audio? Adeón parentes ad omnem naturalis pietatis adfectum obsurduisse, ut filiam unicam, puellam tali formâ, tali indole, tam amabilibus moribus, tali monstro in servitutem traderent, propter mendacem clypeum.* GAB. *Atqui facinus hoc, quo nihil invenias, nec immanius, nec crudelius, nec magis impium, hodie magnatum etiam ludus est, quum expediat eos, qui reipublicæ tractandæ nascuntur, esse quàm prosperrimâ valetudine. Corporis enim habitus animi vim adficit. Certè hic morbus quicquid est homini cerebri, solet exhaurire. Ita fit ut reipub. præsideant, qui nec animo benè valeant, nec corpore.* PETR. *Non solùm integræ mentis ac prosperâ valetudine convenit esse, qui reipublicæ gubernaculis assident, verùm etiam formâ dignitateq; corporis præcellentes. Quanquam enim prima principum commendatio sit sapientia & integritas: tamen nonnihil refert, quâ specie corporis sit, qui cæteris imperat. Nam si sævus est, multum invidiæ addit corporis deformitas. Sin probus & pius,* Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. GA. *Rectè.* PET. *Nónne deplorant earum infelicitatem, quarum coniuges post peractas nuptias in lepram, aut morbum incidunt comitialem.* GAB. *Meritò sanè.* PE. *Quæ igitur dementia est, ultrò filiam plus quàm leproso tradere?* GA. *Plus quàm dementia est.*

Si

Si satrapes paret tollere catulos, quæso num ad generosam fœminam admittet scabiosum & ignavum canem? PET. *Imò magna cura dispiceret, ut undiquaq; generosum adiungeret, ne nascantur* (k) *hybridæ.* GAB. *Et si dux augere velit equitatum, num ad eximiam equam admitteret morbidum aut degenerem?* PET. *Ne in commune quidem stabulum reciperet morbidum, ne quà serpat malum ad alios.* GAB *Nec interim referre putant: quem admittant ad filiam, & unde nascantur liberi, non tantùm in hæreditatem omnium facultatum successuri, verùm etiam rempublicam moderaturi?* PET. *Ne rusticus quidem quemvis taurum admittit ad iuvencam, nec quemvis equum iungit equæ, nec quemvis porcum scrophæ, quum taurus gignatur aratro, equus rhedæ, porcus culinæ.* GAB. *Vide quàm perversa sint hominum iudicia. Si quis plebeius patriciæ puellæ oscŭlum obtrudat, iniuriam putant bello vindicandam.* PE. *Acerrimo.* GAB. *Et ipsi volentes, scientes, prudentes, id quo nihil habent charius, dedunt abominando portento, & privatim impii in suam gentem, & publicè in civitatem.* PETR. *Si sponsus subclaudicat, alioqui sanus, quàm abhorretur à coniugio? Hoc tantum malum non imputatur in sponsalibus.* GAB. *Si quis filiam elocavit Franciscano, quanta abominatio, quanta deploratio malè collocatæ virginis! At illa, veste detractâ, virum habet membris validis. Ista totam ætatem transigit cum semivivo cadavere. Si qua nubit sacerdoti,*

ludunt

ludunt in unctum: at hæc (l) peiùs uncto nupsit, PET. *Vix hoc faciunt hostes puellis bello captis, vix piratæ faciunt scelere abductis: & hoc faciunt parentes unicæ filiæ, nec illis datur à magistratu curator?* GA. *Quomodo medicus succurret phrenetico, si ipsum habeat phrenesis?* PET. *Atqui mirum est, à principibus, quorum munus est prospicere reipub. duntaxat in his, quæ ad corpus pertinent, cùm hoc genere nihil prius ac potius sit bonâ valetudine, hîc nullum excogitari remedium. Tanta pestis bonam orbis partem occupavit: & illi interim stertunt, quasi nihil ad rem pertineat.* GA. *De principibus, Petroni, religiosè loquendum est. Sed admove aurem, insusurrabo tria verba.* PET. *O miseriam, utinam falsa prædicares!* GABR. *Quot morborum genera nasci putas ex vinis corruptis, ac mille modis infectis.* PET. *Innumera, si qua medicis fides.* GA. *Num hîc vigilant ædiles?* PET. *Planè vigilant in exigendis vectigalibus.* GA. *Quæ sciens nubit morbido, fortasse digna est suo malo, quod adscivit ipsa sibi: quanquam si principatum gererem, utrunq; semovere ab urbano cõmercio. Cæterùm si qua nupsisset huic obnoxio lui, qui se sanũ mentitus esset, si quis mihi summum Pontificium deleget, dirimerem hoc coniugium, etiamsi sexcentis (10) tabulis sponsalibus contractum esset.* PE. *Quo colore? Nam coniugium ritè contractum, ab homine non potest dirimi.* GA. *Quid? tibi videtur ritè contractum, quod dolo malo contractum est. Non valet contractus, si puella decepta servo nupsit, quem putabat liberum. Hæc cui*

nupsit, servus est miserrimæ dominæ Psoræ: atq; hoc infelicior est servitus, quòd illa neminem manumittit, ut servitutis miseriam aliqua libertatis spes consolari possit. PET. Sanè colorem reperisti. GA. Ad hæc, non est coniugium, nisi inter vivos; hîc mortuo nubitur. PE. Repertus est alter color. Sed sineres, opinor, scabiosas scabiosis nubere, iuxta vetus illud adagium ὅμοιον πρὸς ὅμοιον. GA. Si hoc mihi liceret, quod expediret Reipub. sinerem quidem iungi, sed iunctos exurerem. PE. Tum tu quidem Phalaridem ageres, non principem. GA. An tibi Phalaris videtur medicus, qui secat digitos aliquot, aut inurit corporis partem, ne totum pereat? Mihi non videtur ista crudelitas, sed misericordia. Quod utinam initio nascentis mali fuisset factum! Tum enim paucorum exitio totius orbis saluti consuli poterat. Et huius facti reperimus exemplum in Gallorum annalibus. PET. At mitius erat illos castrari, ac summoveri. GA. Fœminis porrò quid faceres? PE. Adderem fibulas. GA. Ita quidem profectum esset, ne ex malis corvis nascantur mala ová: sed fatebor hoc esse mitius, si tu fatearis illud esse tutius. Nam pruriunt & execti: nec uno modo transilit malum, sed osculo, sed colloquio, sed contactu, sed compotatiunculâ serpit ad alios. Et videmus huic malo fatalem quandam malitiam adiunctam, ut quisquis eo tenetur, vel nullo suo commodo, gaudeat quàm plurimis suâ adfricare scabiem. Iam submoti possunt fugere, possunt vel noctu, vel ignotis imponere: à mortuis verò nihil est periculi. PE. Tutius fateor, sed haud scio,

an

an conveniat Christianæ mansuetudini. GA. Dic agè mihi, unde plus periculi, à simplicibus furibus, an ab istis? PE. Fateor pecuniam multò viliorem bonâ valetudine. GAB. Et tamen hos Christiani suffigimus in crucem; nec appellatur crudelitas, sed iustitia: & si Remp. spectes, pietas est. PE. Verùm ibi plectitur, qui damnum dedit. GA. Hi scilicet lucrum adferunt. Sed demus, hoc malum multis nullâ suâ culpâ contractum, quum tamen paucos reperias, quibus eam luem non conciliarit nequitia. Iureconsulti docent interdum innoxios rectè occidi, si id magnoperè interfit Reipublicæ. Quemadmodum Græci post eversam Troiam occiderunt Astyanactem Hectoris filium, ne per illum bellum instauraretur. Nec (n) putant impium, post extinctum tyrannum, & liberos innoxios trucidari. Quid quod nunquam non bellamus Christiani, neq; tamen nescimus, in bellis maximam malorum partem ad eos redire, qui nihil commeruerunt? Idem usu venit in (o) represalibus, quæ vocãt. Qui læsit, in tuto est: & spoliatur negotiator, qui ne factũ quidem audivit, tantum abest, ut in culpa fuerit. Quòd si talibus remediis utimur in rebus non ita magni momenti, quid censes faciendũ in re omnium atrocissima? PE. Vincor veris. GA. Tum illud mihi perpende: Apud Italos, ut primùm scintillare cœpit pestilentia, occluduntur ædes: qui laboranti inserviunt, submoventur à publico. Hoc quidam appellant inhumanitatem, quum summa sit humanitas: Siquidem hac vigilantiâ fit, ut paucis funeribus sopiatur malum. At quanta est

humanitas, tot millium vitæ consuli? Sunt qui parum hospitale putant, quòd tali in rumore pestilentia, tempore verspertino, hospitem portis submovent, cogúntque sub dio noctem agere: at pietas est, paucorum incommodo, maximo Reipub. bono prospicere. Quidam sibi valdè fortes videntur & officiosi, quòd ausint ad quemvis pestilentiâ laborantem accedere, etiamsi nihil illic habeant negotii. At dum reversi domum inficiunt uxores, liberos, ac totam familiam, quid eâ fortitudine stultius? quid officio inofficiosius, ut salutes alienum, tibi charissimos in præsens vitæ discrimen adducere? Hîc tamen quantò minus est periculi à pestilentia, quàm ab hac scabie? Rariùs afflat propinquos, nec ferè senes attingit, & quos attigit, aut citò liberat, aut restituit sanitati, puriores etiam quàm antea fuerant. Hæc quid aliud quàm perpetua mors est, vel, ut verius dicam, sepultura. Obvolvuntur linteis & unguentis more cadaverum. PET. Verissima narras. Saltem idem curæ dandum erat huic tam exitiali malo, quod datur leprosis. Aut si hoc quoq; nimium est, nemo barbæ sylvam patiatur sibi demeti, aut sibi quisq; tonsorem præstet. GA. Quid si uterq; claudat os? PET. Adflant naribus malum. GA. Est & isti malo remedium. PE. Quodnam? GA. Vt, quod solent Alcumistici, addant personam, quæ per vitreas feneſtellas præbeat lumen oculis, ori, naribúsq; respirationem, cornu à persona per axillas in tergum porrecto. PET. Bellè, si nihil metuendum est à contactu digitorum, linteorum, pectinis, & forficis. GA. Optimum igitur,

barbam

barbam usq; ad genua demittere. PE. *Ita videtur. Deinde fiat edictum, ne quis idem sit tonsor & chirurgus.* GA. *Ad famem relegas tonsores.* PE. *Minuant sumptus, & aliquanto pluris radant.* GAB. *Esto.* PE. *Tum feratur lex, ne quis cum alio poculum habeat commune.* GA. *Istam vix recipiat Anglia.* PE. *Néve duo misceantur eodem lecto, præter uxorem & maritum.* GA. *Placet.* PE. *Adhæc in diversoriis ne quis hospes indormiat linteis, in quibus alius indormiit.* GA. *Quid facies Germanis, qui vix lavant bis in anno?* PE. *Extimulent lotrices. Præterea tollatur mos quamvis vetustus, salutandi osculo.* GA. *Etiamne in templis?* PE. *Tabellæ suam quisq; opponat manum.* GA. *Quid de colloquio?* PE. *Videtur illud Homericum,* (p) Ἀγχιχόων κεφαλήν, *& vicissim qui auscultat, comprimat labra.* GA. *Vix istis legibus suffecerint duodecim tabulæ.* PET. *Sed quid consulas interim infelici puellæ?* GA. *Quid? nisi ut libenter sit misera, quò sit minùs misera: & suavio coniugis opponat manum: tum armata cum illo dormiat.* PET. *Quónam hinc properas?* GAB. *Rectà in musæum.* PE. *Quid facturus?* GA. *Pro (q) epithalamio, quod postulant, scripturus epitaphium.*

(a) Qui ex *antro Trophonii* prodeunt, tristissimi sunt. Lege proverb. (b) Cruentæ fuerunt *nuptiæ Lapitharum.* (c) *Dæmonia* sunt quæ nuptias auspicatas & felices reddere credita sunt. (d) *Psora*, scabies & pruritus. (e) *Blennus* ignavus & fatuus, aliquando & mucosus. (f) *Si muxisset in pat.* id est gravius flagitium commisisset. vide proverb. (g) Apud veteres damnati obiiciebantur feris. (h) *Culleus*, saccus, quo obvoluti parricidii rei proiiciebantur in profluentem.

fluentem. (i) Hoc dicit ob id, quod, qui scabie Gallicâ laborant, ab elephantiosi non multum formâ distant. (k) *Hybrida*, catuli qui ex parentibus diversæ naturæ & studii nascuntur. (l) Alludit tacitè ad unguenta & cataplasmata illorum qui porcas habent. (m) *Tabulæ sponsales*, scripti codicilli initi matrimonii de pacto & legato, ut aiunt. (n) Vide proverb. *Stultus, qui patre cæso liberis pepercit.* (o) *Repressalia est* potestas quâ creditori in suâ patria, contra debitorem, in alieno ius suum persequi licet. (p) Id est, propiùs admovens caput. (q) *Epithalamium* carmen quod in nuptiis decantari consuevit. *Epitaphium*, inscriptio sepulchri.

IMPOSTVRA.

PHILIPPVS, LIVINVS,

PH. *Salve Livine.* LIV. *Salvebo, si vis ita: sed ame tibi cave: nam est animus imponere tibi, nisi caves.* PH. *Non est admodùm metuendus hostis, qui periculum denunciat. Sed agè falle, si potes.* LI. *Ecce, iam fefelli, nec sentis adhuc. Iterũ cave.* PH. *Cum præstigiarum, opinor, artifice mihi res est: nihil enim sentio impostura.* LIV. *Rursus adverte mentem tuã, ni velis decipi, sicut falsus es non semel.* PHIL. *Hic sum, incipe.* LI. *Iamdudum mihi, quod iubes, peractum est.* PH. *Quid actum, aut quid peractum? Nihil sentio doli.* LI. *Iam toties admonitus saltem adhibe attentum animum.* PH. *Novum præstigiarum genus. Ludor, ut ais, neq; quicquam artis sentio, quum observem & oculos & manus, & linguam tuam. Sed agè, rursus incipe.* LI. *Iterum atq; iterum incipio: atq; adeo toties facio, neq; tu assequeris laqueos.* PH. *Quâ re mihi laqueos tendis?* LIV. *Hæc tibi*

tibi, inquam, lingua dolos parat, nec auribus sentis, nec oculis vides. Nunc saltem habe attentos oculos & aures. PH. Non possum magis, etiamsi de capite ageretur. Sed falle rursùm. LI. Iterum ecce fefelli, neque deprehendis artem. PH. Enecas. Quæso die quod nam est hoc præstigiarum genus? LI. Hactenus sum tibi loquutus carmine, atq; ad hunc loquor. PH. Nihil minus sensi, quàm istuc. LIV. Primùm tibi respondi duobus trimetris iambicis: deinde trochaico tetrametro, catalectico: mox meris creticis sum loquutus: post hæc Phalæcio hendeca syllabo: deinde meris choriambis: ad hæc meris anapæstis: rursum tribus sapphicis: mox sotadico: postremò trochaico tetrametro. PHI. Deum immortalem, quidvis susticabo potiùs, quàm istud! Si vixero aliquando vicem reponam. LI. Huc, si quid potes PH. Ecce bis par pari retuli, nec dolum percipis. LI. Hui tam citò? PH. Minatus sum tibi Iambico tetrametro, catalectico: mox addidi creticos quinq;. LI. Prorsus accidit, ut video, quod dici solet, (a) Cretensis incidit in Cretensem. PH. Sic est: sed illud precor utrique nostrum ne nobis unquam occurrat impostura nocentior.

(a) Cretenses nebulones & mendaces notati sunt.

CYCLOPS, SIVE (*) EVANGELIOPHORUS.

CANNIVS, POLYPHEMVS.

CA. Quid hîc venatur Polyphemus? PO. Quid vener rogas, sine canibus & venabulo? CA. Forte Nympham aliquam hamadryadẽ. PO. Pulchrè divinasti.

En tibi rete venatorium. CA. *Quid ego video? Bacchum in exuvio leonis, Polyphemum cum codice* (a) γαλῆ βοκωλὸν. PO. *Non croco tantum pinxi libellum, sed etiam minio lasurioq;.* CA. *Non loquor de croco, sed Græcè dixi quiddam. Militaris videtur libellus: nam nodis, laminis & circulis æreis armatus est.* PO. *Introspice.* CA. *Video sanè perquàm bellus est, sed nondum ornasti satis.* PO. *Quid deest?* CA. *Addere debebas tua insignia.* PO. *Quæ?* CA. *Sileni caput è dolio prospiciens. Sed quid tractat? artem potaticam?* PO. *Vide ne quam imprudens effutias blasphemiã.* CA. *Quid igitur? estne sacri quippiam?* POL. *Est, quo nihil sacratius, Evangelium.* CAN. Μεθυσε ἠρέσκεις! *Quid Polyphemo cũ Evangelio?* PO. *Quid ita rogas? quid Christiano cum Christo?* CA. *Nescio, nisi quod te talem magis decet halbardacha. Nam si quis mihi istâ specie ignotus occurreret in mari piratam esse crederem: si in nemore, sicarium.* PO. *Atqui hoc ipsum nos docet Evangelium, ne quem iudicemus iuxta faciem. Quemadmodum enim sæpenumerò sub tunicâ cinericiâ latet animus tyrannicus: ita nonnunquam attonsum caput, circumtorta barba, torva supercilia, truces oculi, vertex plumam ventilans, sagum militare, caligæ intersectæ, tegunt Evangelicum animum.* CANI. *Quidni? nonnunquam & sub pelle lupinâ latet ovis, & si qua fides apologis, sub exuvio leonis latet asinus.* POL. *Imò ego novi, qui ovem gestat in vertice, vulpem in pectore: cui libens optarim, ut quàm habet nigros oculos, tam habeat candidos amicos, tamq;*

(a) vocat Græcum usurpatæ ad portic. admirationis.

tamq; probè inauretur, quàm colorem habet inauraturæ congruum. CAN. *Si ovem gestat in vertice, qui pileum gestat ovillum: quàm tu incedis onustus, quum ovem simul & struthiocamelum gestes in capite? Tum, an non absurdiùs facit, qui avem portat in capite, asinum in pectore?* POLY. *Mordes.* CAN. *Sed bellè res habuerit, si quàm tu decorasti variis ornamentis Evangelium, tam te vicissim exornet. Ornasti coloribus, utinam exornet te bonis moribus!* POLY. *Curabitur.* CAN. *Ut soles.* POLY. *Sed omissis convitiis: Itáne damnas eos, qui circumferunt codicem Evangelicum?* CA. *Minimè gentium!* POLY. *Quid, an tibi videor minimus gentium, vel asinino capite te procerior?* CAN. *Non arbitror tanto, asinus arrigat auriculas.* POLY. *Certè bubalino.* CAN. *Placet collatio: sed ego minimè dixi, non minime.* POL. *Quid interest inter ovum & ovum?* CAN. *Quid interest inter medium digitum & infimum?* PO. *Medius est longior.* CAN. *Scitè, quid interest inter asininas auriculas & lupinas?* POLY. *Lupinæ sunt breviores.* CAN. *Rem tenes.* POLY. *At ego longa breviaq; palmo & ulnâ metiri soleo, non auribus. Agè, qui Christum gestavit, dictus est Christophorus: tu, qui Evangelium portas, pro Polyphemo, dicendus es Evangeliophorus.* POLY. *An sanctum non putas portare Evangelium?* CAN. *Non, nisi tu fatearis esse sanctissimos asinos.* POL. *Qui sic?* CAN. *Quia unus sufficit gestandis tribus istiusmodi codicum millibus: nec te crediderim futu-*

turum imparem oneri, si probè sis clitellatus. POL. Nihil absurdi sic asino tribuere sanctimoniam, quia gestavit Christum. CAN. Istam sanctimoniam tibi non invideo. Et si vis, donabo tibi reliquias illius asini, cui Christus insedit, ut exosculeris. POLY. Dabis munus gratissimum. Nam asinus ille contactu corporis Christi consecratus est. CAN. Sanè Christum contigerunt & qui illi impegerunt alapas. POL. Sed agè dic serio, nónne pium est circumferre codicem evangelicum. CAN. Pium, si absit hypocrisis si verè id fiat. POLY. Abeat hypocrisis ad monachos: quid militi cum hypocrisi. CA. At primùm expedi mihi quid sit hypocrisis. POLY. Cùm aliud præ te fers, quàm lateat in animo. CA. Sed quid præfert circumlatus evangelii codex, nónne vitam evangelicam? POLY. Opinor. CAN. Ergo ubi vita non respondet codici, nónne hypocrisis est? POL. Videtur. Sed quid est verè codicem evangelicum circumferre? CAN. Quidam circumferunt manibus, quemadmodum Franciscani Francisci regulam: idem possunt & baiuli Lutetiani, & asini, & cantherii. Sunt qui circumferant ore, nihil crepantes, nisi Christum & evangelium: hoc est pharisaicum. Quidam circumferunt animo. Proinde verè circumfert, qui & manibus, & ore, & corde portat evangelium. POLY. Vbi sunt isti? CAN. In templis diaconi, qui portant codicem, pronunciant populo, & tenent corde. POLY. Tametsi non omnes sancti sunt, qui animo gestant Evangelium. CAN. Ne mihi sophistam agas. Non gestat a-

ſtat animo, niſi qui medullitùs amat. Nemo penitùs amat, niſi qui moribus exprimit Evangelium. POLY. *Iſtas ſubtilitates non aſſequor.* CAN. *At dicam craſſiore Minervâ. Si lagenam vini Belnenſis geſtes humeris, quid aliud eſt quàm onus?* POLY. *Nihil aliud.* CAN. *Si teneas faucibus, ac mox exſpuas?* POLY. *Haud profuerit, quanquam id quidem non ſoleo.* CAN. *Sin, ut ſoles, affatim haurias?* POLY. *Nihil divinius.* CAN. *Concaleſcit omne corpus, rubeſcit facies, hilareſcit frons.* POL. *Prorsùs.* CAN. *Tale quiddam eſt Evangelium: in animi venas demiſſum, innovat totum hominis habitum.* POLY. *Videor igitur tibi parùm Evangelicè vivere?* CAN. *Iſtam quæſtionem nemo te diſſolverit rectiùs.* POLY. *Si bipenni res agatur.* CA. *Si quis in os te vocet mendacem aut ganeonem, quid facias?* PO. *Quid faciam? ſentiret pugnos meos.* CA. *Quid ſi quis tibi impingat colaphum?* POLY. *Amputarem illi collum pro colapho.* CAN. *At qui codex tuus docet, ut pro convicio referas benignum ſermonem, & ferienti maxillam dextram porrigas & ſiniſtram.* POLY. *Legi, ſed exciderat.* CAN. *Oras, opinor frequenter.* POL. *Iſtuc Phariſaicum eſt.* CAN. *Phariſaicum eſt prolixè precari, ſed fucatè. At tuus codex docet ſemper orandum, ſed ex animo.* POLY. *Attamen oro nonnunquam.* CAN. *Quando?* POLY. *Cùm venit in mentem, ſemel aut bis in hebdomade.* CAN. *Quid tum oras?* POL. *Precationem Dominicam.* CA. *Quoties?* PO. *Semel. Nã vetat Evangelium* (b) *Battologiam eadem iterantem.*

Belna e urbs Bue, quadias, & hodie dicit Beaune.

tem. CAN. Potes attentus absolvere precationem Dominicam? POLY. Nunquam id tentatum est. An non satis quòd voce pronuncio? CA. Nescio, nisi quòd Deus non audit nisi cordis vocem. Crebrò ieiunas? POLY. Nunquam. CAN. At tuus codex probat precationem & ieiunium. POLY. Probarem & ego, nisi aliud flagitaret venter. CAN. At Paulus negat servire Iesu Christo, qui ventri serviunt. Vescéris carnibus quovis die? POLY. Cùm dantur. AAN. Atqui ista gladiatoria laterum firmitas vel fœno arborumq; corticibus poterat ali. POLY. Sed Christus dixit, non coinquinari hominem his, quæ intrant in os. CA. Ita, si modicè, si præter offendiculum. At Paulus Christi discipulus mavult fame mori, quàm fratrem infirmum offendere suo cibo: nosq; ad suum hortatur exemplum, ut omnibus per omnia placeamus. POLY. Paulus est Paulus, ego sum ego. CA. At Ægonis est capras pascere? POLY. Malim esse. CAN. Pulchrè tibi precaris, caper citiùs fies quàm capra. POLY. Esse dixi pro edere. CAN. Eleganter: Libenter succurris pauperibus? POL. Non est quod dem. CAN. At esset si sobriè viveres, si gnaviter laborares? POLY. Dulce est otium. CAN. Servas præcepta Dei? POLY. Grave est. CAN. Agis admissorum pœnitentiam? POLY. Christus pro nobis dependit. CAN. Vnde igitur declaras te amare Evangelium? POLY. Dicam. Franciscanus quidam apud nos non desinebat è suggesto deblaterare in Novum Testamentum Erasmi:

rasmi: conveni hominem privatim, lævam inieci capillis, dextrâ Bpugilem egi, suggillavi illũ magnificè, totamq; faciem tuberreddidi. Quid ais? Non est hoc favere Evangelio? Deinde absolvi illum à commissis, hoc ipso codice ter in verticem impacto: fecique tria tubera: in nomine patris & filii & spiritus sancti. CAN. Satis quidem evangelicè. Istuc nimirum est Evangelium Evangelio defendere. POLY. Occurrit alter eiusdem sodalitii, qui nullum neque modum, neque finem faciebat debacchandi in Erasmum. Accensus Evangelico zelo minis hominem adegi, ut utroq; genu flexo rogaret veniam, fateretur q; se, quæ dixerat, instigante diabolo dixisse: ni fecisset, iam halbardacha erat in cervicem vibrata. Vultus erat, qualis esse solet Martis irati. Hoc gestum est coràm aliquot testibus. CAN. Miror hominem non fuisse protinus exanimatum. Sed, ut pergamus, vivis caste? POLY. Id fortasse fiet, ubi senuero. Sed vis tibi verum fatear Canni? CAN. Non sum sacerdos: si confiteri libet, alium quære. POLY. Deo soleo confiteri. Sed tibi fateor, me nondum esse perfectum evangelicum, sed unum è populo. Habemus quatuor Evangelia. Nos Evangelici quatuor res potissimùm venamur, ut ventri benè sit: ne quid desit iis, quæ sub ventre sunt: tum ut sit unde vivamus: postremò ut liceat, quod lubet, agere. Hæc si suppetant, inter pocula clamamus: io triumphe! io pæan! vivit Evangelium, regnat Christus. CAN. Ista quidem Epicurea vita est, non evangelica. POL.

Haud

Haud inficior. Sed scis Christum omnipotentem esse, potest repentè vertere nos in alios homines. CAN. *Potest & in sues: quod quidem proclivius arbitror, quàm in bonos viros.* POL. *Vtinam non essent peiores in mundo suibus, bubus, asinis & camelis! Multos videas leonibus truculentiores: lupis rapaciores, passeribus salaciores, canibus mordaciores, viperis nocentiores.* CA. *At iam tempus est, ut ex animante bruto in hominem incipias verti.* POLY. *Rectè mones. Nam horum temporum prophetæ dicunt instare supremum mundi diem.* CAN. *Tantò magis properandum.* PO. *Expecto Christi manum.* CA. *Vide, ut tu manui ceream præbeas materiam. Sed unde colligunt in propinquo esse mundi finẽ?* PO. *Quoniam, inquiunt, idem nunc faciunt homines, quod faciebant imminente diluvio, epulantur, potant, comessantur, ducunt, nubunt, scortantur, emunt, vendunt, fœnerant & fœnerantur, ædificant: Reges belligerantur. Sacerdotes student augendis censibus, Theologi nectunt syllogismos, monachi per orbem cursitant, populus tumultuatur, Erasmus scribit colloquia. Denique nihil malorum abest, fames, sitis, latrocinia, bellum, pestilentia, seditio, rerum bonarum inopia. An non hæc arguunt adesse finem rerum humanarum?* CAN. *Ex hoc malorum acervo, quod tibi est molestissimum?* POLY. *Divina.* CAN. *Quod crumenam tuam obsident (t) aranea.* POLY. *Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Nunc venio recens à compotatione: aliàs sobrius tecum disputabo, si voles, de Evangelio.* CAN. *Quando*

te

te videbo sobrium? Po. Cùm fuero. Ca. Quando eris? Po. Cùm videris. Interim mi Canni, sis felix. Ca. Tibi vicissim opto, ut sis, quod diceris. Po. Ne me vincas officio, precor, ne (d) Cannium unquam destituat. unde cognomen sortitus est.

* Evangelium ferens (a) Id est feli crocotonō, vide proverb. (b) Battologia, inanis & multorū verborum effusio, à Batto quodam dicta, cui hoc solēne fuit. Battologiam damnat Christus nominatim apud Mat. cap. 6. (c) Et apud Catullum hic iocus est de sacculo araneis pleno. (d) Germani siquidem trullam vinariam Ein Kanne vocant.

*ΑΠΡΟΣΔΙΟΝΤΣΑ, sive absurda.

Annivs et Levcivs.

An. Audio te interfuisse nuptiis Pancratii & Albinæ. Le. Nunquam antehac infeliciùs navigavi, quàm hoc tempore. An. Quid ais? tantam fuisse hominum frequentiam? Le. Nec unquam mihi vilior fuit vita, quàm id temporis. An. Vide quid faciant opes. Ad meas nuptias pauci convenirent, iiq; tenues. Lev. Vix fueramus ingressi pelagus, ortus est ingens turbo. An. Narras deorum cœtum. Tótne aderant viri principes, tot matronæ nobiles? Lev. Boreas dissecuit velum, dissectúmque dissipavit. Anni. Desponsam novi. Nihil fingi potest venustius. Le. Mox fluctus revulsit clavum. An. Idem videtur omnibus. Nec sponsus admodùm illi cedit, ut aiunt, formæ gratiâ. Lev. Quid animi censes nobis illic fuisse? An. Sanè rarum nunc est virgines nubere. Lev. Remigandum nobis

nobis erat. AN. Dotem vix credibilem narras. LEV. Ecce mox aliud malum. AN. Cur puellam impuberem commiserunt tam feroci? LEV. Apparuit piratarum navis. AN. Profectò sic est, in multis nequitia supplet ætatem. LEV. Ibi nobis geminum fuit bellum: alterum cum mari, alterum cum prædonibus. AN. Hui tantum donariorum? Interim pauperibus nemo dat festucam. LEV. Quid? cederemus? Imò desperatio vitæ addebat animos. AN. Vereor ne sint steriles nuptiæ, si vera prædicas. LE. Imò iniecimus harpagones. AN. O rem novam, ante nuptias gravida? LE. Si spectasses eum conflictum, fatereris me non esse feminam. AN. Vt audio, coniugium hoc non solum ratum est, sed etiam consummatum. LE. Insiluimus in navim piraticam. AN. At demiror te vocatum alienum, me præterito, qui tertio propinquitatis gradu sponsæ patrem contingo. LE. Ipsos in mare præcipites dedimus. AN. Vera prædicas: infelicium nulli sunt adfines. LE. Quicquid erat prædæ, inter nos partiti sumus. AN. Expostulabo cum puella primo quoq; tempore. LE. Mox exorta est subitò tranquillitas, dixisses esse (a) Alcedonia. AN. Si illi res est, mihi est animus. Nihil moror illius benevolentiam. LE. Ita pro una duas naves in portum deduximus. AN. Indignetur qui alit. LE. Quò eam, rogas? in templum, vel partem dicaturus D. Nicolao. AN. Hodie non est liberum mihi. Nam ipse domi convivas expecto: aliàs non excusabo.

* Id est,

(*) Id est, nihil ad Bacchum. (a) Alcedonia dies sereni, quibus mare tranquillum & pacatum est.

ΙΠΠΕΥΣ ΑΝΙΠΠΟΣ.

Eques sine equo. sive ementita nobilitas.

(*) HARPALVS, NESTORIVS.

HAR. *Potes me tuo levare consilio? Senties me hominem non immemorem, nec ingratum.* NEST. *Dabo expeditum: ut sis, quod esse velis.* HAR. *At nobis in manu non est, ut nascamur nobiles.* NE. *Si non es, enitere benefactis, ut à te initium capiat nobilitas.* HAR. *Perlongum est.* NES. *Exiguâ summâ tibi vendet Cæsar.* HAR. *Vulgò ridetur emptitia nobilitas.* NE. *Quum nihil sit magis ridiculum, quàm ementita nobilitas: quid est, ut tantoperè affectes nomen equitis?* HAR. *Sunt causæ, nec leves, quas tibi nõ gravabor indicare, si mihi commonstraris rationes, quibus nobilitatis opinionem mihi parem apud vulgus.* NE. *Nomen absq; re?* HA. *Atqui cùm res abest, proximum est opinio. Sed agè, consule, Nestori: ubi causas audieris, fateberis operæ pretium.* NE. *Quando ita vis, dicam. Primùm fac procul te abducas à patria.* HA. *Memini.* NE. *Ingere te in convictum iuvenum verè nobilium.* HA. *Intelligo.* NE. *Hinc primùm orietur suspicio, te talẽ esse, cum qualibus victitas.* HA. *Sic est.* NE. *Vide ne quid habeas plebeiũ.* HAR. *Quidnam?* NE. *De cultu loquor. Ne vestis sit lanea: sed aut serica, aut si deest quî emas, fustanea, denig; vel canabea potiùs, quàm pannea.* HA. *Rectè.* NE. *Vide, ne quid sit integrum: sed*

disseca pileum, thoracem, caligas, calceos, ungues, si potes: néve quicquam humile loquaris. Si quis ex Hispania veniat hospes, roga quomodo conveniat Cæsari cum Pontifice, quid agat adfinis tuus, comes à Nassaven, quid cæteri congerrones tui. HA. *Fiet.* NE. *Sit annulus in digito cum gemma signatoria.* HA. *Siquidem loculi ferant.* NE. *At parvo constat annulus æreus inauratus cum gemma fictitia. Sed adde clypeum cum insignibus.* HA. *Quæ nam mihi suades deligam?* NE. *Duo mulctra, si velis, & cantharum cerevisianum.* HA. *Ludis: agè dic seriò.* NE. *Nunquam fuisti in bello?* HAR. *Ne vidi quidem.* NE. *At interim, opinor, decollasti anseres, & capos rusticorum.* HA. *Persæpè, & quidem fortiter.* NE. *Pone machæram argenteam, tria anserum capita aurea.* HA. *In quo solo?* NE. *Quo? nisi sanguinolento, monumentum fortiter effusi cruoris.* HA. *Quid ni? rubet sanguis anserinus æquè ac humanus. Sed pergè obsecro.* NE. *Hunc igitur clypeum pro foribus omnium diversoriorum, in quibus fortè versatus es, adfigendum curato.* HA. *Quid addetur galeæ?* NE. *Rectè submones Eam facies ore dissecto.* HA. *Quamobrem?* NE. *Vt spires: deinde ut congruat vestitui. In vertice quid eminebit?* HA. *Expecto.* NE. *Caput canis demissis auribus.* HA. *Vulgatum est.* NE. *Adde duo cornua: rarum hoc est.* HA. *Placet. Red quæ bestiæ sustinebunt clypeum.* NE. *Cervos, canes, dracones, gryphes occuparunt principes: tu ponito duas harpyias.* HA. *Optimè consulis.* NE. *Restat cognomen. Hic illud inprimis cavendum, ne plebeio*

more

more te patiaris vocari, Harpalum Comensem: sed Harpulum à Como: hoc enim nobilium est, illud sordidorum Theologorum. HA. Sic memini. NE. Habésne quicquam cuius te possis appellare dominum? HA. Ne haram quidem. NE. In urbe celebri natus es? HA. In obscuro pago. Non enim fas est ei mentiri: unde petis medicinam. NE. Rectè est. Sed ei pago nullus est vicinus mons? HA. Est. NE Et habet alicunde rupem? HA. Habet præruptam. NE. Ergò sis Harpalus eques ab aurea rupe. HA. Atqui mos est magnatum, ut suum quisq; symbolum habeat vocale, quemadmodum Maximilianus habebat. Tene mensuram: Philippus, Qui volet: Carolus, Vlterius: item alius aliud. NE. Tu abscribito: Omnis iacta sit alea. HA. Næ tu percommodè dicis. NE. Jam, quò firmior sit hominum opinio, fingito literas à magnatibus ad te missas, in quibus identidem appelleris eques clarissimus, magnarumq; rerum fiat mentio, de feudis, de arcibus, de multis florenorum millibus, de præfecturis, de matrimonio opulento. Curabis ut huiusmodi literæ tibi velut elapsæ aut per oblivionem relictæ, veniant ad aliorum manus. HA. Istud quidem mihi erit commodum. Nam & literas novi, & hanc facultatem multo usu paravi, ut cuiusvis manum facilè effingam. NEST. Interdum insue vesti, aut relinque in crumena, ut quibus sarciendi negotium dederis, illi reperiant. Illi non silebunt, & tu simul ac resciveris, compones vultum ad iracundiam ac mæstitiam quasi doleat casus. HA. Et istud iampridem meditatus sum, ut faciem tam

facilè mutem; quàm personam. NE. Ita fiet, ut nec fucus suboleat, & res cum fide spargatur. HA. Curabitur sedulò. NES. Deinde sodales aliquot adsciscendi sunt, aut etiam famuli, qui tibi cedant loco, & apud omnes mi Ioncherum appellent. Nec est quòd hinc sumptum metuas. Sunt plurimi iuvenes, qui vel gratis cupiant hanc agere fabulam. Adde huc, quòd hæc regio scatet iuvenibus eruditulis, qui mirâ tenentur scribendi libidine, ne dicam (a) scabie. Nec desunt famelici quidam typographi, nihil non audentes, si spes quæstus adfulserit. Ex his aliquot suborna, qui in libellis suis te prædicent patriæ procerem, idque subinde repetatur literis maiusculis. Hac viâ vel in Bohemia celebrabunt procerem patriæ. Et citiùs enim & latiùs discurrunt libelli, quàm voces, aut quamlibet loquaces famuli. HAR. Nec ista displicet ratio. At famuli sunt alendi. NE. Sunt: at non ales famulos (b) ἀχρείους, & obid (c) ἀχρείους. Mittantur huc & illuc, invenient aliquid. Scis varias esse rerum occasiones. HA. Desine, teneo rem. NE. Supersunt artes. HA. Aveo scire. NE. Nisi sis bonus aleator, probus chartarius, scortator improbus, potator strenuus, profusor audax, decoctor & conflator æris alieni, deinde scabie ornatus Gallicâ, vix quisquam te credet equitem. HARP. In istis quidem iampridem exercitatus sum. Sed unde sumptus? NEST. Mane, istuc ibam: Est tibi patrimonium? HA. Perpusillum. NE. Postquam apud multos confirmata fuerit nobilitatis opinio, facilè reperies fatuos, qui tibi credant, quosdam etiam

iam pudebit negare, quidam metuent. Iam ut ludas creditores, mille sunt artes. HAR. Earum quidem rudis non sum. Sed tandem urgebunt: ubi perspexerint nihil esse, nisi verba. NE. Immò nulla commodior ad regnum via, quàm debere quàm plurimis. HA. Qui sic? NE. Primùm creditor observat te, non aliter, quàm obligatus magno beneficio: veretúrque, ne quam præbeat ansam amittendæ pecuniæ. Servos nemo habet magis obnoxios, quàm debitor suos creditores: quibus si quid aliquando reddas, gratiùs est quàm si dono dones. HAR. Animadverti. NE. Illud tamen caveto ne cum tenuibus habeas commercium. Nam hi ob parvulam summulam ingentes excitant tragœdias. Placabiliores sunt, quibus lautior est fortuna, cohibet illos pudor, lactat spes, deterret metus, norunt, quid possint equites. Postremò, cùm inũdaverit æris alieni magnitudo, fictis causis aliò demigra, atq; inde rursus aliò. Nec est quòd huius rei te pudeat. Nulli magis obærati sunt, quàm magni principes. Si quis rusticus urgeat, finge offensum improbitate animum. Interdum tamen aliquid redditò, verùm nec totum, nec omnibus. Illud ubiq; curandum, ne cui suboleat, tibi prorsus exhaustos loculos. Semper ostenta. HA. Quid ostentet, qui non habet? NE. Si quid amicus apud te deposuit ostenta pro tuo: sed artem dissimula, cura ut casus videatur. In hunc usum interdum sumito pecuniã commodato, quam mox reddas. Ex loculo nummis æreis distento, profer aureos duos ibi sepositos. Cætera ex teipsò coniicito. HA. Intelligo. At tandem

obruar oportet ære alieno. NE. *Scis quantum apud nos liceat equitibus.* HA. *Nihil non, & quidem impunè.* NE. *Ergo famulos ale non segnes, aut etiam sanguine propinquos, qui alioqui forent alendi. Occurret negotiator, quem obvium spolient. Reperient aliquid in diversoriis, aut in ædibus, aut in navibus incustoditum. Tenes? Meminerint non frustra datos homini digitos.* HA. *Siquidem tutò.* N. *Cura ut habeas pulchrè vestitos cum insignibus. Cõmitte literas fictitias ad summates. Si quid clàm sustulerint, nullus audebit illos insimulare, etiam si quid suspicentur, timebunt equitem dominum: sin vi quædam extorserint, bellũ vocabitur. His (d) progymnasmatibus ad bellum præluditur.* HA. *O felix consilium.* NE *Iam illud equestre dogma semper erit tuendum, ius fasq; esse equiti, plebeium viatorem exonerare pecuniâ. Quid enim indignius, quàm ignobilem negociatorem abundare nummis, quum interim eques non habeat, quod impendat scortis & aleæ? Fac semper te adiungas magnatibus, vel ingeras potius, ne quid pudeat, perfricandæ frons est, sed præsertim hospitibus, eoq; præstat in celebri quopiam loco vitam agere, puta in thermis, frequentibus diversoriis.* HAR. *Istuc ipsum erat in animo.* NES. *Hic sæpenumerò fortuna prædam obiicit.* HA. *Qui? rogo.* NE. *Puta, hic aut ille reliquit crumenã, aut oblitus reliquit clavem in sera promptuarii. Cætera tenes.* HA. *At.* NE. *Quid metuis? de sic culto, de tam magnificè loquente, de equite ab aurea rupe, quis audebit suspicari? Et si quis fortè tam improbus extiterit, quis*

erit

erit tam audax, ut te appellet? Interim suspicio derivabitur in aliquem hospitum, qui pridie discesserint. Turbabũtur famulitia cũ pandocheo, tu tranquillus tuam personam agito. Hoc si acciderit homini modesto cordatoq; silebit: ne simul cum damno lucrifaciat pudorẽ, qui rem suam indiligenter servaverit. HA. Non absurdè dicis. Nã nosti, opinor, comitem à vulture albo. NE. Quid ni? HA. Apud hũc diversatus est, ut accepi, Hispanus quidã specie cultuq; sanè quàm liberali. Is abstulit florenos sexcẽtos, nec unquam Comes ausus est queri. Tanta erat hominis maiestas. NE. Habes exẽplum & famulis tuis interdum aliquem amandes, in bellũ scilicet. Is spoliatis templis ac monasteriis quibuslibet, redibit onustus prædâ bello partâ. HA. Hoc quidem est tutissimum. NE. Est & alia ratio conflandæ pecuniæ. HA. Narra obsecro. NE. In benè nummatos finge causas irarum, præsertim in monachos aut sacerdotes, qui nunc apud omnes ferè summâ laborant invidiâ. Alius irriserit, aut conspuerit clypeum tuum, alius parùm honorificè de te sit loquutus, alius scripserit aliquid, quod in calumniam detorqueri valeat. His per (e) feciales tuos (f) ἄσπονδον πόλεμον denuncia. Sparge minas atroces, excidia, exitia (g) πανολεθρίας meras: territi venient ad componendam litem, ibi fac magno æstimes tuam dignitatem, hoc est, iniquum petas, ut æquum feras. Si postules tria millia, pudebit minus offerre, quàm ducẽtos aureos. HA. Aliis minitabor leges: NE. Istud propius quidem accedit ad sycophanticam sed tamen iuvat &

hoc in partem. Sed heus Harpale, penè exciderat, quod dictum inprimis oportuit: puella quæpiam benè dotata in matrimonii nassam illaqueanda est. Habes apud te (h) philtrum, iuvenis es, candidulus es, lepidus nugator es, rides blandùm. Sparge te magnis promissis adscitum in aulam Cæsaris. Amant puellæ Satrapis nubere. HA. Novi quibus hoc benè cesserit. Cæterùm, quid si fucus tandem erumpat, & insiliant undiq; creditores? Irridebor personatus eques. Nam id apud istos turpius est, quàm si templum sacrilegio spolies. NE. Hic oportet meminisse perfrictæ frontis: illud inprimis: Quod nullis unquam temporibus magis licuit audaciâ pro sapientia uti, quàm hodie. Comminiscendum est aliquid, quod excuses. Deinde, nunquam deerunt candidi: qui faveant tuæ fabulæ, nonnulli civiliores dissimulabunt intellectum fucum. Postremò, si nihil aliud, profugiendum est aliquò in bellum, in tumultũ. Quemadmodum (i) κλύζει θάλασσα πάντα τῶν ἀνθρώπων κακὰ, ita bellum operit omnium scelerum sentinam. Nec enim habetur hodie bonus belli dux, nisi tali tirocinio præparatus accesserit. Hoc erit extremum asylum, si cuncta fefellerint. Verum omnis movendus erit tibi lapis, ne huc veniatur. Vide ne te securitas opprimat: oppidula minuta fuge, in quibus: ne pedere quidem licet, ni populus sciat: in magnis ac frequentibus civitatibus plus est licentiæ, nisi si qua sit (k) Massiliæ similis. Dissimulanter expiscare, quid quisque de te loquatur. Vbi senseris huiusmodi voces increbrescere, quid agit? Cur

hic

hîc tot annos moratur? Cur non revisit patriam? Cur negligit arces suas? Vnde ducit imagines? Vnde tantæ profusioni facultates? Hoc genus, inquam, voces ubi cœperint magis ac magis gliscere, tum maturè tibi de migrando cogitandum est: sed sit fuga leonina, non leporina. Adsimula te vocari in aulam Cæsaris ad res magnas, brevi te ad futurum cum exercitu. Non audebunt in absentem hiscere, quibus est, quod nolint amittere. Sed inprimis tibi sentio cavendum istud genus hominum poeticum, irritabile, nigrumq́. Illinunt chartis, si quid illos habet malè, subitoq́, per orbem spargitur quicquid illeverint. HAR. Dispeream, ni mihi vehementer placet tuum consilium. Efficiam, ut intelligas te nactum docile ingenium, & iuvenem minimè ingratum. Equum, quem primum te dignum nactus in pascuis fuero, tibi dono mittam. NES. Nunc superest, ut quod pollicitus es vicissim præstes. Quid est, cur tantoperè adfectes falsam opinionem nobilitatis? HAR. Nullam aliam ob causam, nisi quòd his omnia licent impunè: An hoc tibi leve videtur momentum? NEST. Vt pessimè cedat, mors una debetur naturæ, etiamsi vixisses in Carthusia. Et levius moriuntur in rota, quàm qui moriuntur calculo, podagrâ, aut paralysi. Nam militare est, credere, nihil hominis super esse post mortem, præter cadaver. HAR. Sic opinor.

*Harpalus rapacem sonat, nomen Servuli apud Plautum. (a) Alludit ad Iuvenal. *hoc tenet insanabile multos Scribendi cacoethes.* (b) Id est, sine manibus. (c) Id est, inutiles.

Progymnasma est præexercitamentum & quasi rudimentum aliquot. Habent omnes artes peculiaria quædam rudimenta, quibus cognitis facilior nobis aditus ad ipsas artes datur. *Fectales sacerdotum* legati, per quos olim Romani fœdera cum hostibus sanciebant, & res repetebant, bellumq; denunciabant. (*f*) Id est, irreconciliabile bellum. (*g*) *Panolethria* omnium rerum destructionem significat. (*h*) *Philtrum*, illectamentum amatorium. (*i*) Id est, eluit mare omnium hominum mala. (*k*) Vide proverbium *Massilienſium mores*.

ΑΣΤΡΑΓΑΛΙΣΜΟΣ, sive talorum lusus.

QVIRINVS. CAROLVS.

QVIR. *Disce, inquit Cato, sed à doctis. Cupio itaq; mi Vtenhovi, te magistro discere, quamobrem prisci religionis illi antistites edixerint, ut clerici talaribus tunicis uterentur, hoc est, usque ad talos demissis.* CAROL. *Duabus, opinor, de caussis. Primum verecundiæ gratiâ, ne quid nudi pateret oculis. Nam olim nec hoc caligarum genus fuit repertum, quod nunc ab ilibus usque ad imos pedes corpus tegit, neque subligaribus aut femoralibus vulgò utebantur. Eadem de causa turpe est fœminis brevioribus uti vestimentis, quò magis consultum sit sexus pudori. Deinde ut non solùm moribus, verumetiam habitu differrent à populo: in quo ut quisque est profanissimus, ita brevissimis tunicis uti gaudet.* QVIR. *Non dissimile veri est quod narras. Cæterùm ex Aristotele, Plinioq; didici,*

dici, nulli hominum esse talos, sed tantùm quadrupedibus: non tamen omnibus, sed bisulcis plerisq;, nec rursus his, nisi in tibiis posterioribus. Vnde igitur vestis dici talaris potest, quam gestat homo, nisi fuerunt homines olim quadrupedes, iuxta fabulam Aristophanis. CA. Imò si credimus Oedipo, & quadrupedes & tripedes, & bipedes inveniuntur homines: nec rarò nobis è bello redeunt unipedes, interdum (a) apodes: sed quod ad tali vocabulum attinet rectiùs mireris, si legas Horatium, qui fabulis quoq; talos attribuit. Sic enim, opinor, scribit in arte poetica.

Securus cadat, an recto stet fabula talo.

QVIR. Poëtis licet, ut libet loqui: apud quos Tmolus habet aures, & (b) naves loquuntur, & saltant (c) quercus. CA. Quin & Aristoteles tuus hoc te docere poterat esse talos dimidiatos, quos ille vocat ἡμιασραγάλους, quales tradit esse lyncum generi. Addit Leonib us inesse quiddam vice tali, sed anfractuosum, quod ille vocat λαβυρινθώδες, Plinius vertit tortuosum. Denique, ubicúnque committuntur ossa ossibus ad flexus commoditatem, cava prominentibus inter se respondent, utrinque lubrica cartilagine communitis, ac velut incrustatis partibus, ne mutuo attritu sese lædant, ut idem docet Aristoteles. In his ferè est aliquid, quod à tali similitudine pariter, & usu non discrepat, veluti in ima tibia iuxta calcaneum, ubi totius pedis flexus est, prominet quiddam talo simile quod Græci σφυρὸν appellant. Rursus in flexura genu, quod,

quod, ni fallor, ἰχίον appellant, quidam vertebram. Simile quiddam videmus in coxendicibus, in humeris: postremò, in commissuris digitorum, pedis ac manus. Quod ne tibi mirum videatur, Græci tradunt ἀστράγαλον vocabulum apud probatos authores tributum etiam ossibus, quibus spina connectitur, præsertim in cervice. Citant enim hoc carmen. (d) Ἐκ δέ μοι ἀυχὴν ἀστραγάλων ἔάγη.

Quoniam autem Aristoteles tradit, priores tibias animanti datas, ad celeritatem, & ob id carere talis: posteriores ad stabilitatem, quòd in eam partem vergat pondus corporis, quemadmodum ad robur iis, quæ calcibus feriunt. Flaccus dum significare vult, fabulam non ejectam, sed ad finem usque peractam, dicit illam stetisse fixo talo, nec aliter tribuit fabulæ talum, quàm nos libro tribuimus calcem, & volumini umbilicum. QVIR. Nætu probè grammaticum agis CAR. At quò magis id credas Græci literatores ἀστράγαλον dici volunt à στρέφω & α particulâ privativâ, quod minimè flectatur, sed immobilis sit. Quanquam alii malunt ἀστράγαλον, interjectâ literâ ρ, dictum, pro ἀσάγαλον, quòd lubricâ volubilitate stare nesciat. QVI. Ad istum modum licet plura divinare. Simplicius erat dicere: Nescio. CAR. Non usque adeò videbitur absurda divinatio: si cogites quantam habeat caliginem vocum primitiva origo: tum in re nullam esse contrarietatem: quod apparebit, si propiùs inspicias. Volubilis est talus, sed ita volubilis: ut eam partem, cui innectitur reddat ad standum firmiorem. Deinde os

de os ossi connectit, ne facilè luxari queat. QVIR. Tu vel sophistam agere possis, quantum video, si libeat. CAR. Sed nihil est, Tales, quòd nos torqueat etymologia vocis. Nam quod hodie Græci vocant ἀστράγαλον, prisci, quorum est Callimachus, dixerunt ἄστειον, cuius hoc refertur hemistichium (e) δέκα δ' ἄστεια ἄινυτο λύτρον, unde quemadmodum ἀστραγαλίζειν, ita & ἀστίζειν, dicebant talis ludere. QVIR. Quale est igitur illud, quod propriè talum vocant? CAR. Est id, quo nunc ludunt puellæ: olim puerorum erat lusus, quemadmodum nuces. De quo est illud Græcorum, (f) ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς, cùm iram levi de causa susceptam indicant. Rursus Horatius in Odis: Nec regna vini sortiere talis. Item in Sermonibus: Te talos, Aule, nucesq; &c. Postremò dictum illud Lacedæmonii, ni fallor, Pueros esse fallendos talis, viros iureiurando. Hunc talum negant in ullo animante inveniri, quòd sit μώνυχον, hoc est, ungula solida, excepto asino Indico unicorno: aut quòd sit πολυσχιδὲς, hoc est, pede in multos digitos ungulásve fisso, quòd genus sunt leo, panthera, canis, simius, homo, & avis, aliaq; permulta. Quæ verò δίχηλα sunt, hoc est, ungula bisulca, pleraq; talum habent, idq; ut rectè dicebas, in posterioribus cruribus. Vni homini duplici de causa tali non sunt: primùm, quia bipes: deinde quia quinis digitis fissos habet pedes. QVIR. Ista frequenter audivi. Cæterùm pervelim mihi situm ac formam tali describi. Nam istud lusus genus etiam puellis fastiditum est: sed aleam, chartas, aliosq; masculos

sculos lusus adfectant. CAR. Non mirum, quum adfectent & Theologiam: Verùm etiam si mathematicus sim, aut pictor, aut etiam plastes, non possim tibi melius tali formam exhibere, quàm ipso talo: nisi mavis, ut tibi describam per literas, ut illi solent. QVIR. Habésne talum? CAROL. En tibi ovillum ex dextro crure. Vides quatuor duntaxat latera: quum in cubo & alea seu tessera sint sex, in ambitu quatuor, in summo & imo duo. QVI. Sic est. CAR. In talo, quoniam summa pars & ima curvatur, non sunt nisi quatuor latera, quorum unum vides, velut in dorsum intumescere. QVIR. Video. CA. Quod est è regione, cavum habere: illud Aristeles vocat πρανὲς, id est, pronum: hoc ὕπτιον, id est, supinum. Velut in congressu uxoris & mariti, cum dant operam liberis, mulier supina est, vir pronus: & manus, si vola spectet terram, prona est: si in vertas, supina. Quanquam Oratores & Poëtæ nonnunquam his verbis abutuntur, quod ad hanc rem nihil attinet. QVIR. Istuc quidem eleganter oculis subiecisti. Inter reliqua duo latera, quid est discriminis? CAR. Alterum modicè cavatum est, ut ossi, cui innectitur, congruat: alterum propemodùm nihil habet concavi, minuúq; armatum est cartilagineâ tunicâ, sed tantùm nervo & pelle tegitur. QVIR. Video. CAR. Pronum latus nihil habet nervorum, sed supinæ partis concavo adhæret nervus, quemadmodum dextri lateris summo, levi imo. QVIR. Pulchrè narras: sed unde dignoscam dextrum à sinistro? CAR. Rectè admones: nam

perperam

perperàm docui, nisi dextri cruris talum intelligas. Dicam igitur melius, simulq; quod volebas, situm indicabo. Talus est in ipsa suffragine cruris infra coxam. QVIR. Complures arbitrantur iuxta pedem esse. CAR. Errant. Is qui propriè dicitur talus, est in suffraginibus, quas Graeci κάμπας vocant, sed crurum, ut dixi, posteriorum. Inter pedem tuum & genu tibia est. QVIR. Sic opinor. CAR. Post genu κάμπη. QVI. Adsentior. CAR. Nam qui flexus est homini in brachiis, idem est quadrupedibus in cruribus posterioribus: simiam excipio semihominem. Itaque quod genu est in cruribus, id cubitus est in brachiis. QVIR. Animadverto. CAROL. Itaq; flexus flexui respondet. QVI. Illud dicis crurum posteriorum & priorum. CAR. Tenes. In ea igitur suffragine, quae respondet suffragini, quae est post genu, stat talus erectus, cum stat quadrupes, cuius summa & ima pars leniter incurvatur, quanquam non prorsus eodem modo, nam superior replicatur in cornua quaedam, quas Aristoteles appellat κεραίας, Theodorus vertit antennas, iuxta quas se submittit pronum latus, ima tale nihil habet. QVIR. Planè video. CAROL. Illud ergo latus, quod spectat tibias priores. Aristoteles vocat supinum: quod illi adversum est pronum. Rursus sunt duo latera, quorum alterum intus spectat tibiam posteriorem, puta laevam aut dextram: alterum spectat foràs. Quod introrsum spectat, Aristoteles appellat κοῖλον: quòd foràs, ἰσχίον. QVIRI. Prorsus oculis rem video. Jam superest,

pereſt, ut nobis indices, quæ fuerit olim talis ludendi ratio. Nam qui luſus noſtrâ memoriâ dicitur in uſu fuiſſe, nihil convenit cum iis, quæ comperimus apud priſcos authores de hoc ludendi genere. CAR. *Ac ſanè fieri poteſt, ut quemadmodum hodie chartis ac teſſeris ad varias ludendi formas abutimur, ita non fuerit eadem apud veteres talis luſitandi ratio.* QVI. *Probabile eſt, quod dicis.* CAR *Theodorus Gaza, ſive ut alii malunt appellare, Theſſalonicenſis, vertens Ariſtotelis librum de hiſtoria animalium ſecundum, ait tali latus, quod foràs transverſum ſpectat, Canem vocari: quod introrſum ad alterum crus, venerem. Cæterùm hoc quidem de ſuo addidit. Nam Ariſtoteles hæc tantùm ponit.* (g) τὸ μὲν πρανὲς ἕξω, τὸ δὲ ὕπτιον εἴσω, καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δ' ἰσχία καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεφαλὰς ἄνω. *Cæterùm, quando conſtat, ab aliis Veneris iactum appellari, quoties ex quatuor talis nullus eſt, qui ſummam faciem habet cum alio congruentem, demiror quid ſequutus Theodorus unum latus appellet Venerem. Eraſmus noſter, quem communem habemus amicum, huiusmodi obſervationum non admodùm curioſus, in proverbiis aliquot, ex authoritate veterum indicat quædam de ludo talorum: velut in proverbio: Non Chius, ſed Cous: refert Coum & Senionem eundem eſſe, quem Græci ἓξιτην dicunt. Idem tradit in proverbio Chius ad Coum: addens, Chium eundem eſſe cum cane: Coi iactum fuiſſe felicemt, canis infelicem, teſte Perſio.*

Quid

Quid dexter senio ferret.

Scire erat in votis, damnosa canicula quantum Raderet. *Itidem Propertius:*

Semper damnosi subsiluere Canes.

Et Ovid. lib. de Trist. 2. damnosos Canes appellat. Addit ex Martiale: Senionem videri per se felicem: caterùm infelicem fieri, si accedat Canis. Sic enim loquitur:

Senio nec nostrum cum Cane quassat ebur.

Iam Veneris iactum esse ut rarum, ita felicissimum indicat Martialis in Apophoretis:

Cùm steterit vultu nullus tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Tot autem talis ludebatur, quot quisque habet latera. Nam tesseris non plus tribus ludi solet. Sed propiùs ad ludendi rationem facit, quod scribit Suetonius in Octavio Augusto, recitans ex illius quadam ad Tiberium epistolâ hæc: inter cœnam lusimus γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim iactatis, ut quisq; Canem aut Senionem miserat, in singulos talos, singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat universos, qui Venerem iecerat. Q v. *Docuisti felicissimum esse iactum, cùm omnes tali quatuor ostenderint diversum latus: quemadmodum in tesserarum ludo fortunatissimus est, qui dicitur Midas: at nondum declarasti hunc iactum dici Venerem.* Ca. *Illud expediet tibi Lucianus, ita loquens in Cupidinibus* (h) Καὶ βαλὼν μὲν ὅτι σκοπῶ: μάλιστα δὲ εἴποτε τῷ θεῷ αὐτὸν ἐυβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλων πεσόντος ἴσῳ χήματι πρὸς ἐκεῖνον, τὸν ὀπθυμίου

τέυξεσθαι νομίζων. *Loquitur autem illic de Venere.* Qv. *Si falsus est Theodorus, duo tantùm latera suis vocabulis designantur.* Ca. *Fortassis alicuius authoritatem ille sequutus est, quæ nos fugit: quod apud authores compertum est, adferimus in medium. Nam sunt, qui meminerunt de numero Stesichorio in talis, quem putant ogdoadem esse: item de Euripideo, qui continebat quadraginta.* Qvi. *Restat ut lusus leges præscribas.* Ca. *Non arbitror pueros iisdem usos legibus, quibus se usum fuisse scribit Octavius. Nec probabile est, hoc ludendi genus, quod commemorat, fuisse publicum. Id si fuisset, satis erat dixisse: Inter cœnam lusimus talis. Sed mihi subindicare videtur, novam ludendi conditionem inter illos repertam, velut aptam senibus, minimeq; torquentem animos solicitâ cogitatione, quêadmodùm faciunt hodie complures lusus, ut levius sit intendere studiis.* Qv. *Profer, obsecro te, reliquos talos, ut experiamur.* Ca. *Sed deest nobis turricula volvendis talis: deinde tabula.* Qv. *Sufficerit hæc mensa ad qualecunq; specimen exhibendum. Pro(l) turricula sufficerit cyathus aut pileum.* Ca. *Imò complexus cavarum manuum. Jactus sæpiùs ostendit supinam partem, quàm pronam: & pronam sæpiùs, quàm senionem aut canem.* Qv. *Videtur.* Ca. *Si inter quatuor talos extiterit unus canis, expones nummum: si duo, duos: si tres, tres: si quatuor, quatuor: item quoties ieceris senionem, totties recipies unum è nummis.* Qv. *Quid si senionem cum cane?* Ca. *Si vis, uterq; nummum addet: neuter tollet: cui primum*

primùm obtigerit Venus, is auferet acervum. Qv. Quid si talus ostendat partem supinam, aut pronam? Ca. Is iactus erit irritus, & aut tu iactum repetes, aut iaciendi ius ad me devolvetur. Qv. Placet devolutio. Ca. Nunc adpone sortem. Qv. Experiamur absq; periculo. Ca. Vis tu tantam artem discere gratis? Qv. Verùm impar certamen est inter artificem & rudem. Ca. Atqui spes lucri, & damni metus reddet te attentiorẽ. Qv. Quanti certabimus? Ca. Si vis citò ditescere, centum ducatis. Qv. Vtinam sint quos deponam. Tutiùs est paulatim ditescere. En tibi solidum assem. Ca. Agè addemus pusillum pusillo, quemadmodùm monet Hesiodus, sic quoq; fiet ingens acervus. Convolve ac mitte. Felix auspicium, canem habes: appone nummum, & posthac agnosce damnosum latus. Da talos. Qv. Felicius auspicium, treis habes canes: appone. Ca. Insidiatur tibi fortuna. Mitte, sed circumvolutos, ô bone. Labor irritus, pronum habes & supinum. Succedo, trade talos. Qv. O factum benè! rursum tres video canes. Ca. (k) Μὴ ἐκ τῆς τύχης ἐγκώμιον. Illectat, inquam, te fortuna. Sed heus tu, ad hunc quidem modum edoctus sum. At meâ sententiâ secus lusit Octavius. Qv. Quomodo? Ca. Qui canem iecerat, apponebat denarium, ut diximus: qui senionem, nihil quidem auferebat. sed alter ponebat. Qv. Quid si plures seniones exissent? Ca. Totidem nummos alter addebat. Benè cumulatum acervum semel tollebat venus. Et illud addas licebit: Cui nec senio obtigerit, nec canis, nihil aliud quàm mittendi

vicem perdet. QVI. *Non recuso.* CAR. *Mihi videtur & hoc elegantius, si tertio quisq; iactu defungatur, qui talos tenet, & mox alteri tradat vices.* QV. *Placet: sed quota Venus finiet ludum?* CAR. *Tertia, si videtur. Deinceps liberum erit de integro paciſci. Siquidem tum rarò, tum paucis favet Venus. Nunc aggrediamur bonis avibus.* QV. *Fiat, ſed præſtat occludere fores, ne noſtræ culinæ regina videat nos puerorum more ineptientes.* CAR. *Imò ſeniliter potius. Adeóne loquacem habes famulam.* QVI. *Tam futilem, ut ſi deſint homines, quibus narret quicquid domi geritur, longo ſermone gallinis narret ac felibus.* CAR. *Heus puer, claude oſtium, & obde peſſulum, ne quis ſubitus interveniat ſpectator, quò liceat ad ſatietatem uſq; ludere.*

(*a*) *Apodes*, ſine pedibus. Aviculæ item ſunt de genere hirundinum, apodes dictæ. (*b*) *Argo* fuiſſe vocalem authores ſunt Poëtæ, qui argonautica ſcripſerunt. (*c*) *Orpheus & Amphion* ſaxa & arbores cithara moviſſe dicuntur. (*d*) Id eſt, effracta mihi cervix eſt extra talos. (*e*) Id eſt decem verò talos cepit præmium. (*f*) Id eſt, ob talos iratus. (*g*) Id eſt, Pronum quidem foras, introrſum ſupinum, & cola dicta eſſe latera, quæ intus vertuntur: quæ verò foris, iſchia: denique ſuperiores partes à cornibus cereas appellari. (*h*) Id eſt, & iactans quidem ad ſcopum, maximè verò ſi quando ipſam deam feliciter iactaſſet, nulla ſcilicet talorum æquali figurâ cadente adorabat, arbitratus ſe deſiderio ſuo fruiturum. (*i*) Turricula, quam etiam pyrgum vocant. Horat. Mitteret in pyrgum talos. (*k*) Id eſt, ne ante victoriam encomion. Vide proverbium.

SE NA-

SENATVS (à) SIVE ΓΥΝΑΙΚΟΣΥΝΕΔΡΙΟΝ.

CORNELIA, MARGARETA, PEROTTA, IVLIA, CATHARINA.

COR. *Quod felix faustúmque sit huic ordini, totíq; reipub. fœmineæ, & frequentes hodiè convenistis, & alacres, unde spem optimam concipio, futurum, ut Deus propitius cuique ea suggerat in animum, quæ ad communem omnium & dignitatem & utilitatem pertinent. Scitis, opinor, omnes, quantum hinc commodis nostris decesserit, quòd quum viri quotidianis cõventibus suum agant negotium, nos colo telaq; assidentes, causam nostram deserimus. Itaq; res huc devenit, ut nec inter nos sit ullæ reipub. disciplina, & viri nos penè pro delectamentis habeant, vixq; hominis vocabulo dignentur. Quòd si quâ cœpimus, pergamus, divinate vos ipsæ, quò tandem res sit evasura: Vereor enim verba sinistri ominis eloqui. Ut dignitatem nostram negligamus, certè incolumitas debet esse curæ. At sapientissimus ille Rex scriptum reliquit: Ibi demum esse salutem, ubi multa consilia. Habent episcopi suas Synodos, habent monachorum greges sua conciliabula, habent milites suas stationes, habent fures sua conventicula: denique habet & formicarum genus suos congressus. Solæ omnium animantium mulieres nunquam coimus.* MAR. *Sæpiùs, quàm decet.* COR. *Nondum interloquendi tempus est. Sinite me perorare: Dabitur singulis dicendi locus. Neque novum est quod*

facimus; vetus exemplum revocamus. Siquidem ante annos mille trecentos, ni fallor, Heliogabalus Cæsar laudatissimus. PE. *Quî laudatissimus, quem unco tractum in cloacam protectum esse cõstat?* CO. *Rursum interpellor. Si quem hac ratione probamus aut improbamus, malum dicemus Christum, quòd in crucem suffixus sit: pium Domitium, quòd domi sit mortuus. Atqui nihil obiicitur Heliogabalo atrocius, quàm quòd sacrum ignem, qui à vestalibus servabatur, in terram abiecerit, quodq; domi in* (b) *Larario Mosen habuerit, & Christum, quem illi contumeliæ causâ Chrestum vocabant. Is igitur Heliogabalus instituit, ut quemadmodùm Imperator cum suis habebat senatum, in quo de rebus communibus consultaret: ita & haberet mater illius Augusta senatum suum, in quo de fœmineæ gentis negotiis tractaretur, quem viri, vel iocandi vel discernendi gratiâ, senatulum vocabant. Hoc exemplum, tot iam seculis intermissum, res ipsa iam dudũ monet, nos instaurare. Nec ullam moveat, quòd Paulus Apostolus vetat mulierem loqui in cœtu, quam ille vocat Ecclesiam: de cœtu virorum loquitur, hic cœtus est muliebris. Alioqui si semper tacendum erit fœminis, in quem usum natura dedit nobis & linguas, non minus expeditas, quàm sunt virorum, & vocem, non minùs sonoram? quanquam illi sonant rauciùs, ac propiùs referunt asinos, quàm nos. Verùm illud oportet nobis omnibus esse curæ, ut eâ gravitate tractemus hoc negotium, ne rursus viri senatulum appellent, aut fortas-*

fortassis probrosius aliquod nomen excogitent, ut solent in nos libenter esse dicaces. Quanquam, si liceat illorum comitia veris æstimare, plus quàm muliebria videri possunt. Videmus monarchas tot iam annis nihil aliud quàm belligerari: inter theologos, sacerdotes, episcopos, & populum nihil convenire: quot homines, tot sententiæ, & in his ipsis plus quàm muliebris est inconstantia. Nec civitati cum civitate, nec vicino cum vicino concordia est. Si nobis essent traditæ rerum habenæ, aliquantò, ni fallor, tolerabilius haberent res humanæ. Non est fortasse fœminei pudoris, tantis proceribus tribuere stultitiam: at fas est, opinor, recitare quod scripsit Salomon, proverbiorum capite decimo tertio: Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ. Sed ne vos longiore morer proœmio, uti singula gerantur ordine, decenter & sine tumultu: primo loco tractandum erit, quæ debeant interesse concilio, quæ submovendæ sint. Nam immodica turba tumultus est verius, quàm concilium: & paucorum consessus habet quiddam tyrannicum. Huc ego censeo nullam recipiendam virginem, eò quòd incident permulta, quæ non decet illas audire. Iv. *At quo signo dignoscas virgines? An pro virginibus habebuntur, quæcunque coronam gestant?* Co. *Non: At nuptas tantùm recipiendas censeo.* Iv. *Et inter nuptas virgines sunt, quæ maritos habent eunuchos?* Co. *Sed tribuatur hoc honoris coniugio, ut nuptæ pro mulieribus habeantur.* Iv. *Alioqui si*

non excludimus nisi virgines, erit immensa turba, nec multum decrescet numero. Co. Excludentur & plus quàm ter nuptæ. Ivl. Quamobrem? Cor. Quoniam illis velut emeritis debetur missio. Idem censeo de septuagesimum annum egressis. Statuendum, ne qua nominatim de viro suo loquatur petulantiùs: in genere fas sit, sed eâ moderatione, ne quid nimis. Ca. Quî minus hîc liberè de viris liceat dicere, quum ipsi de nobis nusquam non loquantur? Meus Titius si quando studet esse conviva festivior, narrat quid mecum noctu egerit, quid dixerim, neque rarò multa solet adfingere. Cor. Si velimus fateri verum, nostra dignitas pendet à viris: eos si traducimus, quid aliud quàm nos ipsas dehonestamus? Quanquam autem habemus non paucas iustæ querimoniæ causas: tamen expensâ rerum omnium summâ nostra potior est, quàm illorum conditio. Illi dum quærunt rem, per omnes terras ac maria volitant, nõ sine capitis discrimine: illi, si bellum incidat, excitantur buccinâ, ferrei stant in acie, dum nos domi sedemus tutæ. Si quid committunt adversus leges, gravius in illos animadvertitur, nostro sexui parcitur. Denique magna ex parte in nobis situm est, ut commodos habeamus maritos. Restat ut de consessu ordine statuatur, ne nobis eveniat, quod frequenter usu venit regum, principum, ac pontificum oratoribus, qui in conciliis totos tres menses litigãt, antequam possint considere. Itaq; censeo primum esse debere nobilium ordinem: & in his præcedent, quæ quatuor habent nobilitatis

partes,

partes, proximè, quæ tres: deinde quæ duas: postremæ, quæ unam: postremò, quæ dimidiatam. Et in singulis ordinibus locus ex antiquitate designabitur. Nothæ in suo quoq; ordine extremum tenebunt locum. Alter consessus erit plebeiarum. In hoc primas tenebunt, quæ copiosiorem sobolem enixæ sunt. Inter pares litem dirimet ætas. Tertius erit earum, quæ nondum pepererunt. CA. Quò mittis viduas? COR. Commodè mones. Istis locus dabitur in medio matrum, si modò liberos habent habuerintve. Steriles extremum obtinebunt locum. IV. Quem locum designas sacerdotum ac monachorum uxoribus? COR. De his proximo consessu deliberabimus. IV. Quid de his, quæ corpore faciunt quæstum? COR. Non patiemur hunc senatum admixtu talium inquinari. IV. Quid de concubinis? COR. Istarum non simplex est genus, de quibus per otium tractabitur. Adiiciendum est, quomodo fieri debeat senatus consultum, punctisne, an calculis, an suffragiis vocalibus, an porrectis digitis, an discessione. CO. In calculis dolus est, quemadmodum & in punctis, si pedibus eatur in sententiam, quoniam vestes longas gerimus, nimium movebimus pulveris: optimum igitur, uti voce pronunciet unaquæq; quod sentit. COR. At difficile est numerare voces. Deinde cavendum, ne fiat pro concilio (c) convitium. CA. Nihil fiet absque notariis, ne quid possit excidere. COR. Ita quidem consultum est numero. Sed quibus modis excludes convitium? CATHA. Ne qua loquatur, nisi

rogata, & suo ordine. Quæ secus fecerit, è senatu movebitur. Tum si qua quid effutierit eorum, quæ hic aguntur: silentio plectetur triduano. CORN. *Hactenus de ratione tractandi. Nunc accipite quibus de rebus consultandum sit. Primam oportet esse curam dignitatis: ea potissimùm sita est in cultu, cuius rei tantus est neglectus, ut hodie vix agnoscas discrimen inter nobilem & plebeiam, inter nuptam & virginem aut viduam, inter matronam & meretricem. Adeò sublatus est pudor, ut quidvis usurpent quælibet. Videre est plus quàm plebeias, ac loci planè sordidi, vestiri holosericis, undulatis, florulentis, virgatis, byssinis, aureis, argenteis, pellibus zebellinis, madauricis, quum interim maritus domi consuat calceos. Digitos habent smaragdis & adamantibus onustos. Nam uniones nunc vulgò fastidiuntur, ne quid quærar de succinis & corallijs, & crepidis inauratis. Satis erat tenuibus, in honorem sexus, cingulis uti sericis, ac fimbrias vestium serico limbo decorare: nunc geminum est malum, & res familiaris extenuatur, & ordo, qui dignitatis est custos, confunditur. Si (d) pilentis & lecticis eboratis ac byssо tectis vehuntur plebeiæ: quid relictum est nobilibus ac potentibus? Et si vix equiti nupta caudam trahit ulnarum quindecim, quid faciet ducis aut Comitis uxor. Atque hæc res hoc est intolerabilior, quòd mirâ temeritate subinde mutamus cultum. Pridem*

è por-

è porrectis à vertice cornibus pendebant linteamina. Hoc ornatu fœminæ principes discernebantur à plebeiis: illæ ne quid conveniret, sumserunt pilea foris ostentantia pelles albas nigris maculis variegatas. Statim vulgus arripuit. Rursus mutato cultu sumpserunt (e) flammea nigra byssо. Id fœminarum vulgus non solùm ausum est imitari, verùm etiam addiderunt fimbrias aureas, denique & gemmeas. Olim nobilium erat, à fronte, atque à temporibus revulsis pilis in verticem capillos cogere. Non diu licuit, mox quælibet æmulatæ sunt. Tandem demiserunt crines in frontem: protinùs & hoc imitatæ sunt plebeiæ. Solæ nobiles olim habebant laterones & anteambulones, & ex his unum delicatum, qui surrecturæ manum porrigeret, qui lævam incedentis brachio dextro fulciret. Nec hoc honoris concedebatur, nisi benè nato. Nunc ut passim id faciunt matronæ, ita quoslibet ad hoc officii recipiunt, quemadmodum ad gestandam à tergo caudam. Item, olim solæ nobiles salutabant osculo, nec quemvis ad osculum recipiebant, imò ne dextram quidem porrigebant quibuslibet. Nunc qui corium olent, irruunt ad osculum fœminæ, quæ scutum habet plenæ nobilitatis. Nec in coniugiis quidem habetur ulla dignitatis ratio. Patriciæ nubunt plebeiis, plebeiæ patriciis, ita nascuntur nobis Hybridæ. Nec ulla tam obscuro loco nata est, quæ metuit adhibere (f) fucos omnes nobilium: quum plebeiis sufficere deberet aut flos recentis cerevisiæ, aut succus

cui recens ab arbore detracti corticis, aut si quid aliud parvo parabile, purpurissam, cerussam, stibium, reliquosq; colores elegantiores oportebat claris fœminis relinquere. Jam in conviviis, in publico incessu, quàm nullus ordo? Sæpe fit, ut negotiatoris uxor dedignetur utroq; parente nobili cedere. Res igitur ipsa iam dudum hortatur, ut hisce de rebus aliquid certi statuamus. Atque hæc inter nos facilè poterunt transigi: quoniam non nisi ad fœmineum pertinent genus. Est autem & quod cum viris agamus: qui nos summovent ab omni dignitate, ac tantum non pro lotricibus & cocis habent, ipsi res omnes pro suo gerunt arbitratu. Concedemus igitur illis magistratus publicos, ac bellicæ rei curam. Quis hoc ferat, quòd in clypeo semper uxoris insignia lævum habent latus, etiamsi tribus partibus superet viri nobilitatem? Deinde par est, ut in elocandis liberis etiam mater habeat ius suffragii. Et fortassis hoc quoq; evincemus, ut vicissim geramus officia publica, duntaxat quæ intra mœnia & sine armis geri possunt. Hæc est summa rerum, de quibus mihi videtur operę precium consultare. Super his apud se quæq; deliberet, ut de singulis fiant senatus consulta: & si cui vestrum aliud quippiam in mentem venerit, cras in medium conferat. Conveniemus enim diebus singulis, donec synodum absolverimus. Adhibeantur notariæ quatuor (g) quæ notis excipiant quicquid dicatur. Præterea quæstoriæ duæ: puæ loquendi potestatem vel faciant, vel adimant. Sit hic consessus divinationis loco.

(a) Sena-

(a) *Senatulum*, id est, mulierum senatum, instituit Heliogabalus in colle Quirinali. Vbi à matronis facta S.C. ridicula, Semiamira appellata de legibus matronalibus, quo vestitu incederent: ad cuius osculum venirent, &c. ut author est Lamprid. γυναικοσυνίδειον, id est, conciliabulum mulierculatum. (b) *Lararium* sacrarium domesticum, in quo Lares & dii peculiares adorabantur: quod autem hîc Heliogabalo attribuitur, Lampridius Alexandro Severo adscribit. (c) *Convicium* Iureconsulti dictum putant quasi convocium. (d) *Pilentum* vehiculi genus apud Livium. quo matronæ per urbem vehebantur. (e) *Flammea*, ornamenta capitis, quæ, ut Varroni placet, lintea fuêre, & cuiuslibet fœminæ. (f) *Fucus*, color ascititius, quo fœminæ faciem magis sanè dehonestant, quàm honestant. (g) Olim expeditâ scribendi ratione in iudiciis res vel singulis literarum notis excipiebantur, quales etiamnum aliquot extant in libello, qui Valerii Probi titulo circumfertur.

DILVCVLVM.

Colloq. Helv. p. 210.

*NEPHALIVS, PHILYPNVS.

NEPH. *Hodie te conventum volebam, Philypne, sed negabaris esse domi.* PHIL. *Non omninò mentiti sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram maximè.* NEPH. *Quid istuc ænigmatis est?* PHIL. *Nosti illud vetus proverbium: Non omnibus dormio. Nec te fugit ille Nasicæ iocus, cui cùm Ennium familiarem invisere volenti, ancilla iussu heri negasset esse domi, sensit Nasica & discessit. Cæterum ubi vicissim Ennius Nasicæ domum ingressus, rogaret puerum, num esset intus: Nasica de*

concla-

conclavi clamavit: Non, inquiens, sum domi. (umq; Ennius agnitâ voce, dixisset: Impudens, non te loquentem agnosco? Imò tu, inquit Nasica, impudentior, qui mihi ipsi fidem non habeas, quum ego crediderim ancillæ tuæ. NE. Eras fortasse occupatior. PHI. Imò suaviter otiosus. NE. Rursum ænigmate torques. PH. Dicam igitur explanatè, nec aliud dicam ficum, quàm ficum. NEPH. Dic. PHI. Altum dormiebam. NE. Quid ais? Atqui iam præterierat octava, quum Sol hoc mense surgat ante quartam. PH. Per me quidem soli liberum est, vel mediâ nocte surgere, modò mihi liceat ad satietatem usq; dormire. NE. Verùm istud utrum casu accidit, an consuetudo est? PH. Consuetudo prorsùs. NE. Atqui rei non bonæ consuetudo pessima est. PH. Imò nullus est somnus suavior, quàm post exortum solem. NE. Quâ tandem horâ soles lectum relinquere? PH. Inter quartam & nonam. NE. Satis amplum spacium: vix tot horis comuntur Reginæ. Sed unde venisti in istam consuetudinem? PH. Quia solemnis convivia, lusus, & iocos in multam proferre noctem: id dispendii matutino somno pensamus. NE. Vix unquam vidi hominem te perditiùs prodigum. PH. Mihi parsimonia videtur magis quàm profusio. Interim nec candelas absumo, nec vestes detero. NEPH. Præposterа sanè parsimonia, servare vitrum, ut perdas gemmas. Aliter sapuit ille philosophus, qui rogatus, quid esset pretiosissimum? respondit, Tempus. Porrò, quum constet, diluculum esse totius diei partem optimam, tu, quod

quod in re pretiosissima pretiosissimum est, gaudes perdere. PH. An hoc perit, quod datur corpusculo? NE. Immò detrahitur corpusculo, quod tum suavissimè adsicitur, maximeq; vegetatur, cùm tempestivo moderatoq; somno reficitur, & matutinâ vigiliâ corroboratur. PHIL. Sed dulce est dormire. NEPH. Quid potest esse dulce nihil sentienti? PHIL. Hoc ipsum dulce est, nihil sentire molestiæ. NE. Atqui isto nomine feliciores sunt, qui dormiunt in sepulcris. Nam dormienti nonnunquam insomnia molesta sunt. PHI. Aiunt eo somno maximè saginari corpus. NE. Ista gliriũ sagina est non hominum. Rectè saginantur animalia, quæ parantur epulis: homini quorsùm attinet accersere obesitatem, nisi ut graviore sarcinâ onustus incedat? Dic mihi, si famulum haberes, utrum obesum malles, an vegetum, & ad omnia munia habilem? PH. Atqui non sum famulus. NE. Mihi sat est, quod ministrum officiis aptum malles, quàm benè saginatum. PH. Planè mallem. NE. At Plato dixit animum hominis hominẽ esse, corpus nihil aliud esse, quàm domicilium aut instrumentum. Tu certè fateberis, opinor, animum esse principalem hominis portionem, corpus animi ministrum. PH. Esto, si vis. NE. Quum tibi nolles ministrum, abdomine tardũ, sed agilem malles & alacrem: cur animo parem ministrum ignavum & obesum? PHI. Vincor veris. NE. Jam aliud dispendium accipe: ut animus longè præstat corpori, ita fateris opes animi longè præcellere bona corporis? PH. Probabile dicis. NE.

Sed

Sed inter animi bona, primas tenet sapientia. PH. *Fateor.* NEPH. *Ad hanc parandam nulla diei pars utilior, quàm diluculum: cum sol novus exoriens vigorem & alacritatem adfert rebus omnibus, discutitq; nebulas è ventriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare.* PHIL. *Non repugno.* NEPH. *Nunc mihi supputa, quantum eruditionis tibi parare possis quatuor illis horis, quas somno intempestivo perdis.* PHIL. *Profectò multum.* NEPH. *Expertus sum, in studiis plus effici unâ horâ matutinâ, quàm tribus pomeridianis, idq; nullo corporis detrimento.* PHIL. *Audivi.* NEPH. *Deinde illud reputa: si singulorum dierum iacturam in summam conferas, quantus sit futurus cumulus.* PHIL. *Ingens profectò* NEPH. *Qui gemmas & aurum temerè profundit, prodigus habetur, & tutorem accipit: hæc bona tantò pretiosiora qui perdit, nonne multò turpiùs prodigus est?* PHIL. *Sic apparet, si rem rectâ ratione perpendamus.* NEPH. *Jam illud expende, quod scripsit* (b) *Plato. Nihil esse pulchrius, nihil amabilius sapientiâ, quæ si corporeis oculis cerni posset, incredibiles sui amores excitaret.* PHIL. *Atqui illa cerni non potest.* NEPH. *Fateor corporeis oculis: verùm cernitur oculis animi, quæ pars est hominis potior. Et ubi amor est incredibilis, ibi summa voluptas adsit oportet, quoties animus cùm tali amica congreditur.* PHIL. *Verisimile narras.* NEPH. *I nunc, & somnum,* (c) *mortis imaginem, cum hac voluptate commuta, si videtur.*

tur. PHIL. *Verùm interim pereunt nocturni lusus.* NEPH. *Benè pereunt, quæ peiora melioribus, inhonesta præclaris, vilissima pretiosissimis permutantur. Benè perdit plumbum, qui illud vertit in aurum. Noctem natura somno tribuit: Sol exoriens cùm omne animantium genus, tum præcipuè hominem ad vitæ munia revocat. Qui dormiunt, inquit Paulus, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Proinde quid turpius, quàm cùm omnia animantia cum sole expergiscantur, quædam etiam illum nondum apparentem, sed adventantem cantu salutent, quum elephantus solem orientem adoret, hominem diu post solis exortum stertere? Quoties aureus ille splendor illustrat cubiculum tuum, nónne videtur exprobrare dormienti: Stulte, quid optimam vitæ tuæ partem gaudes perdere? Non in hoc luceo: ut abditi dormiatis, sed ut rebus honestissimis invigiletis. Nemo lucernam accendit, ut dormiat, sed ut aliquid operis agat: & ad hanc lucernam omnium pulcherrimam, nihil aliud quam stertis?* PHIL. *Bellè declamas.* NEPH. *Non bellè, sed verè. Agè, non dubito, quin frequenter audiveris illud Hesiodium. Sera in fundo parsimonia.* PHIL. *Frequentissimè. Nam in dolii medio vinum est optimum.* NEPH. *Atqui in vita prima pars, nimirum adolescentia est optima.* PHIL. *Profectò sic est.* NEPH. *At diluculum est hoc diei, quod adolescentia vitæ. An non igitur stultè faciunt, qui adolescentiam nugis, matutinas horas somno perdunt?* PHIL. *Sic apparet.* NEP.

An est ulla possessio, quæ cum hominis vita sit conferenda? PHIL. *Ne universa quidem* (d) *Persarum Gaza.* NEPH. *An non vehementer odisses hominem qui tibi vitam posset, ac vellet malis artibus ad annos aliquot decurtare?* PHIL. *Illi mallem ipse vitam eripere.* NEPH. *Verùm peiores ac nocentiores arbitror, qui sibi volentes reddunt vitam breviorem.* PHIL. *Fateor, si qui tales reperiantur.* NEPH. *Reperiantur? Imò id faciunt omnes tui similes* PHIL. *Bona verba.* NEPH. *Optima. Sic tuo cum animo reputa: nónne videtur rectissimè dixisse Plinius Vitam esse vigiliam, & hoc pluribus horis hominem vivere, quo maiorem temporis partem impenderit studiis? Somnus enim mors quædam est. Vnde & ab* (e) *inferis venire fingitur, & ab Homero mortis germanus dictus est. Itaque quos somnus occupat, nec inter vivos, nec inter mortuos censentur, sed tamen potius inter mortuos.* PHIL. *Ita videtur omninò.* NEPH. *Nunc mihi rationem subducito, quantam vitæ portionem sibi resecant, qui singulis diebus tres aut quatuor horas perdunt somno.* PHIL. *Video summam immensam.* NEPH. *Nónne pro Deo haberes Alcumistam, qui posset decem annos vitæ summæ adiicere & provectiorem ætatem ad adolescentiæ vigorem revocare?* PHIL. *Quid ni habeam?* NE. *Sed hoc tam divinum beneficium ipse tibi præstare potes.* PHI. *Qui sic?* NE *Quia manè diei est adolescentia, usque ad meridiem fervet iuventus, mox virilis ætas, cui succedit pro senecta vespera,*

vespe-

vesperam excipit occasus, velut diei mors. Magnum autem vectigal parsimonia est, sed nusquam maius, quàm hîc. An non igitur ingens lucrum sibi adiunxit, qui magnam vitæ partem, eamq; optimam perdere desiit? PHI. Vera prædicas. NE. Proinde videtur admodùm impudens eorum querimonia, qui naturam accusant, quòd hominis vitam tam angustis spaciis finierit, quum ipsi ex eo quod datum est, sibi sponte tantum amputent. Satis longa est cuiq; vita, si parcè dispensetur: nec mediocris profectus est, si quis suo quæq; tempore gerat. A prandio vix semihomines sumus, cùm corpus cibis onustum aggravat mentem: nec tutum est spiritus ab officina stomachi concoctionis officium peragentes, ad superiora evocare: à cœna multò minus. At matutinis horis, homo totus est homo, dum habile est ad omne ministerium corpus, dum alacer viget animus, dum omnia mentis organa tranquilla sunt ac serena: dum auræ divinæ, ut ait ille, particula spirat, ac sapit originem suam, & rapitur ad honesta. PHIL. Eleganter tu quidem concionaris. NEPH. Apud Homerum audit Agamemnon, opinor, (f) ὁ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα: Quantò turpius est, tantam diei partem somno perdere? PHIL. Verum, sed βουληφόρῳ. Ego non sum dux exercitus. NEPH. Si quid aliud tibi charius est, quàm ipse tibi, ne quid te moveat Homeri sententia. Faber ærarius ob vile lucellum surgit ante lucem: & nos amor sapientiæ non potest expergefacere, ut saltem solem ad lucrum inæstimabile evo-

cantem audiamus? Medici non ferè dant pharmacum, nisi diluculo. Illi norunt horas aureas, ut subveniant corpori: nos eas non novimus: ut locupletemus, ac sanemus animum? Quòd si hæc leve pondus habent apud te, audi quid apud Salomonem loquatur illa cœlestis sapientia: Qui manè, inquit, vigilaverint ad me, invenient me. Iam in mysticis Psalmis, quanta matutini temporis commendatio! Manè Propheta extollit Domini misericordiam, manè exauditur vox eius, manè illius deprecatio prævenit Dominum. Et apud Lucam Evangelistam, populus sanitatem ac doctrinam expetens à Domino, manè ad illum confluit. Quid suspiras Philypne? PHIL. Vix lacrimas teneo, cùm subit, quantam vitæ iacturam fecerim. NEPH. Supervacaneum est ob ea discrutiari, quæ non revocari, sed tamen posterioribus curis sarciri possunt. Huc igitur incumbe potiùs, quàm ut præteritorum inani deploratione, futuri quoque temporis iacturam facias. PHIL. Benè mones: sed me iam sui iuris fecit diutina consuetudo. NEPH. Phy, clavus clavo pellitur, consuetudo consuetudine vincitur. PHIL. At durum est ea relinquere, quibus diu adsueveris. NEPH. Initio quidem: sed eam molestiam diversa consuetudo primùm lenit, mox vertit in summam voluptatem, ut te brevis molestiæ non oporteat pœnitere. PHIL. Vereor, ut succedat. NEPH. Si septuagenarius esses, non retraherem te à solitis: nunc vix decimum septimum, opinor, annum egressus es. Quid autem est, quòd ista

ætas

atas non possit vincere, si modò adsit promptus animus? PHIL. *Equidem aggrediar, conaborq́, ut ex Philypno fiam* (g) *Philologus.* NE. *Id si feceris, mi Philypne, sat scio post paucos dies & tibi serò gratulaberis, & mihi gratias ages, qui monuerim.*

* *Nephalius* sobrius & vigilans. *Philypnus* somniculosus somni cupidus. (a) Varro rationem tradit saginandi glires in re rustica. (b) Imitatus est locum Ciceronis ex Platone lib. 1. Officior. in princip. (c) Alludit ad carmen Ovidii. *Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago.* (d) Persarum divitiæ & luxus multorum literis celebratus est. (e) Certè Poëtæ fingunt regiam somni apud inferos esse, ut Ovid. Metamorph. lib. 2. (f) id est, *haud decet in totam consultum stertere noctem.* (g) *Philologus*, id est, studiosus, bonarum artium cupidus.

*ΝΗΦΑΛΙΟΝ ΣΥΜΠΟΣΙΟΝ.

Coll. Helv. p. 459.

ALBERTVS, BARTHOLINVS, CAROLVS, DIONYSIVS, ÆMILIVS, FRANCISCVS, GYRARDVS, HIERONYMVS, IACOBVS, LAVRENTIVS.

AL. *Vidistine unquam hoc horto quicquam amœnius?* BAR. *Vix opinor in insulis fortunatis esse quicquam iucundius.* CAR. *Planè mihi videor videre Paradisum, cui custodem cultoremq́, Deus præfecerat Adam.* DIONY. *Hic vel Nestor vel Priamus posset repubescere.* FR. *Imò vel mortuus reviviscere.* GY. *Adderem lubens, si quid possem, tuæ hyperbolæ.* HIE. *Profectò miris modis arridենt omnia.* IAC. *Oportet hunc hortum aliquâ*

compotatiunculâ dedicare. LAV. Rectè monet noster Iacobus. AL. Talibus mysteriis iam olim initiatus est hic locus. Verùm scito nihil hîc esse, unde vobis merendam exhibeam, nisi placet ἄοινον compotatio: lactucas adponam absq; sale, aceto & oleo: vini guttula non est, nisi quod gignit hic puteus. Ne panis quidem adest, aut poculum, & ea est anni pars, quæ magis pascit oculos, quàm ventrem. BA. Sed habes tabulas lusorias, habes sphæras, lusu dicabimus hortum, si minus licet convivio. ALB. Quoniam tam belli humunculi convenimus, habeo quiddam, quod vel lusum, vel convivium possis dicere, meâ sententiâ multò dignius ad hunc hortum initiandum. CAR. Quodnam? AL. Suum quisque symbolum conferat: non deerit lautum, nec minus suave convivium. ÆM. Quid adferemus, qui vacui huc venerimus? AL. Vacui, qui tantum opum circumferatis in pectore? FRAN. Expectamus quid velis. AL. Proferat in medium quod quisque per hanc hebdomadam legit elegantissimum. GY. Rectè mones: nihil vel huiusmodi conviviis, vel te convivatore, vel hoc loco dignius. Te huius consilii ducem sequemur omnes. AL. Nihil recuso, si vobis ita videtur. Hodie vehementer delectavit animum meum in homine non Christiano, tam Christiana sententia. Phocion enim, quo vix alius apud Athenienses fuit vir sanctior, publicæq; utilitatis studiosior, cùm per invidiam damnatus, esset bibiturus (a) cicutam, rogatus ab amicis, quid vellet etiamnum mandari filiis suis: Ne huius, inquit, iniu-

iniuriæ velint unquam meminisse. BA. Tam insignis patientiæ exemplum vix hodie reperias inter Dominicanos & Franciscanos. Itaq; simile referam, quando par non possum. Aristides Phocioni similimus erat, moribus incorruptissimus, adeò ut vulgus illi Iusti tribueret cognomen. Ob huius cognominis invidiam, vir optimè de republica meritus, (b) ostracismo populi, iussus est vertere solum. Posteaquã intellexerat, populum non aliâ re offensum, quàm Iusti cognomento, quum alioqui rem semper expertus esset sibi salutarem, paruit æquo animo. In exilio rogatus ab amicis, quid precaretur ingratissimæ civitati: Nihil aliud, inquit, nisi tantam rerum prosperitatem, ut illis nunquam in mentem veniat Aristides. CAR. Mirum si Christianos non pudet sui, ad quamvis levem iniuriam excandescentes ac vindictam per fas nefasq; molientes. Tota Socratis vita nihil aliud mihi videtur, quàm tolerantiæ ac temperantiæ exemplum. Sed ne planè sim (c) asymbolos, unum referam, quod mihi præ cæteris arrisit. Eunti publicâ viâ, improbus quispiam colaphum impegit. Cùm id tacitus ferret Socrates, amici quidam hortati sunt ad ultionem. At ille: Quid percussori faciam, inquit? Voca, inquiunt, in ius. Ridiculum, inquit, si me asinus calcibus percussisset, num vobis authoribus, asinum in ius traham? significans, improbum scurram nihilo potiorem asino, & infimi animi esse, non posse ferre contumeliam ab homine vecordi, quam ferret ab animali bruto. DION. Pauciora sunt in Romanis annali-

bus exempla moderationis, nec ea perinde insignia. Neque enim opinor magnam habere laudem tolerantiæ, si quis parcat devictis, & debellet superbos. Non arbitror tamen indignum memoratu, quòd Cato senior, cum Lentulus quidam in os illi sputum & oris purulentiam iniecisset, nihil aliud respondit, quàm, Posthac habeo quod illis respondeam, qui negant tibi esse os. Os autem habere Latinis negantur, quos nihil pudet. Itaque iocus est ex ambiguo. Α Ε. Aliis arrident alia; mihi inter Diogenis dicta præclara quidem omnia, nihil magis adblanditur, quàm quòd roganti cuidam, quo pacto maximè posset ulcisci inimicum: Si teipsum, inquit, quàm maximè probum & honestum virum præstiteris. Demiror quis Deus illis tales cogitationes miserit in mentem. Videtur autem & Aristotelis dictum valdè consentaneum Paulino dogmati, qui rogatus à quodam, quid fructus sua illi Philosophia attulisset: Vt meâ, inquit, sponte ea faciam, quæ plerique legum metu coacti faciunt. Docet enim Paulus, eos, quos adflavit Christiana Charitas, non esse legi obnoxios, eò quòd plus præstant suapte sponte, quàm lex metu pœnæ possit extorquere. FRAN. Christus Iudæis obmurmurantibus, quòd cum publicanis & peccatoribus haberet etiam mensæ familiaritatem, respondit, non esse opus medico iis, qui rectè valerent, sed qui minus prosperâ essent valetudine. Non abhorret hinc, quod apud Plutarchum dixit Phocion, qui cùm reprehenderetur, quòd homini illaudato improbóq; patrocinatus esset in iudicio:

iudicio: non minus festiviter, quàm clementer: Quid ni, inquit, quando nemo probus indiget tali patrocinio? GY. Et istud Christianæ bonitatis exemplum est, ad exemplum æterni patris, & probis & improbis, quantum licet, benefacere, qui solem suum oriri iubet, non solùm piis, sed etiam impiis. verùm admirabilius forsitan erit in rege moderationis exemplum. Cùm Democharis Demosthenis nepos, Athenienſium nomine legatione fungeretur apud Philippum Macedonum regem, & impetratis, quæ volebat, à rege dimitteretur, humaniter interrogante, si quid præterea vellet: Vt teipsum suspendas, inquit Democharis. Vox impotens odium arguebat; & rex erat, & benè meritus, in quem iaciebatur convitium, nec tamen incanduit: tantum ad collegas conversus: Vos, inquit, hæc renunciate populo Athenienſi, quò re cognitâ iudicet, utrum nostrum existimet præstantiorem, me, qui hæc patienter audierim, an istum, qui hæc dixit. Vbi nunc sunt orbis monarchæ, qui se diis pares putant, & ob verbum inter pocula dictum, atrocia bella concitant? HIL. Magnos impetus habet gloriæ sitis, multosq; transversos agit hic adfectus. Ex eorum numero quidam Socratem interrogabat, quâ viâ posset sibi compendio honestissimam comparare famam: Si talem, inquit, præstiteris teipsum, qualis haberi vis. IA. Profectò non video quid dici possit, vel brevius vel absolutius. Fama non est adfectanda, sed ea virtutem ultrò comitatur, quemadmodum improbitatem infamia. Vos admiramini viros, mihi puella

Lacæna placuit: quæ cum in auctione venderetur, licitator quidam adiit illam: Quid, inquiens, num proba futura es, si te mercatus fuero? Etiam, inquit illa, si tu non fueris mercatus. Indicans sese non in cuiusquam gratiam probitatem servare, sed suopte ingenio virtutem ipsius gratiâ sectari, quòd virtus ipsa sui pretium est. LAV. *Masculam sanè vocem edidit puella. Cæterùm insigne mihi videtur exemplum adversus fortunam, quamlibet blandientem, constantiæ: quòd cùm Philippo Macedonum regi tres eximiæ felicitates eodem die nunciarentur, quòd in Olympiis vicisset, quòd dux exercitus Parmenion prælio superasset Dardanos, quod uxor Olympias ipsi filium esset enixa: sublatis in cælum manibus precatus est, ut Deus tantam prosperitatem pateretur levi quopiam infortunio expiari.* AL. *Hodie nulla est tanta prosperitas, cuius invidiam metuat quispiam: sed perinde iactant, si quid successerit, quasi vel mortua vel surda esset Nemesis. Hæc merenda si vobis placet, hic hortulus eam vobis, quoties volueritis exhibebit: quem hoc colloquio non minus iucundo, quàm frugifero dicastis.* BARTHOL. *Profectò nec Apitius potuisset discum suaviorem apponere. Quare nos expectabis frequenter, modò boni consulas, quod nunc attulimus, non quæ digna erant tuis auribus, sed quæ non præmeditatis venerunt in mentem. Meditati lautiora proferemus.* AL. *Hoc eritis gratiores.*

*Id est, sobrium sive abstemium convivium. (a) Cicuta

publica Athenienſium pœna. (b) *Oſtraciſmus*, ſuffragiorum quoddam genus, quod per calculos ac fabas ferebatur, in hoc repertum, ut per id cives, qui vel opibus immodicis, vel nobilitate, vel gloriâ, vel alia quavis inſigni virtute multitudinis invidiam in ſe provocaſſent, in exilium decenne relegarentur. (c) *Aſymbolos* qui nihil confert.

*ARS NOTORIA.

DESIDERIVS, ERASMVS.

DESI. *Quomodo ſuccedunt tua ſtudia Eraſme?* ERAS. *Muſis, ut apparet, parum faventibus: ſed feliciùs ſuccederent, ſi quiddam abs te queam impetrare.* DESI. *Nihil non impetrabis, modò ſit in rem tuam. Dic tantum quid rei ſit.* ERAS. *Non dubito, quin nihil ſit artium reconditarum, quod te fugiat.* DESI. *Vtinam vera prædices.* ERAS. *Audio artem eſſe quandam notoriam, quæ hoc præſtet, ut homo minimo negotio perdiſcat omnes diſciplinas liberales.* DESI. *Quid audio? vidiſti codicem?* ERAS. *Vidi: ſed vidi tantùm, quòd non eſſet doctoris copia.* DESI. *Quid continebat liber?* ERAS. *Varias animantium formas, draconum, leonum, leopardorum, variosq; circulos, & in his deſcriptas voces, partim Græcas partim Latinas, partim Hebraicas, aliasq; barbaricarum linguarum.* DESI. *Intra quot dies pollicebatur titulus diſciplinarum cognitionem?* ERAS. *Intra quatuordecim.* DESI. *Magnifica ſanè pollicitatio. Sed noſtine quenquam per iſtam artem notoriam evaſiſſe doctum?* ERAS. *Nequaquam.* DESI. *Neque*

quisquam

quisquam alius vidit unquam, aut visurus est, nisi posteaquam viderimus aliquem per Alcumisticam evasisse divitem. ERAS. *Equidem optarim artem esse veram.* DESI. *Fortasse quòd pigeat literas tantis sudoribus emere.* ERAS. *Scilicet.* DESI. *Atqui sic visum est superis. Opes istas vulgares, aurum, gemmas, argentum, palatia, regnum, nonnunquam largiuntur ignavis & immerentibus: sed quæ veræ sunt opes, ac propriè nostræ sunt, voluerunt parari laboribus. Nec oportet nobis videri molestum laborem, quo res tanta paratur, quum cernamus plurimos homines per horrenda discrimina, per non æstimandos sudores, eluctari ad res & temporarias & planè viles, si ad eruditionem conferantur, nec tamen semper assequuntur, quod ambiunt. Et habent studiorum labores multum admixtum mellis, si paululum in iis processeris. Jam in te bona ex parte situm est, ut magnam tædiorum partem amputes.* ERAS. *Quónam pacto?* DESI. *Primùm, ut animum inducas amare studia. Deinde, ut ea mireris.* ERAS. *Quibus rationibus hoc fiet?* DESI. *Contemplare quàm multos ditarit, quàm multos ad summam dignitatem authoritatemq; provexerint literæ: simulq; tecum considera, quantum intersit inter hominem & pecudem.* ERAS. *Probè mones.* DESI. *Deinde ciebures ingenium tuum oportet, ut possit secum consistere: atque his delectari, quæ utilitatem adferunt potiùs quàm voluptatem. Nam quæ per se sunt honesta, etiamsi initio nonnihil habent molestiæ, tamen*

men adsuetudine dulcescunt: ita fiet, & ut minùs fatiges præceptorem, & ipse facilius percipias, iuxta dictum Isocraticum, aureis literis in frontispicio codicis tui pingendum, (a) Ἐὰν ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθὴς. ERAS. *Satis adest celeritatis in percipiendo, sed mox effluit quod perceptum est.* DESI. *Itaque pertusum mihi narras dolium.* ERASM. *Haud multùm aberras à scopo. Sed quid remedii?* DESI. *Obturanda est rima, ne perfluat* ERAS. *Quibus rebus?* DESI. *Non musco, neque gypso, sed diligentiâ. Qui voces ediscit, non intellectâ sententiâ, mox obliviscitur. Nam verba, ut inquit Homerus,* (b) πτερόεντα *sunt, facileq; avolant, nisi sententiarum pondere librentur. Prima igitur cura sit, ut rem penitùs intelligas: dein subinde tecum verses ac repetas: & in hoc cicurandus est, ut dictum est, animus: ut, quoties opus est, cogitationi possit insistere. Nam si cui mens est adeò silvestris, ut in hoc cicurari non possit: haudquaquam est idonea literis.* ERAS. *Istuc quàm sit difficile, plus satis intelligo.* DESI. *Quisquis enim habet animum adeò volubilem, ut nulli cogitationi possit immorari: nec diu potest audire loquentem, nec infigere memoriæ, quod didicit. Plumbo potest aliquid imprimi, quod maneat in loco: aquæ aut argento vivo, quoniam assiduè fluitat, nihil potest imprimi. Quod si possis in hoc ingenium tuum mansuefacere, quum assiduè versaris inter eruditos, quorum confabulationes quotidie tam multa proferunt digna cognitu: minimo labore disces quàm plurima.* ERAS.

Profectò

Profectò sic est. DE. *Nam præter sermones convivio rum, præter quotidiana colloquia: statim à prandio audiesepidissima dicta, ex probatissimis authoribus selecta, totidem à cœna. Iam mihi supputa, quantam hæc summam conficiant, in singulos menses & annos.* ERAS. *Magnificam, si possim meminisse.* DESI. *Ad hæc, quum nihil audias, nisi benè Latinè loquentes, quid obstat, quò minus intra paucos menses ediscas Latinè, cùm illiterati pueri Gallicam aut Hispanicam linguam discant exiguo temporis spatio?* ERASM. *Sequar tuum consilium, experiarq; num possit hoc ingenium Musarum iugo mansuescere.* DESI. *Ego aliam artem notoriam non novi, quàm curam, amorem, & assiduitatem.*

* *Ars notoria* quâ rem aliquam cognoscimus: sic, opinor, vocat artem memorativam. (*a*) Id est, si fueris discendi cupidus, multa addisces. (*b*) Id est, alata. Huc alludit noster Poëta. *Et volat emissum semel irrevocabile verbum.*

CONCIO SIVE MEdardus.

HILARIVS ET LEVINVS.

HIL. *Deum immortalem, cuiusmodi portenta gignit alitq; terra! Vsque adeò nihil pudere viros Seraphicos? Existimant opinor, sese apud fungos, non apud homines loqui.* LE. *Quid secum murmurat Hilarius? Componit, opinor, versiculos.* HIL. *Quàm lubens illi blateroni os impurum obturassem oleto!* LE. *Compellabo hominem. Quid*

ais

ais Hilari, parum hilaris? HIL. Optimè temet offers Levine, in quem hanc pectoris ægritudinem evomam. LE. In pelvim evomas malim quàm in me. Sed quid est mali & unde nobis prodis? HIL. E concione sacra. LE. Quid homini poetæ cum sacris concionibus? HIL. A sacris non abhorreo: sed in hanc incidi ità sacram, ut Virgilius auri fa- Æneid. III. v. 56. 57.
mem appellavit sacram: ac tales rabulæ sunt in causâ, ut rarius audiam ecclesiastas. LE. Ubi habita est concio? HI. In summo templo. LEV. A prandio? Id temporis ferè dormitant homines. HI. Vtinam illi locutuleio dormissent omnes, vix digno, qui concionetur apud anseres. LE. Obstreperum est animal anser. Ferunt tamen patriarcham Franciscum aliquando concionatum apud sorores aviculas, à quibus magno silentio sit auditus. Sed age, etiámne sabbato fit concio? HIL. Fit in honorem divæ virginis matris. Nam die dominico Christus prædicatur. Decet autem, ut priores teneat mater. LE. Quod erat thema. HIL. Enarrabat canticum Virginis. LE. Argumentum vulgatissimum. HIL. Nimirum aptissimum ecclesiastæ. Nam suspicor illum hoc unum thema didicisse: quemadmodum aiunt inveniri sacerdotes, qui nullam (à liturgiam callent, nisi pro defunctis unicam. LE. Dicitur igitur ille concionator de Magnificat aut, si mavis, Magnificativus. Sed cuiusmodi tandem avis erat, aut quibus ornata plumis. HI. Vulturi non dissimilis. LE. Qua tandem ex corte? HIL. Franciscana. LE. Quid audio? ex tam sancto

ēlo sodalitio? Fortassis ex illorum ~~ao~~ genere, qui dicuntur Gaudentes, colore fusco, calceis integris, cingulo candente, nec horrent (contremisco referens) nudis digitis contrectare pecuniam. HIL. Imò è grege selectissimorum istorum, qui gaudent Observantes nominari, colore cinericio, cingulis canabeis, calceis fenestratis, quique citiùs occiderent hominem, quàm nuda cute pecuniam attingerent. LE. Nil mirum est in rosariis nasci (b) cynorrodum. Sed quis talem histrionem induxit in hoc proscenium. HI. Istuc magis etiam diceres, si vidisses personam Tragicam. Corpore erat vasto, buccis rubentibus, ventre prominente, lateribus gladiatoriis, dixisses athletam esse, & quantum ego divinare queo, biberat in prandio plus, quàm unum vini sextarium. LE. Vnde tanta vini copia non tractanti pecuniam. HI. Ex aula regis Ferdinandi, singulo quoque die dabantur illi sextarii quatuor. LE. O malè collocatam benignitatem. Fortassis erat doctus. HI. Præter effrontem improprietatem & linguam effrenem nihil habebat. LE. Quæ res igitur sic imposuit Ferdinando, ut (c) bovem adduceret ad ceroma? HI. Vt numero dicam, pietas & regia bonitas. Commendatus erat, ille demittebat caput in dextrum humerum. LE. Sic Christus pendet in cruce. Sed erat concio frequens? HI. Qui potuit esse infrequens Augustæ, in templo celeberrimo, & in tot monarcharum conventu, quos Carolus Cæsar ex universa Germania, ex Italia, ex Hispaniis, & Anglia, eò contraxerat? Quin & eruditi complures

plures aderant in ipsa concione, præsertim ex aulæ regum. LE. Demiror, si porcus ille quicquam adferre potuit dignum tali auditorio. HI. At multa sè digna protulit. LE. Quæ tandem obsecro? Sed prius te quæso, ut mihi nomen hominis edas. HI. Non expedit. LE. Quamobrem Hilari? HI. Non libet talibus gratum facere. LE. Au gratificatur qui traducit? HI. Illis pro summo beneficio est, quocunque modo innotescere. LE. Saltem mihi nomen edito tacituro. HI. Medardum vocant. LE. Medardum illum probè novi. Nimirum is ipse est, qui nuper in convivio Erasmum nostrum appellavit diabolum. HI. Rem tenes. Sed quod in convivio dixit, tametsi non omnibus dixit impune, qui civiliores erant, imputabant temulentiæ, & vino censebant inscribendum. LE. Sed quid excusationis attulit obiurgatus? HIL. Negavit, se dixisse ex animo. LEVI. Quî potuit ex animo, cui nihil erat mentis aut animi? HIL. Sed mihi ac doctis omnibus visum est intolerabile, quòd publicitùs, quòd in eo loco, quòd apud tales auditores, denique quòd in tam celebri monarcharum conventu, Medardus suas merdosas purulentias effuderit. LE. Aveo scire quid dixerit. HI. Multa stolidissimè debacchatus est in Erasmum nostrum, quorum hæc erat summa: His, inquit, temporibus extitit quidam novus doctor Erasmus: lapsa est lingua, asinus volebam dicere: simulq; populo interpretatus est, quid Germanicè sonaret asinus. LE. Rem mirè facetam narras. HIL. Itáne facetam?

tam? Imò fatuam potiùs. LE. An non tibi facetum videtur, talem asinum, quenquam omnino vocare asinum, nedum Erasmum? Vnum illud scio, si Erasmus ipse præsens fuisset, non potuisset à risu temperare. HI. Profectò non minùs refert asinum animi stupore, quàm colore vestis. LE. Nego, arbitror in tota Arcadia esse ullum asinum usque adeò asinum, quin hic dignior sit, qui (d) fœno pascatur, quàm ille. HIL. Prorsus inversus est Apuleius. Ille sub asinina specie tegebat hominem, hic sub hominis specie tegit asinum. LE. At tales asinos hodie mulso & placentis saginamus, ut mirum non sit si mordeant quemlibet & calcibus feriant. HI. Is, inquit, doctor asinus audet corrigere Magnificat, quum id canticum sit à Spiritu sancto proditum, per os sacratissimæ virginis. LE. Agnosco (e) παροησιαν ἀδελφικὴν. HI. Atqui id verbis exaggerabat, quasi summa esset admissa blasphemia. LE. Mihi nunc cor metu palpitat. Quid erat criminis? HI. Aiebat Erasmum peccare quod Ecclesia Luc. 1. 48 canit: Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, vertisse. Quia respexit vilitatem ancillæ suæ: eaq; vox odiosius sonat Germanicè, quàm Latinè. LE. Quis autem non fateatur esse blasphemiam execrabilem, si quis sacratissimam Christi matrem etiam angelicâ dignitate celsiorem, appellet vilem ancillam? HIL. Agè quid si quis appellet Apostolos servos inutiles? LE. Pararem blasphemo fasciculos. HIL. Quid si quis eximium illum Paulum appellet indignum apostoli nomine? LE. Clamarem:

marem: *Ad ignem.* HIL. *Atqui sic apostolos suos loqui docuit ille doctor unus irrefutabilis Christus:* Cùm omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus. *Et huius præcepti non immemor Paulus de se prædicat:* Minimus sum omnium apostolorum, atq; adeò indignus apostoli titulo. LE. *Verùm ubi de se talia prædicant homines pii, modestia virtus est, qua nulla Deo gratior: si quis alius idem prædicet de illis, præsertim in Divorum consortium relatis, gravis sit blasphemia.* HIL. *Pulchrè nodum secuisti. Proinde si Erasmus venerandam illam Virginem dixisset vilem ancillam Domini, nemo non fateretur esse dictum impiè Cæterùm quoniam ipsa ad istum modum de se loquitur, & in illius cedit gloriam, & nobis salutare modestiæ exemplum exhibetur: ut quoniam quicquid sumus, munificentiâ Dei sumus, quo quisque maior est, hoc se gerat submissius.* LE. *Hactenus quidem inter nos convenit. Verùm isti cùm corrigere dicunt, sentiunt corrumpere, sive falsare. Illud itaque videndum an vilitatis verbum Græcæ voci, quam Lucas posuit, respondeat.* HIL. *Istam ipsam ob causam à concione mox ad codicem cucurrimus.* LEVI. *Expecto venatum.* HILA. *Verba quæ Lucas adflatu spiritus sanctissimi digitis suis exaravit, sic habent:* ὅτι ἐπέβλεψεν ὅτι τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. *Ea sic reddidit noster Erasmus:* Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ. *Tantùm addidit præpositionem, quam Lucas non omisit, nec eam respuit Romani sermonis elegantia, nec*

ad sensum est otiosa. Sic enim loquitur Terentius in Phormione: Respice ad me. *In annotationibus tamen admonet, Lucam potius dixisse: Aspice ad me, quàm Respice ad me.* LE. *Interest igitur aliquid inter respicere & adspicere?* HIL. *Non ita multum: sed tamen nonnihil. Respicit qui flexo collo adspicit quæ à tergo sunt: adspicit, qui simpliciter intuetur, velut apud Terentium Phædria adspicit Thaidem domo prodeuntem: Totus, inquiens, Parmeno tremo horreóque, postquam adspexi hanc. At huius frater Chærea sic loquitur: Cùm huc respicio ad virginem. Nam ad senem sese flexerat: eo absoluto, reflexit corpus ad virginem. Interdum tamen usurpant Respicere, pro eo, quod est rationem seu curam habere, sive rei cuiuspiam imminentis, sive præsentis. Ita Satyricus:* Respicere extremæ iussit spatia ultima vitæ. *Mors enim velut à tergo imminens sequitur, ad quam reflectimus oculos, quoties eam animo reputamus. Et Terentius: Respice senectutem tuam. Proinde, qui alibi intentus non habet curam liberorum, dicitur illos non respicere. Rursus, qui discussis aliis curis, cogitationem huc vertit, eleganter respicere dicitur. At Deus unico intuitu contuetur universa, præsentia, præterita, & futura: & tamen in scripturis nobiscum humano more loquitur. Aversari dicitur eos, quos reprobat: respicere, quos aliquamdiu veluti neglectos dignatur suo favore. Verùm hoc magis expressisset Lucas, si dixisset* ἀπέβλεψεν, *nunc legimus* ἐπέβλεψεν. *Sed utrum legas, minimum*

nimum refert ad sensum. LE. At videtur otiosa præpositio repetita. HIL. Certè sic & Latini loquuntur: Accessit ad me: Appulit animum ad scribendum. Hic mihi præpositio non videtur otiosa. Nam respicere potest, qui in tergum flectit oculos casu quopiam, in nullam rem certam intendens intuitum: at cùm audis: Respexit ad me, exprimitur peculiaris favor volentis huic aut illi succurrere. Item adspicimus interdum casu obvia, quorum nobis nulla cura est, imò quæ videre nolimus: at quisquis ad aliquem adspicit, peculiariter attentus est ad id, quod intuetur. Ad hæc, multa simul adspicimus, sed non ad multa. Spiritus itaq; sanctus volens nobis exprimere singularem erga sanctissimam virgunculam favorem: sic per illius os loquutus est: Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ. Avertit oculos ab elatis, suoq; iudicio magnis, & obtutum suum flexit ad eam, quæ in oculis suis erat infima. Nec enim dubium est, quin multi fuerint docti, potentes, divites, nobiles, qui sperabant, Messiam ex ipsorum stirpe proditurum: sed illos adspernatus Deus, clementissimi favoris oculos flexit ad virginem, famâ obscuram, opibus tenuem, fabro nuptam, ne sobole quidem ullâ divitem. LE. Nondum audio quicquam de vilitate. HIL. Ea vox sycophantæ fuit, non Erasmi. LE. At in annotatione forsitan meminit vilitatis. HIL. Nequaquam. In vocem ταπείνωσιν, tantum hoc modestissimè notat: Vt intelligas, inquit, parvitatem, non animi virtutem, sitq; sensus: Etsi sim infima an-

cilla, tamen non est aversatus me Dominus. Le. Hæc si vera sunt, ac pietatis plena, quid est, quòd obrudant onagri? Hi. Latinæ vocis ignorantia parit hos tumultus. Humilitas apud veteres, emendatiùs loquentes, non declarat virtutem animi, quæ pugnat cum arrogantia, dicturq; modestia, sed conditionis abiectiorem sortem: quo sensu ignobiles, tenues, idiotas & contemptos, humiles dicimus, quasi humi repentes. Quemadmodùm igitur magnatibus loquentes dicimus: Rogo ut tua celsitudo nobis in hac re faveat: ita qui de se loquentes sua volunt elevare, dicere solent: Quæso ut humilitatem nostram tua humanitate subleves. Nam pronominum primogeniorum emphasis interdum habet nescio quid arrogans. Quod genus est illud: Ego dico, Ego perficiam. Bifariam itaq; puella modestissima simul & suam sortem extenuavit, & numinis in se munificentiam extulit, non contenta seipsam ancillam dicere: sed addidit: Humilem ancillam, & infimæ sortis. Quemadmodum, iuxta proverbium, servus pro servo est, ita & inter ancillas alia est alia præstantior, nimirum pro dignitate functionis, Honestior enim comtrix, quàm lotrix. Levin. At miror Medardum non agnovisse sermonis formam, quum ipse frequenter audierim Franciscanos ita loquentes: Mea parvitas agit tibi gratias pro lauta refectione. Hil. Quidam non multum aberrarint, si dicerent: Mea pravitas. Cæterùm, quoniam Græca vox ταπεινοφροσύνη, quiddam amplius exprimere videtur, quam

quam Latina, modestia Christiani maluerunt humilitatem dicere quàm modestiam: hoc est, maluerunt significantiùs loqui, quàm elegantiùs. Modestus enim is dicitur, qui modicè de se sentit, nihil sibi præter meritum arrogans. At ταπεινοφροσύνης laus non competit, nisi in eum, qui minus sibi arrogat, quàm habet. LEV. At periculum est, ne dum modestiam amplectimur, incidamus in vanitatem. HIL. Qui sic? LEV. Nam si verùm dixit Paulus, non sum dignus vocari Apostolus: & si verè se dixit Maria ancillam humilem, hoc est, infimæ sortis: periclitantur de mendacio, qui utrunque tam magnificis efferunt laudibus. HI. Nihil hîc, ô bone, periculi. Cùm nos laudibus vehimus pios aut pias, prædicamus in illis Dei beneficentiam: cùm ipsi semet abiiciunt, respiciunt vires ac merita sua, si desit favor numinis. Nec statim mendacium est, si quis sibi non vindicat quæ habet: si loquitur ex animo, fortassis error dici potest, mendacium dici non potest. At hunc errorem in nobis amat Deus. LEV. At Paulus, qui se negat esse dignum Apostoli titulo, alibi magnificè de se prædicat, commemorans sua facinora: Plus, inquit, omnibus laboravi, & qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt: quum sanctissima Virgo tale nihil dixisse legatur. HIL. Sed illa facinora Paulus appellat suas infirmitates, quibus illustrata est Dei potentia, eamq; commemorationem vocat insipientiam, ad quam sit adactus pseudoapostolorum improbitate, ob quos fuit illi necesse

sibi vindicare authoritatem apostolicam: non quòd ipse delectaretur humana gloria: sed quòd expediret Evangelio, cuius dispensatio fuerat illi credita. In virgine matre non fuit eadem ratio: non enim illi commissum erat munus prædicandi Evangelii. Tum & sexum & virginem, denig; Iesu matrem, decebat summus pudor, summag; modestia. Nunc venio ad huius erroris fontem. Qui Latinè nesciunt, putant humilitatem nihil aliud declarare, quàm insignem modestiam, quum interdum referatur ad locum aut conditionem, non ad animi virtutem: interdum sic referatur ad animum, ut vitium sonet. LE. Etiam ne in sacris literis? HIL. Maximè. En tibi locum apud Paulum ad Coloss. cap. 2. Nemo vos seducat volens in humilitate & religione angelorum. Nec hic est ἐν ταπεινώσει quæ vox est in cantico virginis, sed ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Locus habet nonnihil obscuritatis, fateor, sed mihi videtur germanus sensus, quem accuratiùs docti adferunt: Ne sitis tam humili, tamq; abiecto animo, ut, cùm semel dedicaveritis vos ipsos Christo, salutis unico authori, patiamini vobis persuaderi, ab angelis sperandam esse salutem, quos quidam sibi dicunt apparuisse. Sitis forti excelso animo, ut etiamsi verè angelus quispiam è cœlo veniens prædicet vobis aliud Evangelium, quàm quod Christus tradidit, sit vobis execrabilis, velut angelus impius, & Christi adversarius. Multò minus convenit vosesse tam demissis animis, ut istorum fictis apparitionibus patiamini vos abduci à Christo. Ab uno

Christo

Christo sperare salutem, religio est: ab angelis aut Divis, idem expectare, superstitio est. Paulus igitur vult, humilis abiectique animi esse, ab illo sublimi Christo ad commenticias angelorum apparitiones desciscere: demissi ingenii est, quorumlibet suasu circumagi. Vides hîc ταπεινοφροσύνην in vitium usurpatam esse. LE. *Quidni videam?* HIL. *Rursum in eodem cap. Secundum præcepta & doctrinas hominum quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate. Hîc iterum ταπεινοφροσύνη Vitium sonat.* LE. *Palam est. Atqui* 1. *Petr.* 5. *usurpatur pro virtute, quæ contraria est superbiæ, τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθαι, pro quo nos legimus: Humilitatem insinuare. Rursus ad Philip.* 2. *τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, id est, per animi modestiam unusquisq; alium se existimet præstantiorem.* LE. *Docuisti ταπεινοφροσύνην usurpari in utramque partem, quum apud Latinos Modestia non usurpetur, nisi in laudem. Verùm potésne docere ταπεινωσιν accipi pro modestia?* HI. *Nihil absurdi, si quis ad istum modum usurpet. Nam & animo tribuere submissionem aut demissionem pro modestia, nihil vetat. Cæterùm, an in divinis literis ita positum reperiatur, nescio.* LE. *Videnum apud divum Iacobum ita sit usurpatum. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua.* HIL. *Isto quidem loco est, ἐν ταπεινώσει non ταπεινοφροσύνῃ. Quòd si contendas, hîc humilitatem accipi pro modestia: conse-*

quens est, ut exaltationem accipiamus pro superbia: ac protinus gemina existet absurditas. Nam ut modestus non est, qui de sua modestia gloriatur ac iactitat se se: ita bis arrogans est, qui de sua superbia gloriatur. LE. Quid igitur vult sibi Apostolus? HIL. Commendat æqualitatem inter Christianos. Pauper dicitur humilis ob fortunam abiectiorem: dives dicitur sublimis, utiq; iuxta mundum ob fortunæ splendorem. Hic dives se demittit ad sortem pauperum, & pauper erigitur ad æqualitatem divitum. Vterque habet quod glorietur: alter gaudet suis opibus sublevari pauperum inopiam: alter glorificat Christum, qui eam mentem inspirarit divitibus. LE. Sed interim dives ille modestiæ laudem habet. HIL. Fortasse. Sed non ideò protinus ταπεινωσις significat modestiam. Sunt enim qui venantes laudem ab hominibus, multa pauperibus erogant. Quin potiùs uterq; modestus est, si modò adsit syncera pietas: dives, dum non gravatur ob Christum æquari pauperi: pauper, dum ob honorem sibi habitum non insolescit, sed Christo gratias agens, in illo gloriatur. Illud extra controversiam est, ταπείνωσιν in divinis libris frequentissimè usurpari pro demissione sive deiectione, quæ fit per afflictionem, aut conditionis infirmitatem. Ita Paulus Philip. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, ταπεινώσεως. Item Psalm 9. Vide humilitatem de inimicis meis, ταπείνωσιν. Rursum 118. Hæc me consolata est in humilitate mea ἐν ταπεινώσει, nimirum in afflictione. Huius generis loca sunt complura, quæ

quæ longum sit hîc referre. Quemadmodum igitur μεταφορικῶς ταπεινὸς dici posset ὁ ταπεινόφρων, qui modesto sit animo, minimeq; elato: ita nihil prodigii fuerit, si quis ταπείνωσιν dicat ταπεινοφροσύνην: nos de scripturæ usu loquimur. Cæterùm qui contendunt in cantico Mariæ ταπείνωσιν sonare modestiam animi, quin eadem operâ sic interpretantur, quod legimus Gen. 29. Vidit Dominus humilitatem meam ταπείνωσιν. Lia non iactat suam modestiam: sed quòd ob deformitatem minus esset cordi marito, humilitatem appellat. Eundem ad modum Deut. 26. Et respexit humilitatem & laborem, atque angustiam. An non hîc ταπείνωσιν appellat afflictionem? LE. Vnde igitur istis in mentem incidit, ut humilitatem in cantico interpretentur animi modestiam? HIL. Nihil aliud video causæ, nisi quòd multi Theologi neglexerint & linguarum peritiam & Latini sermonis studium, una cum priscis Ecclesiæ doctoribus, qui sinè hisce præsidiis ad plenum intelligi non queant: præterea quòd difficillimum sit revellere, si quid penitùs insederit animo. Porrò videas quosdam tantùm scholasticis placitis tribuere, ut malint ad ea detorquere Scripturam, quàm ad scripturæ regulam opiniones humanas corrigere. LE. At istuc absurdius est, quàm quod narrant de regula (f) Lesbia. HIL. Beda Monachus non admodum gravis author, quoties ab alienis recedit vestigiis, ex occasione dictæ humilitatis meminit de superbia. At Theophylactus scriptor Græcus, qui sua ferè ex probatissi-

batissimis Græcis scriptoribus hausit, negat hic ταπείνωσιν accipi posse pro virtute. LE. Ad istud probandum quid opus est authoritate, cùm ipse sensus communis respuat eam interpretationem? HIL. Rectè dixisti. Nam quum modestia sit quodammodo colophon ac tutatrix omnium virtutum: immodestia est, si quis eam de se prædicet. Fatemur quidem in sanctissima virgine virtutem hanc fuisse summam & incomparabilem (Christum semper excipio) sed hoc ipso, ob modestiam laudabilior est, quòd eam ipsa non laudat, sed agnoscens suæ conditionis humilitatem, mysterii magnitudinem asscribit misericordiæ divinæ. Maria, inquiunt, per modestiam meruit fieri mater Dei. Donemus hoc aliqua ex parte verum esse, verùm quæ tandem modestiæ species est, puellam hoc de se prædicare? LE. Quin & ipse cantici tenor declarat illam de sua indignitate loqui, eóque sic orditur. Magnificat anima mea Dominum. At qui dicit: Merui fieri mater Dei per modestiam, se magnificat, non Dominum. Mox subiicitur: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ecce, significat rem subitam & inexpectatam. Non expectat autem summum honorem, qui se nullo honore dignum iudicat. Nec felicitas dicitur, si contingat quod meritis debebatur. Flaccus enim negat se hoc nomine felicem appellandum, quòd a Mœcenate in amicorum numerum adoptatus esset. HIL. Quamobrem? LE. Hil. Quia iudicio fuit adscitus, non gratuito favore.

Mœcenas

Mœcenas hoc illi tribuit, quod eius virtutibus deberi iudicarat. Eodem pertinet quod sequitur: Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Non dixit: Fecit mihi magna, quia me dignam iudicavit, sed quia potens est, & facit quæcunque vult, & ex indignis facit suo favore dignos, & ideo sanctum nomen eius: sanctum dixit glorioſum. Quantum autem noſtris meritis arrogamus, tantum detrahimus divini nominis gloriæ. Nam iuxta Paulum, illius potentia per noſtram imbecillitatem perficitur. Mox in eo verſu: Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles, non est ταπεινόφρονας, ſed ταπεινούς, hoc est, contemptos iuxta mundum, ut opponatur potentibus. Hunc verſiculum iuxta propheticæ elocutionis morem declarat ſequens: Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. Quos modò dixerat humiles, hîc appellat Eſurientes, hoc est, tenues: quos modò potentes, hîc divites vocat. Proximo verſu ſit mentio miſericordiæ ſeſe per omnes orbis nationes profundentis. In extremo verſu prædicat fidem Dei in promiſſis: Sicut loquutus est, &c. Toto cantico prædicatur gloria, hoc est, potentia, bonitas, & veritas Dei: nulla est meritorum mentio. LE. *Sed ut potentiam ac divitias comitatur ſuperbia, ita paupertas docet modeſtiam.* HIL. *Non equidem inficior iſtuc interdum accidere: ſed videas plerunque pauperes arrogantiſſimos: ſi negas, obiiciam Merdardos multos. Verum demus eſſe, quod nõ est perpetuũ: non iam agitur qualis fuerit ſacra-*

tiſſima

tissima Jesu mater, sed qualia de se prædicarit in hoc cantico. LEVI. *Demiror istorum pervicaciam, qui toties moniti, frequenter etiam irrisi, non resipiscant.* HIL. *Quoties moniti sunt, declamationem esse ficti thematis tractationem, ad exercendam dictionis facultatem adhiberi solitam: & tamen istis declamatio nihil aliud est, quàm sacra concio. Quoties inclamatum est illis, cœlibem esse, quisquis uxorem non habeat, etiamsi sexcentas alat concubinas: & tamen cœlibatus istis nihil aliud est, quàm continentia & castitas. Idem usu venit de humilitate, aliisq; similibus quàm plurimis.* LE. *Vnde stupor tam pertinax?* HIL. *De Merdardis respondeo. Non dederunt à puero operam literis, nec est illis præceptorum aut librorum copia, & si quid istiusmodi facultatis obtigit, malunt abdomini impendere. Sacrosanctam illam vestem existimant abundè sufficere & ad pietatis, & ad eruditionis opinionem. Postremò putant nonnullam esse religionis partem, si cum suo Franciscone Latinè quidem loqui sciant.* LE. *Profectò plurimos novi, qui ista ex parte bellè referant instituti sui principem, qui,* caperonem *dixit pro* galero, *opinor &* vestimentibus *pro vestibus. At Franciscus constanter recusavit presbyteri honorem: quod idem, opinor, fecit Benedictus & Dominicus. Nunc isti cum suis vestimentibus non abhorrent à galero Cardinalitio.* HIL. *Quid ais? Imò ne à corona quidem triplici. Et humiles illi pauperis Franciscì filii porrigunt calceos suos summis orbis monarchis*

narchis osculandos. LE. *Iam si fuisset facta vilitatis mentio, quid erat piaculi?* HIL. *Nihil, si vilem intelligas, qui parvo æstimatur apud homines, aut qui sibi videtur contemptibilis. Sed quid opus excusare, quod dictum non est?* LE. *Non puduit Medardum ad istum mentiri modum? idq; in fano tam celebri, in frequentissima monarcharum synodo, coram tot eruditis viris, quorum plerique Erasmicas lucubrationes evolverant?* HI. *Puduit, ais? Imò sibi visus est scurra rem palmariã ac triumpho dignam facere. Hoc est quartum Merdardorum votum, longè tribus illis religiosius, nihil omninò pudere.* LE. *Istius profectò plerique sunt observantissimi.* HIL. *Nec erat simplex mendacium. Primum Mariæ canticum, ut est à Luca scriptum, manet intactum. Qui verò corrigere dicitur, qui nihil mutat? Deinde, vox humilitatis immutata non est, nec ulla usquam vilitatis mentio. Postremò non corrigit canticum, qui bona fide reddit, quod scripsit Lucas, sed explicat.* LE. *Video triplex mendacium effronte scurrâ dignum.* HIL. *Mane, nondum audisti, quod est omnium impudentissimum.* LEV. *Etiámne amplius?* HIL. *Vociferabatur doctorem illum asinum fuisse principem authorem & antesignanum universi tumultus, quo nunc concutitur orbis Christianus.* LE. *Quid ais?* HIL. *Huic imputandum, quòd tot sectis discinditur Ecclesia, quod sacerdotes spoliantur decimis, quòd contemnuntur Episcopi, quòd sacrosanctæ Pontificis maiestati*

passim

passim oppeditur, quòd agricolæ vetus (g) gigantum exemplum instaurarunt. LEV. *Ista publicitùs?* HIL. *Magnis clamoribus.* LE. *Atqui longè secus existimant, qui Erasmi libellos attentius introspiciunt. Horum plurimi fatentur se ex illius lucubrationibus hausisse veræ pietatis semina. Totum hoc incendium per monachos ortum, per eosdẽ huc usque incanduit: quod non aliter nunc quoq; conantur extinguere quàm si oleum, quod aiunt, addant camino.* HI. *Vides* (h) ὡς κάνιστον θηρίον ἐστὶν ἡ γαστήρ. LE. *Rem acu tetigisti. Illi nimirum expedit in populo Christiano superstitionis esse quàm plurimum, pietatis quàm minimũ. Sed quid concio ferebátne Cumanum asinum tam insolenter rudentem è suggesto?* HI. *Quidam mirabantur, quid accidisset homini. Qui stomachi erant impatientioris, surgebant, atque è templo abibant submurmurantes: Venimus huc audituri laudes divæ Virginis, & hic temulentus nobis evomit meras sycophantias. In his erant etiam non paucæ mulieres.* LE. *Atqui solet hoc genus mirè deditum esse isti sodalitio.* HIL. *Vera prædicas: sed cœperunt & fœminæ sapere. Eruditi quotquot aderant, plerique ringi, nonnulli etiam subsibilare.* LE. *Non curat asinus sibila: oportuit talem rabulam putribus ovis aut ruderibus è suggesto deturbare.* HIL. *Non deerant, qui hoc illo dignum existimarent, sed cohibebat illos loci reverentia.* LE. *Sed loci religio non debet his opitulari, qui locum scelere profanarunt: veluti qui in templi septis occidunt hominem, non*

æquum

æquum est, ut illic habeant asylum: itidem qui in sacris concionibus & loci religione & populi patientiâ stolidè abutitur, huic non oportet esse præsidio, quod ipse suâ temeritate profanavit. Laudatus est à priscis ille, qui eum non habuit pro consule, cui ipse non esset senator: nec par est, ut populus eum habeat pro ecclesiastâ, cui ipse non est concio. HIL. *Metuunt fulmen Episcoporum: Si quis instigante diabolo, &c. nosti legem.* LE. *Sed priùs in tales rabulas Episcopi debebant vibrare fulmen.* HIL. *Metuunt & illi.* LEV. *Quos?* HIL. *Illos ipsos rabulas.* LEVI. *Quamobrem?* HIL. *Ob hoc ipsum, quòd rabulæ sunt.* LEV. *Apostoli non metuebant regum & præsidum minas, & isti metuunt unum mendicum?* HIL. *Sed ob istuc ipsum magis formidandi, quod mendici sunt; quòd eripiatur, non habent: quo lædant, habent. Abi tu sodes ad vesparum aut crabronum nidum aliquem, & unam quamlibet ex illis digito continge, ea res tibi si benè successerit, redito ad me, & Episcopos ignavos appellato, qui refugiant unum mendicum irritare. Romanum Pontificem nónne potentissimi Christianæ conditionis monarchæ reverentur, fortassis & metuunt?* LEV. *Nec mirum. Est enim Christi vicarius.* HIL. *At Alexander sextus, vir nec stultus, nec indoctus, fertur ita loqui solitus: Se malle è summis monarchis aliquot offendere, quàm unumquemlibet fraterculorum ex ordine mendicantium.* LEV. *Omitte pontifices. Cùm istius sceleris rumor ad aures principum, qui tum Augustæ*

erant, dimanasset, non est sumptum de homine supplicium? HIL. Indignè tulerunt omnes, sed præcipuè rex Ferdinandus & huius soror Maria, fœminarum huius seculi decus: Bernardus Cardinalis Tridentinus, Balthasar episcopus Constantiensis: Obiurgatus est graviter ecclesiastes, sed à nullo acriùs, quàm à Ioanne Fabro episcopo Viennensi. LEVI. Quid obiurgatio? asinus non sentit nisi fustem. HIL. Præsertim si inventrem ingeras. Sed quid illi stolido fecissent principes, longè gravioribus curis occupati. LEV. Certè submovissent à concionandi munere, & suam illi benignitatem subtraxissent. HI. At artifex ille pus suum in ipsam concilii dissolutionem distulerat, cùm iam alioqui foret abeundum. LE. Isto quidem pacto dicuntur abire cacodæmones, ingenti fœtore relicto. HIL. Itaque dimissus est à rege Ferdinando, sed benè pastus. Nam obiurgatione tantillum quidem detraxit hominis obesitati. LE. Franciscus dicitur concionatus sororibus avibus: iste dignus videtur, qui concionetur fratribus asinis ac suibus. Sed quò se contulit? HIL. Quò, nisi ad suos gregales? à quibus exceptus est ovatione ob rem strenuè feliciterq; gestam, & inter pocula pro Io triumphe, cantatum est, Te Deum laudamus. LE. Dignissimus est iste Merdardus, qui funem in collo gestet potiùs, quàm in lumbis. Sed quid imprecemur isti stolido gregi, qui tales fovet pecudes? HIL. Vix invenias quòd illis imprecetis malum gravius, quàm ipsi accersunt sibi. Siquidem

his

his rationibus maximè traducunt sese, & in bonorum omnium coniiciunt odium, efficaciùs, quàm quisquam possit hostis. Sed non est Christianæ mentis cuipiam imprecari malè: illud potiùs optandum, ut clementissimus rerum formator & reformator, qui ex Nabuchodonosor homine fecit bovem, & rursus ex bove fecit hominem, quique asinæ Balaami dedit hominis linguam, omnes Merdardi similes vertat in melius, détque illis & mentem & linguam, viris Evangelicis dignam.

(a) Sic missæ sacrum vocat. Est autem *liturgia* propriè non sacrificium, sed quodvis officium. (b) *Cynorodum*, rosa canina fœdè olens. (c) Hoc est, ad id, ad quod inutilis est. *Ceroma* unguentum dicitur, quo olim ungebantur Centauri. Bos autem ad certamina inutilis est. (d) Qui delicatius pascuntur, ut plurimùm petulantiores sunt, & ferociunt. (e) Id est, proverbium fraterculorum. (f) *Lesbia regula*, vide proverbinm. (g) Gigantes olim deos è cœlo exigere conati sunt. Rustici autem suos nobiles non aliter ac deos suscipiunt, quos tamen proximo tumultu in ordinem cogere, & de loco deiicere tentaverunt. (h) Id est, ut pessima bestia venter est. Et illos qui alioquin omnia ventris gratia faciunt, lingua abutentes. Græci γλωσσοδάιμονας appellant.

PHILODOXVS.

*PHILODOXVS, SYMBVLVS.

PHIL. *Felix auspicium interpretor occursum tuum Symbule.* SYM *Vtinam sit aliquid, Philodoxe, in quo tibi queam esse felix!* PH. *Quid auspicatius, quàm si quis Deus occurrat homini?* SYM. *Equidem*

dem nihil istoc existimarem auspicatius, etiamsi sexcentæ volitent (a) noctuæ. Sed quem mihi narras Deum? PHIL. Te, inquam, Symbule. SYM. Méne! PHIL. Te planè. SYM. Ego Deos cacantes nunquam feci pili. PHIL. Si non fallit proverbium: Deum esse quisquis iuvat mortalem: tu mihi Deus esse potes. SYM. De fide proverbii viderint alii: ego certè perquàm lubens amico profuero, si queam. PHIL. Non est, quòd metuas, Symbule, haud peto mutuum: sacra res est consilium, eo tantum me iuva. SYM. Atqui istuc ipsum est petere mutuum: quandoquidem hoc officii genus inter amicos ultrò citroq; commeare debet, quemadmodum & cætera omnia. Sed quid est rei, in quo meum desideras consilium? PHIL. Piget obscuritatis, cuperem esse celebris; commonstra viam. SYM. En tibi compendiariam: imitare Eroſtratum, qui incendit templum Dianæ; aut huic simillimum Zoilum, qui laceravit Homerum; aut aliud aliquod facinus memorabile designa (b) ἀοίδιμος eris cum (c) Cercopibus ac Neronibus. PHIL. Famam ex scelere parent alii, ego nomen ambio rumoris honesti. SYM. Talem igitur te præsta, qualis optas prædicari. PHIL. At multis egregiâ virtute præditis non contigit nominis celebritas. SYM. Istud an verum sit nescio: attamen si id eveniat, quod ais, ipsa virtus abundè magnum sui præmium est. PHIL. Vera prædicas, planeq; philosophicè: veruntamen, ut sunt res humanæ, mihi videtur gloria præcipuum quoddam ornamentum

esse

esse virtutis, quæ non aliter gaudet agnosci, quàm sol amat lucere, vel ob hoc ipsum, ut & prosit quàm plurimis, & quàm plurimos ad sui pelliciat æmulationem. Postremo, non video, quam possessionem speciosiorem parentes liberis suis relinquere possint, quàm honesti nominis immortalem memoriam. SYM. Vt video, gloriam expetis virtute partam. PHIL. Scilicet. SYM. Proinde tibi propone literis omnium celebratos, Aristidem, Phocionem, Socratem, Epaminundam, Scipionem Aphricanum, Catonem seniorem & Vticensem, M. Brutum, & horum similes, qui belli domiq; de repub. quàm optimè mereri studuerunt. Hic est enim feracissimus gloriæ campus. PHIL. Verùm inter illos celebres, Aristides ostracismo iussus est solum vertere: Phocion & Socrates biberunt cicutam: Epaminundas capitis est postulatus, quemadmodum & Scipio: Cato senior quadragies reus causam dixit: Vticensis sibi mortem conscivit: itidem Brutus. Ego gloriam optarem nullâ invidiâ contaminatam. SYM. At istuc ne Herculi quidem filio concessit Iupiter. Nam post tot monstra virtute domita, cum (d) excetra fuit extremum certamen, idq; multò omnium pertinacissimum. PHIL. Ego Herculi suos glorioſos labores nunquam invidebo. Eos demum felices duco, quibus obtigit honestum nomen, nullâ invidiâ contaminatum. SYM. Vis, ut video, suaviter vivere: eò metuis invidiam, nec id iniuriâ (e) κάκιστον γὰρ ἐστι θηρίον. PHIL. Sic est. SYM. Ergò (f) λάθε βιώσας. PHIL. At istuc est

mortuum esse, non vivere. SYM. *Intelligo, quid adfectes. In sole clarissimo versari gaudes absq; umbra.* PHI. *Istuc quidem fieri non potest.* SY. *At nihilo magis fieri potest, ut gloriam consequaris nullâ contaminatam invidiâ. Rectè facta ultrò sequitur gloria, gloriam comitatur invidia.* PHIL. *Atqui posse gloriam absque invidia contingere, docet nos senex ille comicus: Ita ut facilimè sine invidia laudem invenias & amicos pares.* SYM. *Si ista laude contentus es, quam tulit Pamphilus adolescens obsequiis, & morum commoditate: poteris eodem è loco petere rationes assequendi, quod expetis, unde decerpsisti sententiam. In omni re memento: Ne quid nimis. Sed tamen mediocriter omnia: esto facilis in perferendis aliorum moribus, ad leviora vitia connivens, ne sis præfractus, tuæq; sententiæ nimium tenax, sed aliorum studiis temet accommoda. Nulli lædas os: sed comem te præbeas omnibus.* PHIL. *Adolescentiæ favent pleriq;, nec magni negocii sit, tum istam parare laudem: ego magnificum quoddam nominis decus optarim, quod per universum orbem resonet, quodq; cum ætate semper fiat illustrius, atque à funere tandem clarius eluceſcat.* SYM. *Equidem laudo generosam istam indolem tuam, Philodoxe. Cæterùm si cupis gloriam virtute partam, præcipua virtus est negligere gloriam, & summa est laus, non ambire laudem, quæ magis sequitur fugientem. Videndum est igitur, ne quo impensius ista ambis, hoc frustrêre magis.* PHIL. *Non sum*

Stoicus

Stoicus (g) ἀπαθὴς, *tangor humanis adfectibus.* Sym. *Si te profiteris hominem, nec ea recusas, quæ sunt humanæ sortis: cur ea venaris, quæ nec Deo contingunt? Nosti enim Theocriticum illud non minus verè quàm scitè dictum: Jovem nec pluvium, nec serenum placere omnibus.* Phil. *Non est fortassis ignis absque fumo: sunt tamen* (h) ἄκαπνα. *Si non potest obtineri, quin aliquâ livoris nubeculâ obscuretur hominis gloria: arbitror tamen esse rationes, quibus fiat, ut quàm minimum invidiæ sit admixtum.* Sym. *Eas igitur tibi vis commonstrari?* Phil. *Percupio.* Sym. *Modicè virtutem exere, & minùs gravaberis invidiâ.* Phil. *At gloria nisi sit insignis, non est gloria.* Sym. *Ecce tibi certissimam viam. Designa præclarum aliquod facinus, & morere, & citra invidiam celebraberis cum Codris,* (i) *Menœceis, Iphigeniis, Curtiis ac Deciis.* Pascitur in vivis livor, post fata quiescit. Phil. *Equidem, ut ingenuè, quod res est fatear, cupio liberis ac nepotibus meis honesti nominis hæreditatem relinquere: verùm huius rei fructum vivus apud vivos aliquamdiu decerpere cupiam.* Sy. *Age, non te suspendam amplius. Certissima ad illustre nomen est via: benè mereri, quum privatim de singulis, tum publicitùs de universis. Id partim fit officiis, partim benignitate. Benignitas sic temperanda est, ne cogaris ab aliis rapere, quod aliis suppedites. Nam ex huiusmodi largitionibus plus odii nascitur apud probos, quam favoris apud improbos. Porrò ab improbis*

laudari, infamia verius est, quàm gloria. Adhæc, benignitatis fons largiendo exhauritur. Porrò beneficentia, quæ constat officiis, fundum non habet: imò quò largiùs hinc hauritur, hoc scatet vberiùs. At hîc multæ res sunt, quæ & invidiam mitigant, & famæ celebritatem illustrant, quas nemo sibi præstare valet, sed contingunt gratuito favore numinis.

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. *At formam corporis nemo sibi largitur. Adfert secum dignitatis plurimum generis claritudo. At hæc quoque fortunæ munus est. Idem sentiendum de divitiis; quæ rectè factis partæ, ab avis atque atavis ad nos devenerunt. Ne hoc quidem quisquam sibi præstat. Huius generis sunt & ingenii dexteritas, ac dicendi gratia, lepos, & comitas, non adscita, sed ingenita. Postremò decorum quoddam arcanum, atque etiam felicitas, cuius effectum in multis videmus quotidie, caussam reddere nemo potest. At non frequenter conspicimus eadem geri dicive à diversis, & magnam inire gratiam, qui peiùs gessit, dixitve, quum is, qui melius rem egerit pro gratia referat odium? Hoc prisci quidam ad genios referebant. Dicebant enim, in ea re quenque fortunatum esse, ad quam natus esset: contrà, parum succedere, quod quis invitâ Minervâ, ratio3 genio tentaret.* PHIL. *Hîc igitur nullus est consilio locus?* SYM. *Vix ullus. Attamen qui sagaces sunt, deprehendunt in pueris aut adolescentibus notas quasdam, quibus coniecturam facere liceat,*

liceat, ad quæ studia, quódve vitæ genus, quásve actiones sint idonei. Idem indicat in nobis arcanus quidam animi sensus, quo à quibusdam abhorremus nulla evidente causâ: ad quædam item animi impetu rapimur. Hinc est, quod alius feliciter tractat rem militarem, alius dexter est in negotiis politicis, alium dicas ad studia natum. Quanquam & in his mira varietas, nimirum tanta, quanta est functionum diversitas. Alium natura genuit imperio, alium voluit esse fortem militem: cui plurimum indulsit, & concessit, ut iuxta Homerum, pariter & bonus sit lancearius, & egregius dux. Itidem in rebus civilibus; alius valet in consilio; alius in agendis causis excellit; alius obeundis legationibus & gaudet & feliciter rem gerit. De studiorum varietate quid attinet dicere? Sunt qui sic rapiantur ad institutum monasticum, nec ad quodvis, sed vel hoc, vel illud, ut vitam sibi putent acerbam, nisi quod optant, assequantur: sunt è diverso, qui mirum in modum abhorrent, ut mori ducant potius, quàm fieri monachum: nec id odio faciunt, aut certâ ratione, sed arcano quodam naturæ sensu. PHIL. Ista quidem in compluribus, ita ut narras, & comperi nonnunquam, & frequenter admiratus sum. SYM. In his igitur bonis, quæ nobis gratuitò largitur naturæ benignitas, multò minus orietur invidiæ, si fastus absit & ostentatio. Amabilior enim est forma, aut nobilitas aut opulentia, aut facundia in his, qui se his bonis præcellere quasi nesciunt. Comitas autem & mo-

destia nihil imminuunt hæc commoda, sed ut gratiam addunt, ita depellunt invidiam. Hæc autem comitas & morum suavitas, oportet in omnibus vitæ actionibus sit perpetua, nisi prorsùs repugnat Minerva. Nam frustra, ut opinor, tentaret (k) Xenocrates quòd successit Socrati ac Diogeni: frustra moliretur Cato censorius, quòd Lælium fecit gratiosum. Attamen Demea ille Terentianus subitò mutatus, satis declaravit, quantum ad conciliandum benevolentiam habeat momenti, studiis & adfectibus omnium obsecundare. Verùm quoties à recto receditur, iam & à vera gloria ad temporarium hominum favorem degeneratur. Cæterùm ea demum gloria perpetua est, quæ honestis radicibus nititur, à iudicio rationis profecta. Nam adfectus temporarios habent impetus, qui simulatq; relanguerint, odisse cœpimus, quod antè vehementer arrisit, ac proinde plausus vertitur in sibilum, laus in vituperium. Cæterùm ut ingenium prorsus inverti non potest, ita potest aliqua ex parte corrigi. PHIL. *Expecto quid dicas.* SYM. *Qui naturâ blandior est, is cavere potest, ne, dum apud omnes gratiosus esse studet, deflectat ab honesto: néve, dum sese quibuslibet accommodat, Polypum imitatus sibi parum constet.* PHIL. *Tales novi permultos lubricæ fidei, & erubescendæ vanitatis.* SY. *Rursus, qui severiore sunt ingenio, dare operam oportet: ut sic adfectent comitatem, ne quod agunt, videatur simulatum, aut subinde ad naturam suã recurrant, pro laude geminum dedecus sibi comparaturi.*

raturi; & quòd interdum rigidiùs agant, & quòd sint inconstantes. Tantam enim vim habet constantia, ut qui vitiosam nacti sunt naturam, tamen ob hoc ipsum leviùs ferantur, quòd nunquam sunt sui dissimiles. Fucus autem simulatque suboluit, etiam in benefactis gignit odium. Porrò quod simulatum est, perpetuò latere non potest, aliquando erumpat oportet: quòd ubi factum fuerit, simul evanescit omnis ille magnificus gloriæ fumus, atque etiam in fabulam vertitur. PHIL. Illud igitur, ut video, mones, à natura minimum, ab honesto minimè recedendum esse. SYM. Tenes. Ad hæc scis, quicquid subitò inclarescit, obnoxium esse invidiæ. Inde vox odiosa (1) νεοπλούτων apud Græcos, apud Romanos novorum hominum cognomen, apud utrosque terræ filiorum, & è cœlo delapsorum. Cæterùm fama, quæ paulatim nascitur & augescit, quemadmodum minimum habet invidiæ, ita maximè durabilis est, ut indicat hoc ille poëtarum acutissimus Horatius:

Crescit occulto, velut arbor, ævo,
Fama Marcelli.

Proinde, si veram, si perpetuam, si livori quàm minimum expositam gloriam expetis, ausculta Socrati, qui dixit: Quibusdam usu venire: ut dum nimiũ properant initio; serius perveniant ad finem. PH. Sed hominum vita brevis est. SYM. Ergo ad benefacta properandum, non ad gloriam, quæ suâ sponte consequitur. Non enim id consulis, opinor, quibus rationibus longævus fieri possis. Nam istud Parcarum

carum munus est, quæ fila ducunt & amputant, cum ipsis est visum. PHIL. *Vtinam istud quoq; possis.* SYM. *Nunquam, ô Philodoxe, Divi tam fuerunt benigni, ut uni darent omnia. Quod annis detrahunt, nominis splendore pensant. Quibudam, sed paucissimis, tam indulgenter favent, ut vivi, sibique quodammodo superstites, posteritate suâ fruantur, sed rari sunt, quos æquus amavit Jupiter. Hoc fortassis aliqui diis geniti potuêre: verum ista felicitas non cadit in hanc consultationem.* PHIL. *Sæpè mecum admirari soleo, seu fortunæ seu naturæ invidentiam, quæ nihil omninò commodi largitur mortalibus, quod non aliquo temperet incommodo.* SYM. *Quid igitur superest amice, nisi ut homines nati, sortem humanam æquo feramus animo? Iam & illud haud mediocriter conducit ad leniendam invidiam, si penitùs cures habere perspecta nationum, ordinum, & singulorum hominum ingenia, nimirum ad eorum exemplum, qui bestiis cicurandis alendisq; dant operam. Siquidem horum præcipuum est studium, animadvertere quibus rebus quodque animal vel efferetur, vel deliniatur. Non iam loquor tantum de discrimine, quod est inter avem & quadrupedem, inter serpentem & piscem, aut quod est inter aquilam & vulturem, inter elephantem & equum, inter delphinum & phocam, inter viperam & aspidem: sed de innumera varietate, quæ est in singulis animantium generibus.* PHIL. *Expecto quo sis evasurus.* SYM. *Omnes canes sub una specie*

conti-

continentur: sed hæc species quàm in innumeras formas distrahitur? ut dicas illos genere distingui, non specie. Jam prorsus in eadem specie. quàm varii sunt canum mores & ingenia? PHIL. Immensa varietas. SYM. Quod de canibus dictum est, de singulis animantium generibus dictum puta. Sed in nullo magis elucet discrimen, quàm in equis. PHIL. Vera prædicas, sed quorsum hæc? SYM. Quicquid in animantium generibus vel in formis, vel in singulis animantibus varietatis est, hoc omne puta esse in homine. Illic reperies lupos varios, canes inenarrabili varietate, elephantos, camelos, asinos, leones, oves, viperas, simios, dracones, aquilas, vultures, hirundines, & quid non? PHIL. Quid tum? SYM. Nullum autem est animal, tam efferum, quin arte tractatum, aliquam de se præbeat utilitatem, aut certè non lædat. PHIL. Nondum prospicio, quid agas. SYM. Est nonnihil discriminis inter Hispanum, Italum, Germanum, Gallum, & Anglum? PHIL. Est planè. SYM. Adhæc, est singulis in unoquoque genere peculiare quoddam ingenium! PHIL. Fateor. SYM. Hanc varietatem si sagaciter habueris animadversam, & singulorum moribus te accommodes: perfacilè consequêris; ut aut omnes habeas amicos, aut certè nullos inimicos. PHIL. Si Polypum me fieri iubes, ubi rectum & honestum? SYM. Est in rebus communibus aliquod obsequium, quod nullo pacto vitiat honestum: quod genus, apud Italos osculo salutant viri viros: In Germania, si facias idem, absurdum videatur:

deatur: sed pro osculo dextram porrigunt. Rursus in Anglia viri salutant mulieres, etiam in templo obvias: idem si fiat in Italia, flagitium habeatur. Item in Anglia porrigere poculum tuum intervenienti in convivio, civilitatis est: in Gallia contumeliæ est. In his & aliis huiusmodi, citra recti iacturam licet omnibus obsecundare. PHIL. *At perdifficile sit, omnium gentium mores, ac singulorum hominum ingenia nosse.* SYM. *Verum, ô Philodoxe, si gloriam insignem quæris, eámque virtute partam, necesse est, ut virtutem quoque præstes non vulgarem. Scis autem virtutem circa difficilia versari, quemadmodum ante Peripateticum illum docuit Hesiodus: proinde si mel cupis, apes feras oportet.* PHIL. *Scio & memini: sed mitigandæ invidiæ rationem quærimus.* SYM. *Proinde da operam: ut in bello dux esse malis, quàm miles, & in eo bello, quod gerendum cum invisis hostibus potiùs, quàm cum civibus, aut sociis. In Republica ea potissimùm munia capesse, quæ popularia sunt & gratiosa: velut defendere popularius est, quàm accusare: honorare, quàm punire. Quòd si qua incidunt, sicut incidere necesse est, naturâ molesta, tamen ea quoque, si vitari non possunt, commoditate sunt lenienda.* PHILOD. *Quo pacto?* SYM. *Sedes iudex aut arbiter, altera pars nonnihil offendenda est: sed eâ rem æquitate geras, ut si fieri possit, etiam victus gratias agat.* PHIL. *Quî sic?* SYM. *Puta, intenditur actio furti aut sacrilegii: muta, si potes, actionis formu-*

formulam & fac, ut sit actio rei vindicandæ. Hic protinùs ita reum sublevas, ut nihil tamen decedat actori. Porrò actionem omnem sic moderare, ut citra actoris dispendium reo videaris æquus. Postremò damnati pœnam nonnihil mitiga. Absit interim aut vultus torvitas, aut verborum acerbitas, aut morositas: quæ res faciunt ut quidam peiorem ferant gratiam pro dato beneficio, quàm alii pro negato. Interdum monendus est amicus: sed si nulla spes emendationis, silere præstat. Si res gravior est & spes est profectus magni refert. qualis sit admonitio. Nam sæpenumerò fit, ut qui sinistrè aut intempestivè admonet, & morbum exasperet & ex amico reddat inimicum. Hæc dexteritas magis etiam habet locum, si agas cum principe. Nam horum adfectibus nonnunquam incidit, ut sit resistendum. Quod si fit comiter ac dextrè, paulò pòst, qui obstitêre, plus ferunt gratiæ, quàm qui obsecundarunt. Quod enim cupiditati placet, temporarium est: quod rectâ ratione geritur, perpetuò probatur. Longè verò maxima pars invidiæ nascitur ex intemperantia linguæ. Quantum odii nonnunquam unica vox temerè excidens concitat nonnullis? Quàm multis dictum aut iocus intempestivus fuit exitio? Laudabis igitur, sed dignos, idque parcè: sed vituperabis parciùs, si tamen omninò quispiam vituperandus est: proinde vitanda loquacitas. Difficillimum enim sit, simul & multa & oportunè dicere. PHILOD. Adsentior istis omnibus. Sed mihi videtur

præcipua ad parandam nominis celebritatem via, scribere libros. SYM. Vera prædicas, nisi quod obstet scribentium turba. At si ista placet ratio, cura ut exactè scribas potiùs, quàm multa. Cumprimis autem argumentum delige, neque protritum, neque cum multis commune: adhæc minimè invidiosum. In id, quicquid insigne complurium annorum lectione contractum est, conferas: tractatione verò tale reddes, ut voluptatem habeat cum utilitate coniunctam. PHIL. Prudenter tu quidem, Symbule, meoq; animo feceris satis, si unum illud adieceris, quibus rebus effici possit, ut maturiùs etiam contingat gloria. Multos enim video, qui vix sub obitum inclarescunt: nonnullos à rogo, quod aiunt, demum innotescere. SYM. Hic quod consulam nihil habeo melius, quàm quod tibicen suasit tibicini. Fac ut his teipsum probes, qui gloriâ iam vicerunt invidiam: in horum amicitiam temet insinua, quorum honorifica de te prædicatio facilè populare studium tibi conciliabit. PHIL. At si quando exoriatur invidia, quid ostendis remedii? SYM. Fac quod solent hi, qui picem coquunt: si flamma effulserit, infundunt aquam: ac tum magis efferatur ac stridet incendium, nî id facias constanter ac sæpius. PHIL. Quid istud ænigmatis est? SYM. Invidiam oborientem beneficiis obrue potiùs, quàm vindictâ. Nihil egit Hercules resectis Hydræ Lernææ capitibus: igni Græco devicit exitiale monstrum. PHIL. Sed quem vocas ignem Græcum? SYM. Qui ardet

etiam

etiam in mediis aquis. Eum adhibet, qui lacessitus iniuriâ malorum, non cessat tamen de omnibus benè mereri. PHIL. *Quid ego audio? beneficentia igitur nunc aqua est, nunc ignis?* SYM. *Quid vetat? quando Christus in allegoriis nunc sol est, nunc ignis, nunc lapis. Dixi sedulò. Si quid melius eris nactus, sequitor, meumq; repudiato consilium.*

* *Philodoxus* amator gloriæ, qui famam venatur. *Symbulus* consiliarius. (*a*) Noctuæ volatus apud Athenienses felix & boni ominis fuit. (*b*) Id est, celebratus. Is propriè qui decantatur passim. (*c*) Cercopes autem fratres fuêre improbitate & malitiâ celeberrimi: lege proverb. *Ne in Melampygum*, &c. (*d*) *Excetra*, hydra appellata est, quòd uno capite abscisso, plura excrescerent. (*e*) Id est, pessima fera est. (*f*) Id est, sic vive, ut nemo te sentiat vixisse. (*g*) id est, expers adfectuum. Stoici negabant in virum sapientem ullos adfectus cadere. (*h*) ἄπνα, ligna sunt, quæ, dum cremantur, fumum non faciunt, ab à privativa particula, & capnos, quod fumum significat. (*i*) *Menœceus* nobilis adolescens Thebanus, qui pro patriæ salute seipsum morti subiecit · apud Philost. in imaginibus. (*k*) *Xenocrates* Chalcedonius philosophus durus ac tetricus, & qui se moribus hominum accommodare non poterat, ob id à Platone iussus Gratiis sacrificare. (*l*) *Neoplutus*, id est, nuper dives factus, qui subitò divitias nactus, nusquam non ostentat illas, prius lentes domi vorans.

OPVLENTIA SORDIDA.

IACOBVS, GILBERTVS. Colloq. Helv. p. 290.

IAC. *Vnde nobis tam exsuccus, quasi cum cicadis interea* (a) *rore sis pastus? mihi nihil aliud*

quàm (b) syphar hominis esse videris. GI. *Apud inferos umbræ malvâ & porro saturantur: at ego decem vixi menses, ubi ne id quidem contigit.* IAC. *Vbinam, te quæso, num abreptus in navem galeatam?* GI. *Nequaquam, sed Synodii.* IA. *in urbe tam opulenta bulimia periclitatus es?* GI. *Maximè.* IA. *Quid in causa? An deerat pecunia?* GI. *Nec pecunia, nec amici.* IA. *Quid igitur erat mali?* GI. *Mihi res erat cum hospite (c) Antronio.* IAC. *Cum illo opulento?* GI. *Sed sordidissimo.* IA. *Monstri simile narras.* GIL. *Minimè: sed sic fiunt divites, qui è summa emergunt inopia.* IAC. *Quid ita libuit tot menses apud talem hospitem commorari?* GI. *Erat quod alligaret, & sic tunc erat animus.* IA. *Sed dic, obsecro, quo tandem vivit ille apparatu?* GI. *Dicam, quandoquidem actorum laborum solet esse iucunda commemoratio.* IA. *Mihi certè futura est.* GIL. *Illud ἐφανέθεν accessit incommodi: cùm illic agerem, totos tres menses spirabat Boreas, nisi quòd illic, nescio quo pacto, nunquam perseverat ultra diem octavum.* IAC *Quomodo igitur spirabat totos tres menses.* GIL. *Sub eum diem velut ex constituto mutabat stationem: sed post horas octo migrabat in locum priorem.* IA. *Ibi tenui corpusculo opus erat foco luculento.* GI. *Satis erat ignis, si suppetisset lignorum copia. Verùm ne quid hîc faceret impendii noster Antronius, ex ruscidis insularibus evellebat arborum radices ab aliis neglectas, idque ferè noctu. Ex his, nõdum benè siccis, struebatur ignis non absq; fumo, sed sine flamma, non qui calefa-*

lefaceret, sed qui præstaret, ne verè dici posset illis nullum esse ignem. Vnicus autem ignis durabat totum diem, adeò temperatum erat incendium. IA. Illîc hybernare durum erat. GI. Imò multò durius æstivare. IA. Quî sic? GI. Quoniam ea domus tantùm habebat pulicum ac cimicum, ut nec interdiu quietum esse, nec noctu somnum capere liceret. IA. Divitias miseras! GI. Præsertim in hoc pecoris genere. IA. Oportet illîc ignavas esse fœminas. GIL. Latitant, nec inter viros versantur. Ita fit, ut illîc & fœminæ nihil aliud sint, quàm fœminæ; & viris desint ea ministeria, quæ solent ab eo sexu suppeditari. IA. Sed Antronium interim non pigebat tractationis? GI. Illi in huiusmodi sordibus educato, præter lucrum, nihil erat dulce. Vbivis potiùs habitabat, quàm domi, nulla in re non negotiabatur. Scis autem eam urbem esse præ cæteris (d) Mercurialem. Pictor ille nobilis deplorandum existimavit, si dies abiisset sine linea; Antronius longè magis deplorabat, si dies præteriisset absq; lucro. Quod si quando evenisset, domi quærebat Mercurium. IA. Quid faciebat? GI. Habebat in ædibus cisternam ex eius civitatis more: illinc hauriebat aliquot aquæ situlas, & infundebat in vasa vinaria. Hîc erat certum lucrum. IA. Fortasse vinum æquo vehementius. GIL. Imò plus erat, quàm vappa. Nunquam enim emebat vinum, nisi corruptum, quò minoris emeret: ex eo ne quid periret, subinde faces annorum decem miscebat, volvens, ac revolvens omnia, quò mustum videretur. Neq; enim ille pas-

sus fuisset ullam fæcis micam perire. IAC. At si qua fides medicis, tale vinum gignit vesicæ calculos. GI. Non errant medici. Nam in ea domo nullus erat annus tam felix, quin unus atque alter calculo periret: nec horrebat ille funestam domum. IAC. Non? GIL. Etiam à (e) mortuis colligebat vectigal. Nec adspernabatur, quamvis exiguum lucellum. IA. Dicis furtum. GI. Lucrum vocant negotiatores. IA. Quid interea bibebat Antronius? GI. Idem fermè nectar. IA. Non sensit malum? GIL. Durus erat, qui vel fœnum esse posset, & talibus, ut dixi, delitiis fuerat à teneris educatus. Hoc lucro nihil existimabat certius. IA. Quid ita? GI. Si supputes uxorem, filios, filiam, generum, operas & famulas, alebat domi ferè corpora triginta tria. Jam quò vinum erat dilutius, hoc & parciùs bibebatur, & seriùs exhauriebatur. Hîc mihi subducito, in singulos dies addita aquæ situla, quàm non pœnitendam summam conficiat in annum. IAC. O sordes! GI. Atqui non minus compendii vendebat ex pane. IA. Quo pacto? GI. Emebat triticum vitiatum, quod alius noluisset emere. Hîc præsens statim lucrum, quia minoris emebat. Cæterùm vitio medicabatur arte. IA. Quâ tandem? GI. Est argillæ genus frumento non dissimile, quo videmus & equos delectari, dum & parietes arrodunt, & ex lacunis eâ argillâ turbidis bibunt libentiùs. Eius terræ partem admiscebat. IAC. Est istuc medicari? GI. Certè tritici vitium minùs sentiebatur. An hoc quoque lucrum putas aspernandum? Adde iam

aliud

aliud strategema: domi panem subigebat, nec id crebriùs etiam æstate, quàm bis in mense. IA. Istuc est lapides apponere, non panes. GIL. Aut si quid lapide durius. Sed huic quoque malo erat paratum remedium. IA. Quodnam. GI. Fragmenta panis immersa cyathis vino macerabat. IAC. Similes habebant labra lactucas. Sed ferebant talem tractationem operæ? GIL. Primùm narrabo primatum eius familiæ apparatum, quò facilius divines, quomodo tractentur operæ. IAC. Audire cupio. GI. De ientando nulla erat illic mentio. Prandium ferè differebatur in horam à meridie primam. IA. Quamobrem? GI. Expectabatur Antronius paterfamilias. Cœnabatur interdum ad horam decimam. IAC. At tu solebas esse inediæ impatientior. GI. Eoq; subinde clamabam ad Antronii generum Orthrogonum (agebamus enim in eodem conclavi) Heus Orthrogone, non cœnatur hodie apud Synodos? Commodè respondit: Brevi adfuturum Antronium. Cùm nihil viderem apparari, & latraret stomachus: Heus, inquam, Orthrogone, erit hodie pereundum fame? Excusabat horam aut aliud simile. Cùm non ferrem stomachi latratum, rursus interpellabam occupatum. Quid futurum est, inquam, eritne moriendum fame? Vbi iam Orthrogonus consumpsisset omnem tergiversationem, abiit ad famulos, iussitque adornari mensam. Tandem, cùm nec rediret Antronius, nec quicquam appararetur, Orthrogonus victus convitiis meis descendebat ad uxorem, & socrum ac

liberos, clamitans, ut apparārent cœnam. IAC. Nunc saltem expecto cœnam. GIL. Ne propera. Prodibat tandem famulus claudus, ei præfectus negotio, non admodùm dissimilis Vulcano, insternit mensam linteo. Ea prima cœnæ spes. Tandem post longam vociferationem adferuntur phialæ vitreæ, cum aqua sanè limpida. IA. Altera cœnæ spes. GI. Ne propera, inquam. Rursum post atroces clamores adfertur phiala illius nectaris fæculenti plena. IA. O factum bene! GIL. Sed sine pane. Nihil adhuc periculi: nemo famelicus bibit lubens tale vinum. Clamatum est iterum ut q. ad ravim. Tum demum apponitur panis ille, quem vix ursus dentibus frangeret. IAC. Certè iam vitæ consultum est. GI. Sub multam noctem tandem venit Antronius, hoc ferè proœmio inauspicatissimo, ut diceret, sibi dolere stomachum. IA. Quid hic mali auspicii? GI. Quia tunc nihil erat, quod ederetur. Quid enim expectes, hospite malè affecto? IA. Dolebat re verâ? GIL. Adeò ut solus devoraturus fuerit tres capos, si quis dedisset gratis. IA. Expecto convivium. GI. Primùm ipsi apponebatur patina cum farina fabacea, quod obsonii genus illic vulgò venditur tenuibus. Aiebat se hoc uti remedio adversus omne morbi genus. IAC. quot eratis convivæ? GI. Interdum octo aut novem, inter quos erat Verpius ille doctus, quem arbitror tibi non ignotum, & filius familiâs natu maior. IAC. Quid illis apponebatur? GI. An non satis est frugi hominibus, quod Melchisedech obtulit Abrahæ, quinque regum

gum victori? IA. Nihil igitur obsonii? GI. Erat nonnihil. IA. Quodnam? GI. Memini nos fuisse in mensa convivas numero novem, quum in patina non numerarem nisi septem foliola lactucæ aceto innatantia, sed absque oleo. IAC. Solus igitur ille devorabat suas fabas? GIL. Vix semiobolo emerat: nec tamen vetabat, si quis proximè assidens vellet gustare: sed incivile videbatur, languido suum eripere cibum. IA. Secabantur folia, quemadmodum de cumino mèminit proverbium? GIL. Non, sed lactucis à primoribus absumptis, reliqui panem immergebant aceto. IA. Quid autem post folia? GI. Quid, nisi caseus, conviviorum clausula? IA. Hiccine erat apparatus perpetuus? GI. Propemodùm, nisi quòd interdum, si eo die Mercurium fuisset expertus propitium, erat paulò profusior. IAC. Quid tum? GI. Iubebat emi tres uvas recentes uno æreo numulo. Ea res exhilarabat totam familiam. IA. Quid ni? GI. Id eo duntaxat tempore, quo summa est uvarum ibi vilitas. IAC. Proin extra autumnum nihil profundebat? GI. Profundebat. Sunt illic naviculatores, qui concharum minutum genus hauriunt, potissimùm è latrinis: hi clamore certo significant quid habeant venale. Ab his interdum iubebat emi dimidio nummuli, quem illi Bagathinum appellãt. Tum verò dixisses in ea familia esse nuptias. Nam igne erat opus, licet celerrimè percoquantur. Atq; hæc quidem post caseum loco bellariorum. IA. Bella me hercle bellaria. Sed nihil unquam apponebatur carnium aut piscium?

GIL. *Tandem victus meis clamoribus cœpit esse splendidior. Quoties autem videri volebat Lucullus, hi fermè erant missus.* IAC. *Istuc verò lubens audiero.* GI. *Primo loco dabatur insculum, quod illi, nescio quam ob causam, appellant Ministram.* IAC. *Lautum opinor.* GIL. *His conditum aromatibus. Admovetur igni cacabus aqua plenus, in eam coniiciuntur aliquot fragmenta casei bubalini, qui iam olim in saxũ induruit. Nam ad defrigendum aliquid, bona securi opus est. Cùm ea fragmenta tepore aquæ solvi cœperint, inficiunt eam, ne possit mera dici aqua. Hoc insculo præparant stomachum.* IA. *Suibus dignum.* GI. *Dein apponitur paululum carnium de ventre veteris vaccæ, sed elixum ante dies quindecim.* IAC. *Fœtet igitur.* GI. *Maximè: sed adhibetur remedium.* IA. *Quodnam?* GI. *Dicam, sed vereor ne imitaturo* IAC. *Scilicet.* GI. *Miscent ovum aquæ calfactæ, eo iure perfundunt carnem: ita magis falluntur oculi, quam nares. Nam fœtor erumpit per omnia. Si dies requirit esum piscium; interdum apponuntur aurata tres, nec hæ magnæ, quum convivæ sint septem aut octo.* IA. *Prætereà nihil?* GI. *Nihil, nisi caseus ille saxeus.* IA *Novum mihi narras Lucullum. Sed quî potuit tam exilis apparatus tot sufficere convivis, præsertim nullo refectis tentaculo.* GI. *Imò, ne sis insciens, ex eius convivii reliquiis alebantur socrus, nurus, filius natu minor, famula, aliquot parvuli.* IA. *Tu quidem admirationem meam auxisti, non ademisti.* GI. *Istud tibi vix possum describere, nisi prius*

si prius ordinem convivii depinxero. JAC. Pinge igitur. GIL. Antronius obtinebat primum locum, nisi quod ego illi sedebam dexter, velut extraordinarius: è regione Antronii, Orthrogonus: Orthrogono adsidebat Verpius: Verpio, Strategus natione Græcus: Antronio sinister adsidebat filius natu maior. Si quis accessisset conviva, ei locus dabatur pro dignitate. Primum de iure minimum erat vel periculi vel discriminis, nisi quòd in procerum discis natabant fragmenta bubalini casei. Cæterùm ex phialis vini aquæq; fermè quatuor vallum quoddam fiebat, ut nemo posset attingere, quod erat appositum, præter tres, ante quos stabat patina, nisi quis sustinuisset esse impudentissimus, & transilire septa. Nec tamen ea patina diu manebat: sed mox tollebatur, ut aliquid superesset familiæ. JACOB. Quid igitur edebant reliqui? GIL. Suo more delectabantur. JAC. Quî? GIL. Panem illum argillaceum macerabant vino facis vetutissimæ. JA. Tale convivium oportuit esse perbreve. GIL. Frequenter horâ prolixius. JAC. Quî potuit? GILB. Sublatis, ut dixi mox, quæ non carebant periculo, ponebatur caseus, unde nullum erat periculum, ne quisquam ullo cultello esculento, quicquam abraderet. Manebat illa præclara fax, & suum cuique panis. Atque inter hæc bellaria tutò miscebantur fabulæ. Interim prandebat fœminarum senatus. JAC. Quid interim operæ? GIL. Nihil habebant nobiscum commune: suis horis sibi prandebant ac cœnabant. Sed hi cibo capiendo vix semihoram

impendebant toto die. JAC. Verùm apparatus eiusmodi? GIL. Istuc tuum est divinare. JAC. At Germanis vix sufficit hora in ientaculum, tantundem in merendam, sesquihora in prandium, duæ horæ in cœnam, ac nisi affatim expleantur eleganti vino, bonis carnibus ac piscibus, deserunt patronum, & fugiunt in bellum. GILB. Suus cuique gentimos est. Itali minimum impendunt gulæ, pecuniam malunt quàm voluptatem: & sobrii sunt naturâ quoque, non solùm instituto. JACOB. Nunc profectò non miror te nobis redisse tam, exilem sed omninò vivum redisse demiror, præsertim quum antea capis, perdicibus, turturibus & phasianis adsuevisses. GILB. Planè perieram nisi repertum fuisset remedium. JACOB. Malè res agitur, ubi tot remediis est opus. GILB. Effecceram ut mihi iam langueſcenti in singula convivia daretur quarta pars pulli elixi. JAC. Nunc incipis vivere? GIL. Non admodùm. Emebatur pullus exiguus, ne multum impenderetur, cuiusmodi sex non sufficerent uni boni stomachi Polono in ientaculum. Nec empto dabant cibum, ne quid esset impendii. Itaque macie enecti ac semivivi coquebatur ala aut poples: iecur dabatur Orthrogoni filio infanti. Ius autem semel atque iterum ebibebant mulieres, subinde nova infusa aqua. Itaque poples ad me veniebat pumice siccior, & quovis putri ligno insipidior. Ius nihil erat nisi mera aqua. JACOB. Et tamen audio illic avium genus & copiosissimum esse, & elegans & vile. GILB. Est prorsus: sed illis charior est

est pecunia. JA. *Satis dedisti pœnarum, etiamsi Romanum pontificem occidisses, aut si minxisses ad sepulcrum divi Petri.* GIL. *Sed audi reliquum fabulæ. Scis esse in quâque hebdomada quinque dies quibus vescimur carnibus.* JACOB. *Nimirum.* GIL. *Duos itaque pullos duntaxat emebant. Die Iovis se fingebant oblitas emere, ne vel totum pullum eo die apponerent, vel aliquid superesset.* JAC. *Næ iste Antronius superat etiam Euclionem Plautinum. Sed piscariis diebus quo remedio consulebas vitæ.* GILB. *Amico cuidam dederam negotium, ut mihi meo ære in singulos dies emeret ova tria, duo in prandium, unum in cœnam. Sed hîc quoque fœminæ, pro recentibus carè emptis, supponebant semiputria, ut mecum præclarè crederem actum, si ex tribus unum esset, quod edi posset. Tandem & utrem vini purioris meâ pecuniâ emeram: cæterùm mulieres effractâ serâ, intra paucos dies exsorbuerunt, non admodùm irato Antronio.* JACOB. *Itáne nullus erat illîc, quem tui misereſceret?* GILB. *Misereſceret? Imò videbar illis gluto quispiam, & helluo, qui tantum ciborum unus devorarem. Itaque subinde me admonebat Orthrogonus, haberem eius regionis rationem, meæque consulerem incolumitati, & aliquot nostrates commemorabat, quibus illîc edacitas conciliasset aut mortem, aut morbum gravissimum. Cùm is me videret delitiis quibusdam, quas illîc ex nucleis pineis, aut peponum melonúmque venditant Pharmacopolæ, fulcire corpusculum, & assiduis laboribus & inediâ,*

& iam

& iam etiam morbo fractum, suborn at medicum mihi amicum & familiarem, ut persuadeat victus moderationem. Egit hoc mecum diligenter: moxq; sensi subornatum, nec respondi tamen. Cùm idem accuratiùs mecum ageret, nec admonendi faceret finem: Dic, inquam, mihi, vir egregie, seriò isthæc loqueris, an ioco? Seriò, inquit: Quid igitur suades, ut faciam? A cœnis in totum abstine, & vino adde ut minimum, aquæ dimidium. Risi præclarum consilium. Si me cupis extinctum, hoc corpusculo & raro, & exili, & spiritibus subtilissimis, vel semel à cœna abstinere mors esset: id toties ipsâ re compertum habeo, ut non libeat iterum experiri. Quid autem futurum censes, si sic pransus à cœna temperem? Et tali vino iubes addi aquam? Quasi non præstaret puram aquam bibere, quàm fæculentam. Nec dubito, quin hæc te loqui iusserit Orthrogonus. Subrisit medicus, ac mitigavit consilium. Non hæc loquor, inquit, Gilberte doctissimè, quòd in totum arceam te à cœnis: licebit gustare ovum: & semel bibere: sic enim ipse vivo. In cœnam coquitur ovum: inde capio vitelli dimidium, reliquum do filio: mox hausto semicyatho vini, studeo in multam noctem. Jac. Num isthæc vera prædicabat medicus? Gil. Verissima. Nam ipse fortè per viam ambulans, redibam à sacro, & comes admonuerat illîc habitare medicum: libuit videre regnum illius. Erat autem dies Dominicus. Pulsavi fores, apertæ sunt, ascendi, offendo medicum cum filio & eodem famulo prandentem. Apparatus erat duo ova, præterea nihil.

Jac.

JAC. *Oportuit esse exsangues homines.* GIL. *Imò ambo erant pulchrè habito corpore, colore vivido ac rubido, oculis lætis.* JAC. *Vix credibile est.* GILB. *At ego compertissima narro. Nec ille solus ad istum vivit modum: sed complures alii, & imaginibus clari, & re lautâ:* (f) *Polyphagia & Polyposia, crede mihi, consuetudinis res est, non naturæ. Si quis paulatim adsuescat, tandem eò proficiet, ut idem faciat quod Milo, qui bovem eodem die totum absumpsit.* JAC. *Deum immortalem, si tam parvo victu licet tueri valetudinem, quantum impendiorum perit Germanis, Anglis, Danis & Polonis!* GIL. *Plurimum haud dubiè, & quidem non sine gravi tum valetudinis, tum ingenii detrimento.* JAC. *Sed quid obstabat, quò minus tibi sufficeret ille victus?* GIL. *Quia diversis adsueveram, & serum iam erat mutare consuetudinem: quanquam me non tam offendebat ciborum exiguitas, quàm corruptio. Duo ova poterant sufficere, si fuissent recens nata: vini cyathus erat satis, nisi pro vino daretur fæx vapida: dimidium panis aluisset, nisi pro pane daretur argilla.* JAC. *Adeóne sordidum esse Antronium in tantis opibus!* GIL. *Arbitror censum illius non fuisse intra 80. ducatorum millia. Nec ullus erat annus, quo non accederet lucrum mille ducatorum, ut dicam parcissimè.* JAC. *Sed iuvenes illi, quibus hæc parabantur, num eâdem utebantur parsimoniâ?* GILB. *Vtebantur, sed domi duntaxat, foris luriebant, scortabantur, ludebant aleam: quúmque pater in gratiam honestissimorum convivarum gravaretur*

varetur

varetur teruncium impendere, iuvenes interdum unâ nocte sexaginta ducatos perdebant aleâ. JAC. *Sic perire solent, quæ sordibus corraduntur. Verùm è tantis periculis incolumis, quò nunc te confers?* GIL. *Ad vetustissimum Gallorum contubernium, sarturus, quod illîc dispendii factum est.*

(a) Vide proverb. *Rore pascitur.* (b) *Syphar* serpentis exuvium: ita appellatur mirè leve & siccum. (c) *Antronio.* Non homine, sed asino. Vide Chil. (d) *Mercurialem,* ubi mercatorum magna & plurima negotia tractantur. (e) Vide proverbium *à mortuo tributum.* (f) *Polyphagia* edacitas est, & vorandi quædam cupiditas. *Polyposia,* bibacitas.

EXEQVIÆ SERAPHICÆ.

* THEOTIMVS ET PHILECOVS.

PHIL. *Vnde nobis Theotimus novâ religionis facie?* TH. *Quî sic?* PHIL. *Quàm severa frons, oculi in terram defixi, caput in lævum humerum non nihil inflexum, sphærulæ precatoriæ in manibus.* THEO *Si nosse cupis, amice, quæ ad te nihil attinent, è spectaculo venio.* PHIL. *An spectasti funâbulum, aut præstigiarum artificem, aut aliud huic simile?* TH. *Fortasse non ita huic dissimile.* PHIL. *Equidem nunquam antehac vidi quenquam istiusmodi vultu redeuntem è spectaculo.* TH *Sed eiusmodi fuit spectaculi genus, ut si tu interfuisses, fortassis me incederes aliquantò tristior.* PHIL. *Quin tu ergò memoras, quid te tam fecerit religiosum?* TH. *Redeo ab exequiis Seraphicis.* PHIL. *Quid ego audio? Itáne moriuntur & Angeli?* TH. *Non, sed horum*

rum sodales. Cæterùm, ne te diutiùs suspensum habeam, nosti, opinor, hîc apud Pelusios Eusebium, hominem clarum & eruditum. PHIL. Illúmne ex principe privatum, è privato exulem, ex exule tantum, non mendicum, penè addideram sycophantam? TH. Rectè divinasti quem dicam. PHIL. Sed quid illi accidit? TH. Hodie sepultus est. à pompa funebri redeo. PH. Admodùm tristem fuisse oportet, quæ te nobis tam tristem remisit. TH. Vereor ut sine lacrymis queam tibi, quod vidi describere. PHIL. At ego vereor, ut sine risu possim audire. Sed narra obsecro. TH. Scis Eusebium iam dudum fuisse miserâ valetudine. PH. Scio, ante annos aliquot evirato corpusculo. TH. In huiusmodi morbis, qui lentè conficiunt hominem, medici certis præsagiis solent mortis diem prædicere. PH. Maximè. TH. Hi monuerunt hominem, quicquid medicorum ars præstare posset, id omne summâ curâ præstitum esse: Deum quidem potentiorem omni medicorum ope: sed quod humanâ coniecturâ deprehendi quiret, non superesse triduum vitæ. PH. Quid tum posteà? TH. Ibi continuò præclarus Eusebius, defecto corpusculo, totum sanctissimi Francisci amictum induit, raditur, accipit cucullã cinericiam, vestem eiusdem coloris funem nodosum, fenestratos calceos. PHIL. Moriturus? TH. Sic est. Quin & profitetur, voce iam moribundâ, se Christo militaturum iuxta Francisci regulam, si, quod medici desperabant, daret Deus. Ad hanc professionem adhibiti sunt testes, viri sanctimoniâ celebres. In ea veste moritur vir egregius, ad tempus à medicis

præ-

prædictum. Veniunt ex eo sodalitio complures, qui funebrem pompam celebrent. PHIL. Vtinam adfuissem isti spectaculo. THEO. Illacrymasses, si spectasses quâ charitate Seraphici sodales cadaver abluerint, amictum illum sacrosanctum adaptârint, manus in crucis imaginem composuerint, pedes nudarint, & nudatos osculati sint, faciem unguento etiam exhilarârint, iuxta præceptum evangelicum. PHIL. Prodigiosa humilitas. Seraphicos viros agere pollinctores ac vespillones. THEO. Post hæc feretro composuerunt, & iuxta Pauli doctrinam: Alter alterius onera portate: propriis humeris fratres fratrem baiularunt per viam publicam ad monasterium. Ibi solennibus næniis sepelierunt. Cùm venerabilis illa pompa per viam incederet, vidi complures invitis oculis effundere lacrymas, cùm talem virum, quem priùs viderant purpurâ byssóque vestitum, nunc conspicerent in amictu Franciscano fune canabeo cinctum, tam religiosâ specie toto corpore compositum. Nam & mortui caput erat deflexum in humerum, & manus, ut dixi, (a) decussatim compositæ. Cætera item omnia mirificam quandam religionem præ se ferebant. Quin ipsa turba Seraphica cervicibus inflexis, oculis in terram defixis, & næniis adeò lugubribus, ut arbitrer ipsos manes non canere lugubriùs, multis excutiebat lacrymas & singultus. PHIL. Sed habebátne quinq; Francisci vulnera? THEO. Id non ausim affirmare certò. Apparebant in manibus ac pedibus vestigia quædam sublivida, ac vestis in sinistro latere fenestellam

stellam habebat. Verùm non ausus sum oculos acriùs intendere quòd affirment, in huiusmodi rebus curiositatem multis fuisse exitio. PHIL. *Sed nullósne illîc sensisti ridentes?* THEO. *Sensi: verùm eos suspicor hæreticos esse, quorum hodie plenus est mundus.* PHIL. *Vt simpliciter tecum fabuler, mi Theotime, vix ipse valuissem à risu temperare, si isti spectaculo adfuissem.* THEO. *Faxit Deus, ne tu sis istius fermenti contagio corruptus.* PHIL. *Nihil hinc periculi est, optime Theotime, ego à puero religiosè beatum Franciscum, iuxta mundum nec doctum nec sapientem, sed profundâ mundanorum affectuum mortificatione Deo charissimum, semper animo sum veneratus, cúmque hoc omnes, qui ingressi illius vestigiis, ex animo student, mundo mortui, Christo vivere. Nam vestem nihil moror: sed lubens ex te didicero, quid vestis conferat mortuo.* THEO. *Margaritas non esse porcis obiiciendas, nec sanctum dandum canibus, scis ab ipso Domino præceptum esse. Proinde si ridendi causâ percontaris, nihil ex me audies: sin simplici discendi studio, libens impartiam, quod ab illis didici.* PHIL. *Profiteor discipulum & attentum, & docilem, & benevolum.* THE. *Principio scis quosdam usq; adeò ambitiosos, ut nõ sat habeant superbè & insolenter vixisse, nisi & ambitiosè sepeliantur mortui. Non sentiunt exanimes, sed tamen viventes imaginatione quadam futuræ pompæ voluptatem aliquam ac fructum percipiunt. Hoc quicquid est affectus, abdicare, non negabis, opinor, aliquam pietatis partem.*

PHIL. *Fateor, si fastus exsequiarum non valeat alia ratione devitari. Sed mihi videtur modestius, si princeps exanimis involvatur linteo vili, ac per plebeios vespillones, in vulgari cœmiterio, inter plebeia cadavera sepeliatur. Nam qui sic efferuntur, quemadmodum elatus est Eusebius, mutasse fastum videntur verius, quàm vitasse.* THEO. *Deo gratum est: quicquid bono fit animo. Illius autem est iudicare, hominis. Verùm quod dixi, leve est, sunt alia graviora.* PHIL. *Quæ?* THEO. *Profitentur antè mortem Francisci regulam.* PHIL. *Videlicet ut eam servent in campis Elysiis.* THEO. *Non, sed hîc, si revalescant. Et fit aliquoties, ut medicorum sententiis damnati, simul ut sacrosanctam vestem induerint, ope Dei reviviscant.* PHI. *Idem sæpenumerò usu venit in his, qui vestem eam non induunt.* TH. *Oportet simpliciter in via fidei ambulare, si nihil esset eximii fructus in hac re, non ambirent, præsertim apud Italos, genere & literis nobiles plurimi, ut in amictu sacrosancto sepeliantur. Ac, ne repudies ignotorum hominum exempla, sic sepultus est ille, cui tu meritò plurimum tribuis, Rodolphus Agricola, sic nuper Christophorus Longolius.* PHIL. *Mea nihil refert, quid delirent homines, cùm agunt animam: ex te doceri cupio quid magni boni conferat, hominem metu mortis attonitum, ac certâ vitæ desperatione perturbatum, profiteri aut vestiri. Quid? quòd vota sunt irrita, nisi fiant animo sano sobrióque, maturâ deliberatione, sublato metu, dolo, aut vi? ut horum nihil sit, professio talis non obligat, nisi*

post annum probationis, quo gestare iubentur tunicam cum caperone: sic enim loquitur vir ille Seraphicus. Itaque, si reviviscant, duplici nomine non tenentur. Neque enim votum est quod ab attonito fit metu mortis, ac spe vitæ: neque professio obligat ante caperonem gestatum. THEO. Utcunque habet obligatio, illi certè putant se obligari, & illa totius voluntatis addictio non potest Deo non esse gratissima. Siquidem hoc est in causa, ut bona opera monachorum, etiamsi demus cætera paria, gratiora sint Deo quàm aliorum, quòd ex optima radice proficiscantur. PHIL. Non excutiam hîc, quanti momenti sit, hominem totum se Deo addicere, cùm iam sui iuris non est. Ego arbitror unumquemque Christianum se totum addicere Deo in baptismo, cùm renunciat omnibus pompis & voluptatibus Satanæ, datq; nomen imperatori Christo: posthac illi per omnem vitam militaturus. Et Paulus agens de his, qui Christo commoriuntur, ut iam sibi non vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, non loquitur propriè de monachis, sed de universis Christianis. THEOT. Opportunè meministi baptismi: sed olim tingebantur, aut aspergebantur agentes animam, quibus tamen dabatur spes æternæ vitæ. PHIL. Quid Episcopi promiserint, non ita magni refert: quid Deus præstare dignetur, nobis incertum est. Si certum fuisset, tales aspergine aquulæ repentè fieri cives cœli, quæ maior poterat aperiri fenestra, ut homines mundo dediti studio per omnem vitam servirent impiis

cupiditatibus, ac tum demum adhiberent aspersiunculam, quum iam amplius peccandi facultas non esset? Quod si tali baptismo similis est ista professio, præclarè consultum est impiè viventibus, ne pereant, hoc est, Satanæ vivant, Christo moriantur. THEO. *Imò, si fas est aliquid ex Seraphicis mysteriis prodere, efficacior est illorum professio, quàm baptismi.* PHIL. *Quid audio?* THEO. *In baptismo tantùm proluuntur crimina, restat anima pura. sed nuda: hic qui profitetur, statim ditatur totius ordinis egregiis meritis, nimirum insitus corpori sanctissimæ sodalitatis.* PHIL. *Itáne qui per baptismum inseritur corpori Christi, nihil accipit, nec à capite, nec à corpore?* THEO. *Nihil à Seraphica massa, nisi beneficentiâ aut favore promereatur.* PHIL. *Quis angelus hoc istis revelavit?* THEO. *Non angelus, ô bone, sed ipse Christus ore proprio, hoc aliáque permulta beato Francisco præsens præsenti patefecit.* PHIL. *Obsecro te per amicitiam nostram atque obtestor, ne me graveris istis impartiri sermonibus.* THEO. *Sunt reconditissima mysteria, nec fas est ea profanis communicare.* PHIL. *Quî profanus, amicè, qui nulli unquam ordini meliùs voluerim quàm Seraphico?* THEO. *Sed interdum vellicas eos odiosiùs.* PHIL. *Hoc ipsum, Theotime, amoris argumentum est, quum eum ordinem nulli graviùs lædant, quàm qui sub illius umbra turpiter vivunt: quisquis optimè vult ordini, necesse est, ut illius corruptoribus maximè succenseat.* TH. *At vereor, ne Franciscum iratum habeam, si quid arca-*

arcanorum effutiero. PHIL. Quid mali metuis ab innocentissimo viro? THEO. Quid? ne me exoculet, aut ne mihi mentem adimat, quomodo multos tractasse dicitur, qui reclamarunt illius quinq; vulnerum vestigiis. PHIL. Itáne divi peiores sunt in cœlo, quàm fuerint in terris? Audio Franciscum adeò fuisse miti ingenio, ut cùm pueri per viam incedenti caseum, lac, rudera ac lapides immitterent in rusticanam cucullam, à tergo pendentem, nihil offenderetur: sed hilaris incederet & gaudens: & nunc factus est iracundus ac vindex? Alio die cùm à socio audisset fur, sacrilegus, homicida, incestus, ebriosus, & quicquid criminum in scelerosissimum quemvis congeri potest, confractus egit gratias, confessus illum nihil esse mentitum. Miranti socio cur ita loqueretur: Hæc, inquit, omnia, & his sceleratiora patraram, nisi me numinis favor servasset. Vnde igitur nunc factus est vindex? THEO. Sic est, divi in cœlo regnantes lædi nolunt. Quid Cornelio mitius? Quid Antonio mansuetius? Quid Joanne Baptista patientius? dum viverent. At nunc quàm horrendos morbos immittunt, nisi legitimè colantur? PHIL. Citiùs crediderim illos adimere morbos, quàm immittere. Sed quod mihi dixeris, nec profano commiseris, & tacituro credideris. THEO. Agè, tuâ fretus fide, dicam, quod quidem ad hanc rem attinet. Obsecro te, Francisce, ut te tuísque sodalibus propitiis, sit mihi fas audita loqui. Scis Paulo fuisse sapientiam reconditam, quam non palàm, sed occultè loquebatur inter perfectos. Sic

habent & illi quædam arcana, quæ non evulgant apud quoslibet: sed beatis viduis, aliisque piis & sedulis, benè volentibus gregi Seraphico, privatim impartiunt. PHIL. Expecto (b) τεισαγίας ἀποκαλύψεως. THEO. Principiò Dominus prædixit patriarchæ Seraphico futurum, ut quò grex Seraphicus magis increbresceret, hoc illi pabulum abundantius suppeditaret. PHIL. Hìc protinùs adempta est omnis querela iis, qui dictitant, hoc hominum genere indies increbrescente, gravari populum. THEO. Deinde aperuit & hoc quod quotannis in die illi festo omnes animæ non modò fratrum, qui sacrosanctum illum gestant habitum, verùm etiam ordini benè cupientium, ac de ipsius sodalibus benè merentium, ab igni purgatorio liberarentur. PHIL. Tam familiariter Christus cum illo fabulatur? THEO. Quidni? ut cum amico & sodali, quemadmodum Deus pater fabulabatur cum Mose. Moses à Deo traditam legem tulit ad populum, Christus legem Evangelicam promulgavit, Franciscus legem suam, angeli manibus bis descriptam, tradidit Seraphicis fratribus. PHIL. Expecto tertiam Apocalypsim. THEO. Verebatur egregius ille Patriarcha, ne bonum semen, quod seminatum erat, noctu vitiaret ille malus, & ita cum zizania revelleretur & triticum. Hunc scrupulum exemit illi Dominus, promittens illi sibi curæ futurum, ne deficeret semicalceatorum ac cinctorum funè populus usque ad extremum iudicii diem. PHIL. O Domini clementiam! Alioqui fuerat actum de Ecclesia

Dei.

Dei. Sed perge. THEO. Quarto loco reseravit illud, quòd nullus impiè vivens, diu perseverare posset in eo ordine. PHIL. An non defecit ab ordine quisquis impiè vivit? THE. Non: neq; enim Christum statim abnegavit, qui sceleratè vivit: quanquam aliquo modo negant Deum qui ore profitentes factis negant. Sed quisquis abiicit sacrosanctum habitum, is irreparabiliter defecit ab ordine. PHIL. Quid igitur dicemus de tot monasteriis conventualium, qui pecunias habent, qui potant, ludunt aleam, scortantur, & palàm alunt domi concubinas, ne plura commemorem? THEO. Franciscus nunquam gestavit vestem tali colore nimiùm fusco, nec usus est cingulo è lino candido confecto. Proinde illis, ubi pulsarint ostium, dicetur, Nescio vos, eò quòd non habent vestem nuptialem. PHIL. Est ne amplius? THEO. Nihil adhuc audisti. Quinto loco patefecit illi, quòd qui malè vellent ordini Seraphico, quales heu nimiùm multi sunt, nunquam pervenirent ad dimidium ætatis à Deo præfinitæ, nisi mortem anticipassent: sed omnes pessimâ morte quàm ocyssimè perituros. PHIL. Vidimus istuc, cùm in aliis multis aliàs, tum nuper in Matthæo cardinale Sedunensi: de semicalceatis pessimè & loquebatur & sentiebat: periit priùs, quàm, opinor, attingeret quinquagesimum annum. THEO. Rectè quidem dicis: sed ille læserat etiam Cherubicum ordinem. Nam huius operâ potissimùm effectum prædicant: ut Bernæ quatuor illi Dominicani traderentur flammis, quum alioqui pontificis animum pecuniâ fuerint

expugnaturi. PHI. *Sed aiunt illos prodigiosæ impietatis orsos fabulam. Fictis visionibus ac miraculis agebant, ut persuaderent, Virginem matrem fuisse contaminatam labe originali, divum Franciscum non habuisse vera Christi vulnerum vestigia, ea verius habuisse Catharinam Senensem: sed perfectissima pollicebantur laico converso, quem ad hanc fabulam agendam subornaverant: & ad hanc impostoram abutebantur corpore Domini, postremò etiam fustibus & venenis: denique prædicant hanc telam non fuisse unius monasterii, sed totius ordinis procerum.* THEO. *Utcunque ista habent, non temere dictum est à Deo: Nolite tangere Christos meos.* PHIL. *Expecto, si quid supersit.* THEO. *Superest Apocalypsis sexta, quâ Dominus iuravit illi, futurum, ut fautores ordinis Seraphici, quantumvis impiè viverent, tamen aliquando Domini misericordiam consequerentur, & sceleratam vitam beato fine clauderent.* PHIL. *Etiámne si in adulterio deprehensi occiderentur?* TH. *Quod Dominus promisit, non potest non esse ratum.* PHIL. *Sed quibus tandem rebus illi metiuntur favorem ac benevolentiam?* TH. *Oh, dubitas? qui dat, qui vestit, qui culinam instruit, iam dudum amat.* PHIL. *Non amat, qui monet, qui docet?* TH. *Hæc ipsis domi abundant: & huius generis beneficia solent aliis largiri: non ab aliis accipere.* PHIL. *Plus ergo Dominus promisit Francisci discipulis, quàm suis. Sibi quidem patitur imputari, si quid ipsius respectu benefiat cuilibet Christiano: sed non promittit*

malè

malè viventibus vitam æternam. THEO. *Nec mirum, amice. Nam extremus Evangelii vigor servatus est huic ordini. Sed audi iam septimam apocalypsim, eamq; postremam.* PHIL. *Hic sum.* THEO. *Juravit illi Dominus, neminem malè moriturum, qui in habitu Seraphico moreretur.* PH. *At quid appellas malè mori?* THEO. *Is malè moritur, cuius anima relicto corpore, rectà defertur ad tartara, unde nulla est redemptio.* PHIL. *Vestis igitur non liberat ab igne purgatorio?* THE. *Non, nisi quis moriatur in ipso festo beati Francisci. Verùm, an tibi parum videtur, tutum esse à tartaro? Maximum ego quidem arbitror.* PHIL. *Sed quid de his sentiendum, quibus iam mortuis induitur sacra vestis? Non enim in ea moriuntur.* THE. *Si vivi hoc petierunt, voluntas habetur pro facto.* PHIL. *At ego cùm agerem Antuerpiæ, adfui cum cæteris cognatis matronæ cuidam agenti animam, aderat Franciscanus, vir admodùm venerabilis. Is ubi videt mulierem iam oscitantem, alterum brachium illius inseruit suæ vesti, sic, ut etiam aliquam humeri partem tegeret. Ibi quidam dubitabant, utrum tota mulier esset tuta ab inferorum portis, an pars contecta.* THEO. *Tota erat tuta, non aliter, quàm in baptismo pars hominis tingitur aqua, totus tamen Christianus redditur.* PH. *Mirum cacodæmones tantoperè horrere vestem illam.* THEO. *Magis horrent, quàm crucem Domini. Cùm efferretur Eusebius, vidi (non solus tamen) agmina nigrorum dæmonum, muscarum instar,*

ſtar aſſultantium ad corpus : nullus tamen audebat attingere. PHIL. *At interim facies, manus, pedes erant in periculo, quippe nudi.* THEO. *Vt ſerpentes nec umbram fraxini, licet porrectam longiùs, ferre poſſunt, ita dæmones virus illud ſacræ veſtis etiam procul ſentiunt.* PHIL. *Proinde non arbitror talia corpora putreſcere, alioqui plus animi eſſet vermibus, quàm cacodæmonibus.* THEO. *Veriſimile narras.* PHIL. *Quàm fortunati pediculi, qui in tam divina veſte perpetuò vivunt. Cæterùm quum veſtis deferatur ad ſepulcrum, quid eſt, quod tuetur animam?* THEO. *Veſtis umbram ſecum defert : ea tutam reddit adeò, ut negent quenquam illius ordinis venire in purgatorium ignem.* PHIL. *Næ ego iſtam apocalypſim, ſi vera narras, pluris facio, quàm illam Ioannis. Hæc enim expeditam ac facilem oſtendit viam, quâ cuivis liceat citra ſudorem, citra moleſtiam, citra pœnitentiam, mortem æternam effugere, totâ vitâ ſuaviter peractâ in delitiis.* THEO. *Aſſentior.* PHIL. *Iam igitur mirari deſino, ſi plerique Seraphicis ſodalibus plurimũ tribuant, verùm non queo ſatis admirari, non deeſſe, qui non vereantur illis oppedere.* TH. *Nimirum iſtos ſcias, quotquot videris, traditos in reprobum ſenſum, ſuaq; malitiâ excæcatos.* PHI. *Poſthac ero cautior, daboq; operam, ut in ſacroſancta veſte moriar. Verùm exſtiterunt hoc ſeculo quidam, qui docent, hominem ſolâ fide iuſtificari, nullo operum præſidio : maximum igitur privilegium ſit, ſi veſtis beet abſque fide.* THEO. *Non ſimpliciter*

pliciter absque fide, ne quid erres (c) Philætie. Satis autem est credere, hæc, quæ diximus, esse promissa à Christo patriarchæ Francisco. PHIL. *Vel Turcam igitur servabit vestis?* THEO. *Vel ipsum Satanam, si se patiatur indui, & fidem habeat apocalypsi.* PHIL. *Iam dudum me tuum feci: sed unum atq; alterum scrupulum mihi cupiam per te eximi.* THEO. *Dic.* PHIL. *Audivi, Franciscum suum appellare institutum Evangelicum.* THEO. *Verum.* PHIL. *Sed Evangelii regulam profitentur omnes Christiani, meâ quidem sententiâ. Quod si istorum institutum est Evangelicum, oportet, quotquot Christiani sunt, eosdem esse Franciscanos. Et in his primas tenebit Christus cum Apostolis & sanctissima matre.* THEO. *Convinceres tu quidem, nisi Franciscus quædam addidisset Evangelio Christi.* PHIL. *Quæ?* THEO. *Vestem cinericiam, funem canabeum, & pedes nudos.* PHIL. *Istis igitur notis dignoscimus Evangelicum à Franciscano?* THEO. *Differunt & contactu pecuniæ.* PHIL. *Verùm, ut audio, Franciscus recipi vetat, non attingi. Recipit autem vel dominus, vel procurator, vel creditor, vel hæres, vel mandatarius. Et si numeret chirothecâ munitus, nihilominus recepisse dicitur. Unde igitur hoc novum interpretamentum. Ne recipiant, id est, ne contingant?* THEO. *Sic interpretatus est Benedictus Pontifex.* PHIL. *At non ut pontifex, verùm ut Franciscanus. Alioqui nónne qui sunt observantissimi, cùm peregrinantur accipiunt*

linteolo

linteolo numos? THEO. *Faciunt, cùm urget necessitas.* PHIL. *At mori satius est, quàm violare regulam plusquàm Evangelicam. Deinde nónne passim recipiunt per suos procuratores?* THEO. *Quid ni? Etiamsi dentur aliquot millia, id quod non rarò accidit.* PHIL. *At regula dicit, neque per se, neque per alios.* THEO. *At non contingunt.* PHIL. *Ridiculum: si contactus impius est, etiam per alios contingunt.* THEO. *Verùm non est illis cum procuratoribus actio.* PHI. *Non est? Experiatur hoc qui velit.* THEO. *Christus non legitur usquam contigisse pecuniam.* PHIL. *Esto: sed probabile est, Christum adolescentulum, crebro parentibus emisse oleum, acetum, olera. Sed extra controversiam Petrus & Paulus contrectârunt. Non est in contactus fuga laus pietatis, sed in contemptu. Vini contactus multò periculosior est, quàm pecuniæ: cur non horrent ibi periculum?* THEO. *Quia Franciscus non prohibuit.* PHIL. *Nónne porrigunt manus suas otio molliculas, & pulchrè lotas, fœminis salutantibus, & nummo fortè inspiciendi causâ oblato, resiliunt ac se muniunt signo crucis? papè, papè, quàm Evangelicè! Equidem puto Franciscum, licet omnis literaturæ rudem, non adeò desipuisse; ut vetuerit qualemcunque pecuniæ contactum. Et tamen si id sensit: quanto periculo suos exposuit, quos iussit nudis pedibus incedere? Vix enim vitari potest; quin aliquando impudentes calcent nummum humi iacentem.* THEO. *Verùm non tangunt manibus.* PHIL. *An*

tactus

tactus non est sensus toti corpori communis? THE. Est, atque etiam si quid tale usu veniat, non sacrificant nisi confessi. PHIL. Religiosè. THEO. Verùm omissis cavillationibus dicam id, quod res est. Pecunia multis est eritq; maximorum malorum occasio. PHIL. Fateor: sed tamen aliis est multorum bonorum materia. Divitiarum amorem lego damnatum, pecuniam damnatam nusquam lego. THEO. Rectè dicis. Sed quò longiùs absint ab avaritiæ morbo, sic prohibitus est contactus, quemadmodum in Evangelio vetamur iurare, ne incidamus in periurium. PHIL. Quin igitur vetitus est adspectus? THEO. Quia facilius est continere manus, quàm oculos. PHIL. Et tamen per illas fenestras ingressa est mors. THEO. Et ideo qui germani Franciscani sunt, ultra supercilia deducunt cucullam, tectisq; & in terram defixis oculis incedunt, ne quid videant præter viam: quod idem videmus in equis, currus onustos trahentibus, utrinque corium capistro additum non sinit eos quicquam videre, nisi quod ante pedes est. PHIL. Verùm agè dic mihi, est ne hoc verum, quod audio in regula vetitum, ne quod indultum impetrent à pontifice? THEO. Est. PHIL. Atqui audio nullum hominum genus pluribus instructum indultis, adeò ut liceat illis homines ipsorum sententiâ damnatos, vel veneno necare, vel vivos defodere, citra ullum irregularitatis periculum. THEO. Non est vana fabula, quàm audisti. Nam mihi narravit vir minimè mendax Polonus, se obdormisse

potum

potum in templo Franciscanorum, in his angulis, in quibus sedent fœminæ per laminas foraminosas confitentes. Experrectus cantu nocturno, non ausus est se prodere. Decantatis ex more nocturnalibus, totus fratrum chorus descendit in ædem inferiorem: ibi erat parata fossa benè lata, benéque profunda. Stabant duo iuvenes revinctis à tergo manibus. Habita est concio de laude obedientiæ: promissa est apud Deum omnium commissorum venia. Nonnulla etiam spes iniecta, fore, ut Deus fratrum animos flecteret ad misericordiam, si sponte descenderent in foveam, séque supinos reponerent. Factum est: subductisq; scalis, omnes simul iniecêre terram. PHIL. Sed siluítne interim ille spectator? THEO. Maximè tum quidem, nimirum metuens, ne, si se prodidisset, tertius adderetur fossæ. PHIL. Etiamne hoc illis licet? THEO. Licet quoties periclitatur decus ordinis. Nam ille simulatq; evasisset, passim in omnibus conviviis narrabat, quæ viderat, magnâ Seraphicæ gentis invidiâ. Nónne præstiterat vivum sepeliri? PHIL. Fortasse. Verùm his subtilitatibus omissis, quî fit, ut quum patriarchæ iusserit incedi nudis pedibus, nunc maximè incedant calceis fenestratis? THEO. Duabus de causis præceptum hoc mitigatum est: altera est, ne per imprudentiam tangant pecuniam: altera, ne frigus lædat, aut spina, aut serpentes, aut silices, aut aliud simile, quum illis sit per universum terrarum orbem obambulandum. Cæterùm ut id

fiat

fiat inviolatâ regulæ maiestate, fenestra calcei pedem nudum ostendit, per (d) synecdochen. PHIL. Prædicant se profiteri perfectionem evangelicam, quam aiunt constare consiliis evangelicis, de quibus inter eruditos magna digladiatio est. Et in unoquoque vitæ statu, locus est perfectioni evangelicæ. Sed quid omnium maximè perfectum tibi videtur inter Evangelii præcepta? THEO. Arbitror totum illud, quod prodidit Matthæus capite quinto, cuius hæc est clausula: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui vos oderunt, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. PHIL. Commodè respondisti. Sed pater ille dives est, ac munificus in omnes, nec mendicat à quoquam. THEO. Munifici sunt & illi, sed opum spiritualium, hoc est, precum & bonorum operum, quibus opulenti sunt. PHIL. Vtinam sint inter illos exempla charitatis Evangelicæ, quæ maledicta benedictis, iniuriam beneficio pensat! Quid sibi vult illa tam celebris Alexandri Pontificis vox? Tutius esse regem, quamlibet potentem, lædere, quàm quemlibet ex ordine Franciscanorum aut Dominicanorum. THEO. Ordinis læsam dignitatem vlciscifas est, & quod uni ex minimis malè fit, fit toti ordini. PHIL. At cur non potiùs, quod uni benè fit, fit toti ordini? Et cur

non

non unus Christianus læsus, totum Christianismum ad vindictam provocat? Cur toties cæsus ac lapidatus Paulus, non inclamavit suppetias adversus apostolicæ dignitatis violatores? Jam si, iuxta Domini sententiam, beatius est dare, quàm accipere: utique perfectior est, qui benè vivens ac docens de suo dat egentibus, quàm qui tantùm accipit. Alioqui frustrà Paulus gloriatur, quod gratis prædicaverit Evangelium. Atque hic videtur esse præcipuum illius laudatæ addictionis experimentum, si convitiis impetiti non incandescant, si in malè merentes charitatis adfectum obtineant. Quid magni est, si quis aliquid facultatum relinquat, de alieno victurus aliquantò lautiùs, quum sibi servet ulciscendi cupiditatem? Cinctorum fune, semicalceatorum ubique est magna copia: hæc qui præstet, quæ perfecta Dominus vocat, quæ Apostoli constanter exhibuerunt, inter istos nimiùm rara est avis. THEO. *Non ignoro, quas fabulas impii quidam de illis spargant: sed ego sic adfectus sum, ut ubicunque videro illam sacrosanctissimam vestem, putem adesse angelos Dei, eamq; domum esse felicem, cuius limen crebrò teritur illorum pedibus.* PHIL. *Et ego arbitror pauciores esse steriles fœminas, ubi illi agunt familiariter. Sed mihi propitius sit Franscus, Theotime, qui hactenus tanto in errore sim versatus. Existimabam istorum vestem nihil aliud esse, quàm vestem, nec per se meliorem veste nautæ aut calcearii, nisi utentis sanctimoniâ commendaretur: quemadmodum Christi vestis contacta sanavit*

navit hæmorrhoussam. Alioqui dubitabam, utrum textor an vestiarius, eam vim dedisset vesti. THE. Haud dubiè qui formam dat, dat vim. PHIL. Posthac ergò vivam suaviùs, nec me macerabo metu inferorum, aut confessionis tædio, aut cruciatu pœnitentiæ.

* *Theotimus*, qui Deum veneratur & colit. *Philecous* audiendi cupidus, famæ investigator. (a) *Decussatim*, id est, in formam crucis, quàm vulgo Andreæ vocant. (b) Id est, ter sanctas revelationes. (c) *Philatius*, qui causas exquirit aut libenter causatur. (d) Per synecdochen pars ponitur pro toto: sic Franciscanorum pars pedis denotatur pro toto scilicet pede.

AMICITIA.

(a) EPHORINVS, JOANNES.

EPH. *Sæpenumerò mecum admirari soleo, quem* (b) *Deum in consilium adhibuerit natura, cùm in omni rerum genere misceret* (c) *amicitias & inimicitias quasdam arcanas, nec ullis causis evidentibus probabiles, nisi quòd hoc spectaculo videtur fuisse delectata: quemadmodum nos ex* (d) *commissis inter se gallis gallinaceis & coturnicibus, voluptatem capimus.* IOAN. *Nondum satis percipio, quid velis dicere.* EPHO. *Dicam igitur, si vis, crassiore Minervâ,* (e) *Scis serpentium genus esse inimicum homini?* IOAN. *Scio, vetus inter illos & nos esse dissidium & irreconciliabile, futurumq; donec meminerimus illius* (f) *inauspicati pomi.* EPH. *Nosti lacertam?* IOAN. *Quidni?* EPH. *Italia magnas habet & virides. Hoc animal naturâ & homi-*

mini amicum est, & serpentibus inimicum. IOAN. *Vnde hoc deprehenditur?* EPH. *Vbicunq; prospicit homo, ibi congregantur lacertæ, obliquato capite diu contemplantes hominis faciem: si expuas elambunt (g) salivam ore redditam: vidi & puerorum mictum exsorbentes. Quin & puerorum manibus tractantur impune, atque etiam læduntur, & admotæ ori gaudent salivam lambere. Cæterùm si comprehensæ inter se committantur, dictu mirum quàm in sese sæviant, nec appetunt committentem. Si quis in agris ambulet per viam (h) cavam, nunc hinc, nunc illinc strepitu dimoti rubi admonent hominem: insuetus crederet serpentem esse: ubi dispexeris, lacertæ sunt, obliquato capite contemplantes, donec consistas, si pergas, sequentes. Rursus aliud agentem admonent. Diceres eas ludere, vehementerq; delectari hominis adspectu.* IOAN. *Mira narras.* EPHO. *Quodam die vidi prægrandem & mirè viridem in ostio cavi decertantem cum serpente. Primùm mirabamur quid esset rei: nam serpens nobis non erat conspicuus. Italus admonebat, in antro esse hostem: paulò post venit ad nos lacerta, velut ostendens sua vulnera, ac remedium flagitans, segq; tantùm non tangi patiebatur: quoties autem restabamus, restabat & illa, nos contemplans. Serpens alterum latus penè totum eroserat, & ex viridi rubrum fecerat.* IOAN. *Mihi, si adfuissem, libuisset ulcisci lacertæ vicem.* EPHO *At hostis iam se in profundum antrum abdiderat: post aliquot tamen dies (1) pavimus*

oculos

oculos nostros vindictâ. IOAN. *Gaudeo profectò, sed quo pacto?* EPHO. *Fortè inambulabamus per eundem locum. Serpens è fonte vicino biberat: Erat enim æstus* (k) *prodigiosus, adeò ut nos quoq; aquæ inopia periclitaremur. Cõmodùm occurrit ex agris puer, natus annos tredecim, eius domus filius, in qua tum metu pestilentiæ Bononia profugi rusticabamur, gestans* (l) *rastrum, quò fœnum demessum convertunt agricolæ, simul ut serpentem vidit, exclamat.* IOAN. *Metu fortasse.* EPH. *Nequaquam, imò gaudio, veluti insultans deprehenso hosti. Ferit rastro: serpens se contrahit: ille non facit feriendi finem, donec contrito capite serpens in longum porrigitur. Nam hoc non faciunt nisi morientes. Inde est, quem frequenter audisti, apologus de cancro, qui serpentem hospitem occidit; ubi porrectum videt: Sic, inquit, vivum incedere oportuit.* IOAN. *O factum benè! Quid tum?* EPHO. *Puer arreptum rastro suspendit è frutice supra antrum. Ibi diebus aliquot vidimus frondes sanie tinctas. Eius ruris agricolæ pro comperto nobis aliud quiddam mirabile referebant. Agricolæ nonnunquam fessi obdormiunt in agro, atque illic interdum habent* (m) *urceum lactis, in cibi simul & potus usum. Serpentes summoperè* (n) *lacte capiuntur. Itaque non rarò fit, ut in vas illabantur, ei malo paratum habent remedium.* IOAN. *Quod obsecro?* EPHO. *Summum testæ* (o) *os allio circumlinunt. Is odor deterret serpentes.* IO. *Quid igitur sensit* (p) *Horatius cum scriberet allium*

venenum cicutis nocentius, quum sit, ut ais, adversus venena remedium? EPHO. *Sed audi quod est durius: interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis coniiciunt sese, & in stomachum sese convolvunt.* IO. *An non protinus exanimatur homo, talem nactus hospitem?* EP. *Non: sed adfluctissimè vivit: nec est ullum mali levamen, nisi ut lacte, aliisq; gratissimis serpenti cibis, alat hospitem.* IO. *Nihil remedii adversus tantum malũ?* EP. *Comesum affatim allium.* IO. *Non mirum igitur, si (q) messores gaudent allio.* EP. *Et aliâs medetur (r) delassatis labore & æstu. Verùm in hoc discrimine non rarò lacerta, quamvis pusilla, servat hominem.* IO. *Quî potest?* EP. *Vbi sensit serpentem insidiari, circumcursat per collum & faciem hominis, nec finem facit, donec pruritu scalptuq; unguium excitetur. Porrò qui expergiscitur, conspectâ in propinquo lacertâ, mox intelligit (s) hostem alicubi esse in insidiis, ac circumspiciens deprehendit.* IO. *Mira naturæ vis.* EP. *Jam nullum est animal inimicius homini, quàm Crocodilus, qui sæpenumerò totos homines devorat, & (t) arte malitiam adiuvat, hausta aqua lubricans semitas, quibus descendunt ad Nilum aquam hausturi, quò collapsos devoret. Negate fugit, delphinum etiam in diverso elemento natum (u) φιλάνθρωπον esse.* IO. *Audivi (x) fabulam de adamato puero celebrem, (y) celebriorem autem de Arione.* EP. *Quin & in (z) venatu mugilum, piscatores delphinorum mixisterio vice canum utuntur, qui acceptâ prædæ portiunculâ recedunt. Quin & castiga-*

castigari sese patiuntur, si quid in venatu deliquerint. In mari verò frequenter navigantibus apparent gaudio gestientes, & in summis undis lusitantes: interdum adnatantes ad navim, nonnunquam & tensa vela transilientes. Adeò delectantur hominum consuetudine. Verùm ut hominum est studiosus delphinus, ita Crocodilo capitalis est hostis. Egreditur mare, & in Nilum, in quo regnat Crocodilus, audet venire congressurus cum dentibus, unguibus & squamis, ferro etiam impenetrabilibus, armata bellua, ipse nec ad morsum satis instructus, quippè os habens ad (1) pectus usque tergens. Sed impetu fertur in hostem, ac iam illi proximus repente submittit sese, erectisque in tergo pinnis mollia ventris perscindit, aliàs invulnerabili. IOAN. Mirum est, quodque animal statim agnoscere hostem suum, etiam nunquam antea visum, sciréque & cur impetatur, & qua lædi, aut sese tueri possit: quum hoc homini sit negatum, qui ne (2) basiliscum quidem horreret, nisi admonitus, malóve doctus. EPHO. Scis equum animal obsequiis hominum natum? Huic capitale dissidium est cum urso, homini noxia bestia. Agnoscit hostem nunquam visum, ac protinùs se parat ad pugnam. IO. Quibus armis pugnat? EP. Arte potiùs, quàm viribus. Transilit ursum, & in ipso saltu posteriores calces impingit in caput. Atque ursus interim unguibus scalpit equini ventris mollia. Aspis homini venenum est immedicabile: cum hac belligeratur (3) ichneumon. Idem exitialis

hostis crocodilo. Similis (4) affectus est elephantis erga hominem: nam & viatorem, simpliciter errantem, clementer reducunt in viam, & agnoscunt, amantq; doctorem suum. Feruntur & exempla devoti amoris erga certos homines. Siquidem unus adamavit in Ægypto mulierculam corollas vendentem, Aristophani grãmatico charam. Alius Monandrum Syracusanum adolescentem sic amãvit, ut desiderium illius, quoties non videret, inediâ testatus sit. Sed ne hæc, quæ plurima commemorantur, referre pergamus: cum Bocchus rex in triginta quosdam sævire decrevisset, eos totidem elephantis obiecit stipitibus alligatos. Cúmque immissi essent, qui inter elephantos procursantes eos lacesserent, nunquam efficere potuerunt, ut seregiæ crudelitatis ministros præberent. Atqui huic animanti φιλανθρώπῳ bellum exitiale est cum draconibus Indicis, qui feruntur esse maximi, ut frequenter in pugna pereat uterque. Porrò draco inimicus est homini, etiam non lacessitus. Simile dissidium est aquilæ (5) cum draconibus minoribus, cum homini sit innoxia, imò cùm feratur etiam (6) amatorios ignes sentire erga certas puellas. Eidem autem bellum internecinum est cum (7) Cyminde, id est, nocturno accipitre. Elephantus odit etiam murem, animal homini quoque molestum, eoq; abhorret à pabulo, in quo murem conspexerit. Nec causa liquet, cur oderit. Nam hirudinem meritò horrent, quòd eâ in potu haustâ gravissimè discrutientur. Jam vix ullum animal ami-

cius homini, quàm canis: nec inimicius, quàm lupus, ut quod adspectu quoq; (8) vocem adimat: & inter hæc summa discordia est, quemadmodum ovium generi lupus infestissimus, quod totum pendet à providentia hominum, quorum præcipua cura est tueri animal innoxium, & alendo homini natum: in lupum verò, velut in publicum humani generis hostem, armantur omnes, præcipuè canum commilitio: quæ res etiam proverbio fecit locum: (9) Non magis parcemus, quàm lupis. Lepus (10) marinus immedicabile est homini venenum, si quis imprudens gustaverit: at rursus hominis contactus mors est lepori. Panthera sæva est in hominem, & tamen adeò terretur ab hyena, ut ne congredi quidem sustineat. Hinc narrant si quis quid secum gestet de corio hyenæ, à panthera non appeti: tam sagax est naturæ sensus. Addunt & illud, si pelles utriusque beluæ suspendas invicem ex adverso, pantherica pilos defluere. Araneus homini domesticum est animal, (11) exitiale verò serpenti, adeò ut fortè conspicatus sub arbore serpentem apricantem, filo se libret, & aculeum mediæ infigat fronti, tam acri vulnere, ut serpens dolore rotans sese in gyrum, tandem emoriatur. Accepi ab iis qui spectarunt, simile dissidium esse aranco cum bufonibus: sed bufonem ictum, sibi (12) plantagine admorsâ mederi. Audies fabulam Britannicam. Scis illic conclavium solum consterni scirpis virentibus. Monachus quidam fasciculos aliquot scirporum in cubiculum congesserat, sparsurus cùm

esset commodum : is cùm à prandio supinus dormiret: bufo ingens erepsit, & os dormientis obsedit, infixis superno atque inferno labro quatuor pedibus. Detrahere bufonem, certa mors erat : non amoveri, quiddam erat morte crudelius. Quidam suasserunt, ut monachus ad fenestram deferretur supinus in qua ingens araneus habebat telam. Factum est. Mox araneus hoste conspecto filo se librat, & bufoni spiculum infigit, ac filo se recipit in telam. Intumuit bufo, sed non est avulsus. Repetitur ab araneo : magis intumuit, sed vixit. Tertiò ictus abduxit pedes ac mortuus decidit. Hanc gratiam araneus retulit hospiti suo. Io. *Mira narras.* Eph. *Addam quod non legi, sed his oculis conspexi. Simius supra modum horret testudinem. Huius rei quidam dedit nobis specimen Romæ. Puero suo in verticem imposuit testudinem, & pileo contexit. Dein producit ad simium. Illicò simius gaudens insiliit in humeros pueri venaturus pediculos: sublato pileo reperit testudinem. Mirum erat spectaculum, quanto cum horrore resilierit bestia, quàm expaverit, quàm timidè respexerit, an sequeretur testudo. Additum est aliud specimen : alligavimus testudinem catenæ, à qua revinctus erat simius, ut effugere non posset, quin saltem adspiceret: incredibile dictu, quantopere fuerit discrutiatus: tantùm non metu exanimabatur, interdum aversus posterioribus pedibus depellere tentavit hærentem bestiam. Tandem, quicquid erat in* (13) *alvo & vesica oneris, reiecit. Secuta est ex eo pavore febris, ut no-*

ut nobis fuerit solvendus à catena, & aquâ vino temperatâ refocillandus. JOAN. *Atqui nihil est, quod sibi à testudine metuat simius.* EPH. *Fortassis aliquid est, quod nos fugit, naturæ cognitum. Nam cur acanthis oderit asinum, causa in promptu est, quòd ille se affricat spinis, in quibus nidulatur avicula, & flores eius depascitur. Tantus autem terror habet acanthidem, ut si quando procul asinum rudentem audiat, ova deiiciat, pulli è nido decidant metu. Nec patitur hostem impunem.* JOAN. *Sed qua tandem in re acanthis lædit asinum?* EP. *Rostro* (14) *fodit illius hulcera, fustibus & oneribus facta, pungit & mollia narium: Potest item aliquid causæ divinari, cur inter vulpes & milvios mutua sit simultas, quod avis rapax alterius catulis insidietur, fortasse vulpes vicissim illius pullis: quæ causa dissidii est inter* (15) *sorices & ardeolas. Eadem ferè ratio est inter æsalon, parvam aviculam & vulpem. Nam* (16) *æsalon ova corvorum frangit. Eadem infestatur à vulpibus, & vicissim illas infestat, catulos earum vellicans, quod ubi viderint corvi, vulpibus velut adversus communem hostem suppetias ferunt. At vix divinare liceat, quam ob causam inter se oderint* (17) *olores & aquilæ, corvus &* (18) *chlorio, cornix & noctua, aquila & trochilus, nisi hoc malè habet aquilam, quòd ille rex* (19) *avium vocetur. Cur malè convenit cum noctua cæteris minoribus avibus, mustelæ cum cornice, turturi cum* (20) *pyrali, icheneumonibus vespis cum phalangiis araneis, anatibus cum gaviis,* (21) *harpæ* (22) *cum*

triorchye accipitre thoibus cum leonibus. Prætereà cur ſorices formicoſam horreant arborem? Vnde tam irreconciliabile bellum inter ſcarabeum & aquilam? Nam apologus ex ipſa animantium natura confictus eſt. Vnde eſt quod iuxta Olynthum in certo terræ ſpacio non vivant ſcarabei, ſi inferantur? Et inter aquatilia, quam ob cauſam (23) mugil & lupus mutuo odio flagrant, ſicut conger & murena, caudas inter ſe prærodentes. Polypum in tantum horret locuſta piſcis, ut ſi eum iuxta viderit, metu emoriatur. Sic quædam animantia mirè iunxit arcanus quidam benevolentiæ affectus, veluti (24) pavones columbis, turtures cum pſittacis, merulas cum turdis, cornices cum ardeolis, qui ſibi viciſſim auxiliantur adverſus vulpium genus: harpam & milvium adverſus triorchyn accipitris genus, communem hoſtem. Balenis muſculus piſcis exiguus prænatans monſtrat viam, nec apparet quamobrem illi velit inſervire. Nam quod crocodilus faucis porrigit trochilo aviculæ, amicitia dici non poteſt, cum utrunque animal ſuo ducatur commodo (25) Crocodilus gaudet ſibi purgari dentes, & ſcabendi voluptatem amplectitur: avicula cibum quærit, veſcens piſcium reliquiis inter dentes hærentibus. Conſimili ratione corvus inequitat dorſo ſuis. Inter (26) anthum & ægithum tam pertinax eſt odium, ut negent ſanguinem illorum poſſe miſceri: Quemadmodum narrant aliarum avium pennas abſumi, ſi aquilinis miſceantur. Accipiter eſt infeſtus columbino generi: ſed has defendit tinnunculus.

avicula, cuius conspectum & vocem mirum in modum horret accipiter. Nec hoc latet columbas. Vbicunque (27) tinnunculus reconditus est, ab ea sede non migrant fiducia protectoris. Quis causam coniiciat, cur aut bene velit generi columbino tinnunculus, aut cur tinnunculum horreat accipiter? Atque ut interdum animalculum minimum præsidio est ingenti beluæ: ita contrà à minutissimis exitium est maximis. Est pisciculus scorpii effigie magnitudine aranei piscis. Is sub pinna affigit sese aculeo thinnis, interdum magnitudinem delphini superantibus, tanto dolore, ut nonnunquam in naves insiliant: idem facit mugilibus. Quid est cur leo animal cunctis tremendum, expaveſcat (28) galli gallinacei cantum? Jo an. Ne sim in hoc convivio prorsus asymbulus, referam, quod olim his oculis vidi in ædibus Thomæ Mori, clarissimi apud Anglos viri. Alebat domi simium prægrandem: tum fortè, quo revalesceret à vulnere, solutus obambulare sinebatur. In extremo horti erant inclusi cuniculi, quibus insidiabatur mustela. Id simius procul quietus & otiosus spectabat, donec videret cuniculis nihil esse periculi. Cæterùm posteaquàm mustela labefactasset caveam à muro revulsam, iámque periculum esset, ne cuniculi à tergo nudati prædæ essent hosti, accurrit simius, & conscensa trabe quadam, caveam retraxit in locum pristinum, tantâ arte, ut homo non posset dexteriùs. Ex quo perspicuum, hoc animantium genus simiis esse charum. Ipsi cuniculi nõ intelligebant suum periculum: sed hostẽ

suum

ſuum per cancellos oſculabantur. Simius opitulatus eſt periclitanti ſimplicitati. EPH. *Omnibus catulis minoribus delectantur ſimii, gaudentq; fovere ſinu & complecti. Sed pius ille ſimius dignus erat aliquo pietatis præmio.* JOAN. *Habuit.* EPH. *Quod?* JOAN. *Reperit illic fruſtum panis à pueris, opinor, proiectum. Id arreptum comedit.* EPH. *Verùm mihi videtur mirabilius, hoc genus* (29) *ſympathias & antipathias (ſic enim Græci vocant amicitiæ & inimicitiæ naturales affectus) etiam in rebus animâ aut certè ſenſu carentibus deprehendi. Omitto iam dicere de fraxino, cuius nec umbram, quamvis in longum porrectam, ferunt ſerpentes, adeo ut ſi locum in gyrum* (30) *circundes igni, ſerpens citiùs in flammam eat, quàm ad arborem fugiat. Nam huius generis exempla ſunt innumera. Erucæ, cum membranis incluſæ, occulto naturæ opificio transfigurantur in papiliones, mortuis ſimillimæ videntur: ne ad contactum quidem ſeſe movent, niſi tranſeunte araneo. Hominis prementis digitum non ſentiunt, & ſentiunt leviſſimi animantis leviter incedentis pedes. Ibi demum vivit.* JO. *Sentit hoſtem capitalem nondum natum inſectum. Iſti non omninò diſſimile eſt, quod narrant de ferro* (31) *cæſis, ad quos ſi cæteri accedant, nihil accidere novi: ſin is, qui necavit, continuo profluere ſanguinem, velut ex recenti vulnere: atque hoc indicio ferunt frequenter proditum cædis authorem.* EPH. *Nec eſt vanum, quod audiſti. Sed ne perſequamur fabulas* (32) *Democriticas: nónne comperimus experimentis, tantum eſſe diſ-*

se dissensionis inter (33) que rcum & oleam, ut utraq; in alterius scrobe posita emoriatur? Quercui autem tam malè convenire cum iuglande, ut in propinquo posita extinguatur, tametsi iuglans cunctis ferè satis & arboribus noxia est. Rursum, quum vitis claviculis suis omnia complecti soleat, solam (34) brassicam refugit, & perinde quasi sentiat, in diversam partem sese vertit. Quis admonet vitem, hostem esse in propinquo? Est enim brassicæ succus vino contrarius, eóque solet edi adversus ebrietatem. Nec deest brassicæ suus hostis. Siquidem opposita cyclamino & origano, exarescit. Similis adfectus est inter (35) cicutam & vinum: cicuta homini venenum est, cicutæ vinum. Quod est illud arcanum commercium inter lilium & allium, ut in propinquo nascentia mutuò sibi gratificentur. Nam allio plus est vigoris & lilii flores suavius olent. Quid hic memorem de coniugiis arborum, quarum fœminæ sterilescunt, nisi in propinquo sit mascula. Oleum soli calci miscetur, quum utraque res pariter oderit aquam. Pix attrahit oleum, quum utrunque sit pingue. Argento vivo innatant omnia, excepto auro. Id solum ad se trahit & complectitur. Quis ille naturæ sensus, ut adamas, quamlibet duris resistens, sanguine hircino mollescat? Quin & inter ipsa venena dissidia videas. Scorpius si fortè repat per aconitum, pallescit ac torpescit. Eidem aaeo noxia est herba, cui nomen ceraſtis, ut qui semen modo eius tractarit digitis, impunè cõtrectet scorpium. Sed harum rerum, quæ sunt innumeræ, consideratio

tio ad rei medicæ professores pertinet. Quænam est illa vis vel amicitiæ, vel dissidii, inter chalybem & magnetem, ut materia naturâ gravis ad lapidem currat & inhæreat, velut osculo, & ab eodem citra contactum refugiat? Iam quum aqua se facilè misceat rebus omnibus, maximè sibi: tamen sunt, quæ tanquam odio mutuo mixturam refugiunt, velut (36) amnis qui in Fucinum lacum invectus supermeat, in Larium Addua, in Verbanum Ticinus, in Benacum Mintius, in Sevinum Ollius, in Lemanum Rhodanus: è quibus nonnulli multorum millium transitu hospitales suas aquas tantùm, nec largiores, quàm intulêre, evehunt. Tigris influit in lacum Arethusam, ac per eum velut hospes fertur, sic, ut nec color, nec pisces, nec aquarum natura misceatur. Ad hæc cùm cætera ferè flumina properent in mare procurrere, quædam tamen velut exosa mare priùs quàm eò perveniant, abdunt sese in terram. Simile quiddam videmus, & in ventis, Auster homini pestilens est: huic contrarius Boreas salubris. Alter nubes contrahit, alter dissipat. Iam si qua fides est Astrologis, sunt & syderibus quidam amicitiæ & inimicitiæ affectus. Quædam amica homini, quædam infesta. Rursus sunt quæ homini adversus nocentium vim opitulantur. Adeò nihil est in ulla naturæ parte, quod non per hæc dissidia concordiásque, & noxam & remedium homini suppeditet. JOAN. Fortasse & ultra cœlos quiddam deprehendere liceat. Etenim, si magis credimus, unumquemq; mortalium duo comitantur genii, alter

ter amicus, alter malevolus. EPH. Nobis, amice, satis est ad cœlum usque perveniſſe, etiamſi non hoc quoque ſeptum tranſiliamus. Redeamus ad boves & equos. JOAN. Næ tu præclarum facis ſaltum. EPH. Illud nobis magis admirandum eſt, quod in eadem prorsùs animantium ſpecie deprehendamus amoris & odii veſtigia, nullâ evidente causâ. Sic enim nobis perſuadere conantur equiſones & bubulci: in iisdem paſcuis, aut eodem in ſtabulo, bos bovem, equus equum gaudet habere vicinum, qui alium non ferat. Equidem arbitror, ſimiles adfectus eſſe in omni animantium genere, præter ſexus favorem. Sed in nullo genere evidentiùs, quàm in homine. Siquidem in plurimis manifeſtum eſt, quod de ſuo in Voluſium adfectu profitetur Catullus. Non amo te Voluſi, nec poſſum dicere quare: Hoc tantum poſſum dicere, non amo te. Verùm in adultis fortaſſe divinet alius aliam cauſam: in pueris, qui ſolo naturæ ſenſu ducuntur, quid eſt illud, quod ſic hunc illi tanto amore conciliat, rurſus alium ab hoc tanto diſſidio ſeparat? Ipſe cùm puer eſſem natus annos plus minus octo, incidi in quendam meæ ætatis, aut fortaſſis anno maiorem, prodigioſæ vanitatis, adeò ut ad omnem occaſionem extempore monſtroſa quædam confingeret. Occurrebat mulier: Vides, inquit, hanc? Video. Cùm hac decies concubui. Tranſibamus ponticulum anguſtum iuxta molam. Vbi vidit me horreſcentem ad conſpectum aquæ, ob profunditatem nigrantis: In hanc, inquit, aquam aliquando pro-

lapſus

lapsus sum. Quid ais? Illic reperi cadaver hominis, accinctum crumenâ: in ea erant annuli tres. Quum nullus esset mentiendi finis, sic puer horrui puerum, ut viperam minus, nullâ certâ ratione, quum talibus mendaciis alii delectarentur: sed tantùm arcano naturæ sensu. Neque verò id fuit temporarium: imò & hodie sic horreo naturâ vanos, ut conspectis illis, sentiam totum corporis habitum commoveri. Tale quiddam in Achille notat (37) *Homerus, cùm profitetur mendaces sibi æquè odiosos, atque ipsas inferorum portas. Hoc ingenio quum natus sim, tamen hoc contra fato natus videor, ut per omnem vitam mihi cum mendacibus & impostoribus fuerit res.* JOAN. *At nondum video scopum, quo totus hic sermo confertur.* EPH. *Expediam paucis. Sunt qui felicitatem petant à magicis artibus, sunt qui ab astris: ego nullam certiorem ad felicitatem viam arbitror inveniri posse, quàm si quisq. abstineat ab eo vitæ genere, à quo naturæ sensu tacito abhorret: ad id se conferat, quo propensus est: semper excludo turpia. Item, ab eorum consuetudine se abducat, cum quorum geniis sentit suo genio non convenire, & his se copulet, ad quos arcano naturæ fertur affectu.* JO. *Id si fiat, inter paucos erit amicitia.* EPH. *Christiana charitas se dilatat ad universos: familiaritas autem cum paucis habenda est. Et qui nullum, quamvis malum, lædit, gavisurus etiam, si resipiscat, satis, opinor, Christianè diligit omnes.*

(a) *Ephorinus* à diligenter contemplando & cum singulari cura observando dictus. Qui dum animalium naturam,

turam vim potentiam diligenter contemplando obſervat, non immeritò Ephorinus appellatur. (b) Non adhibemus in conſilium, niſi quos prudentiores aut rerum peritiores arbitramur: nihil autem Deo prudentius & conſultius. Eſt autem hæc forma loquendi perelegans, quoties nos admirari novitatem, aut mirificum rei eventum ſignificamus, quod ſubinde apud Poëtas dii in conſilium ab heroibus viris adjungantur. (c) Alluſum forſitan eſt ad Empedoclis Phyſici decretum, qui principia mundi amicitiam & inimicitiam conſtituit. Cùm enim priùs omnia confuſa jacerent, ab amicitia inimicitiáque diſcriminatim ſunt diviſa: ſine iis verò, nihil aut fieri poteſt, aut perire. Extat autem apud Ariſtotelem nobile mehercules caput de his, quæ perpetuas inimicitias inter ſe gerunt, lib. 9. cap. 1. hoc Plinius tranſtulit in ſuum opus, lib. 10. cap. 74. (d) *Committere* ſignificat in certamen & contentionem mittere: quemadmodum dicimus gladiatores commiſſos, qui in certamen deſcendunt. Plin. lib. 10. cap. 20. gallinaceum contentioſum animal, & præliis maximè ali teſtatur. Addit plerosque gallorum ad bellum tantum & prælia aſſidua naſci, quibus etiam patrias nobilitarunt Rhodum & Tanagram. Deinde Pergami gallorum ſpectaculum, omnibus annis publicè edi ceu gladiatorum. Quod ipſum etiam hodie in pleriſq; Brabantię oppidis fieri obſervatum eſt. Hinc gallinaceus à Columel. pictes, hoc eſt, pugil, & luctator appellatur, quod Græcorum ſtudium ferociſſimum quemque alitem certaminibus & pugnæ præpararet. (e) Adeò inimicum eſt, ut ſalivam hominis tolerare non poſſit: ſed mox, ſi conſpergatur, fugiat, authore Plinio. (f) *Inauſpicatum eſt*, quod bonis auſpiciis non geritur: ſic pomum illud propter quod ex divina portione ad humanam miſeriam cecidimus per primogenitos noſtros parentes, meritò inauſpicatum dicitur, quod tam infauſto & infelici auſpicio mortalitatem ſumus adgreſſi. (g) Ex hac re ſatis conſtat, amicas humano generi la-

certas, quorum scilicet salivam bibunt, ut quæ omnibus venenatorum maximè adversatur, ut testantur Nicander, Dioscorides, & Plinius. (h) *Cavum* frequentius substantivum neutro genere invenitur, pro foramine terrestri, seu lustro & cubili serpentum, quam ab adjectivo cavus Columel. Cavum verbenaca diligenter obturato, ne ventus ad cubilia perflet. (i) *Pascimus oculos* eâ re, quam libenter adspicimus, ut *pascimus animum* quoties iucundo aliquo spectaculo oblectamus, & veluti nos recreamus. Maro: *Atque animum pictura pascit inani.* Nihil autem gratius obtingere potest, quàm si videamus nocentem, ob innoxium afflictum dare pœnas. (k) Prodigiosus tam vehemens & præter solitum major, ut etiam aliquid prodigere posse videretur. (l) Eiusmodi rustica instrumenta Varro *Rastellos* appellat, serras nimirum leves, quibus homo per fœnisecia festucas abradit. (m) Vas est aquarium *urceum* nec exiguum, non ad hauriendam aquam, aut portandam, sed ad conservandam diutiùs, quales nunc Romæ prædivites Cardinales & nobiles in subterraneis cameris collocatos habent, ejusmodi quoque vasis rustici plerunque lac conservant, & concretum quidem lactis in cibum, serum verò potus loco illis servatur. (n) Hinc Lycophron, teste Athenæo, Θηρας γαλακτοφαγους, hoc est, bestias lactivoras serpentes appellavit, quòd naturali quodam appetitu lac præcipuè sorbere gaudeant, cùm tamen alioqui exiguo indigeant potu. Quoties autem ad lactis urceum adrepunt, non tam lactis suctu delectantur, quàm ut pingue supernatans . quod in butyrum conflatur, lingere, ac desorbere valeant; hæc summa voluptas. Aliquando in pratis ac pascuis ad ubera pascentium adrepunt, miserósque rusticos omni lactis & spe, & proventu defraudant, & facilè quidem patiuntur vaccæ eiusmodi mulgentes fauces, vel quod venenum vereantur, si repugnent. & obnitantur, vel quod molliùs suctu, quam digitis compressis lac educi sentiant.

tiant. Habent ad hoc remedium mulierculæ, ceream comparant, quam devovent hierophantæ in purificationum feriis, hâc incensâ ter contingunt ubera vaccæ, sed non sine tripudio & choreis, atque ita illæsas in annum redeuntem se conservare arbitrantur. (o) *Horatius in epodo ode 3.* non aliam pœnam particidæ statuit, quàm ut degustet allium, quòd hoc cicutis, id est, veneno sit nocentius. (p) Gravis odor allii, serpentes fugat; ut docet *Nicander in Alexipharmacis*, & à fœtore Latini allium vocarunt, quasi halium, quòd graviter halaret. (q) *Horatius in ode* paulò antè citata, miratur messores tam horrendum cibum ferre posse. *O dura*, inquit, *messorum ilia, quæ allium venenum magis quàm cibum concoquitis.* Non autem messorum tantùm cibus est, verum omnium rusticorum, quod hæ fuerint prisci illius & frugalis seculi deliciæ, cujus si adhuc vestigia usquam extant, ea mehercules apud hoc genus hominum tantum superesse dixero. Allii autem arrosionem ad frugalitatem pertinere, item pauperum rusticorumque victum fuisse, docere te potest Aristophanis interpres. Galenus certè amuletum rusticorum allium prædicat. Et Plinius ad multa ruris præcipuè medicamenta facere testatur. (r) Id videtur à Virgilio acceptum, ubi Testilis Maroniana messoribus suis, *rapido fessu æstu, Alia serpillúmque herbas contundit olentes.* (s) *In insidiis esse*, significat insidiari, metaphora à re militari. Nam hostes, cum aperto Marte cum adversariis conserere manus non audent, alicubi latentes ex insidiis, subitò inimicum aggredi solent. Terent. *Hunc prius adito, ego in insidiis hic ero, si quid deficies.* Salustius. *Ac statum signo dato, undique simul ex insidiis Numida invadit.* (t) Vide Chiliades. *Crocodili lacryma.* (u) Sic *Plinius, Delphinus*, inquit, *amicum homini animal.* (x) Hujus fabulæ & plurium hujusmodi mentio est apud *Plinium* cap. De Delphinis: & *Nepos* in epistolis, & *Oppianus* libro quinto, recensent quoq; similes. (y) Hanc

Gellius florida dictione ex Herodoto descripsit: & *Plinius* capite eodem: Est autem hoc animal non modò homini amicum, sed quicquid Musica sonoritate aures demulcere potest, huic gaudet adesse, cum hoc ludere delectatur. (2) Hoc *Plinius* eodem capite in stagno Laterna appellato, Nemausiensis agri, in provincia Narbonensi, & in Tassio sinu fieri tradit. *Oppianus* quoque hanc venandi cum Delphinibus consuetudinem describit, atque id eleganter satis, sed in Ægeo mari circa Eubœam. (1) Sic *Plinius*: Multum illi infra rostrum os, ac medio penè in ventre. (2) *Regulus* Basiliscum etiam significat, facto nomine ab etymologia Græca, ne quis opinetur regulum avem hostem esse nostrum. (3) *Ichneumones* cum serpentibus, crocodilo, & aspide perpetuam inimicitiam exercent. Lege præter Plinium, Ammianum Marcellinum lib. 22. (4) *Plinius* omnia tradit. (5) Habet & ista *Plinius* omnia. (6) Id circa Sestion urbem contigisse scribit *Plinius*, (7) *Plinius* cap. de accipitribus author est. Verùm *Homerus Cymindin*, non accipitrem, sed noctuam videtur appellasse hoc versu: χαλκίδα κικλήσκουσι: θεοὶ αὐδρες δὲ κύμινδιν. Noctua enim χαλκὶς vocatur, quod æneum colorem videatur habere, & fortassis cymindis, à maris colore, quod ut noctua, sic mare subinde glaucum epitheto dicatur. (8) Lege Chiliades: *Lupi illum videre priores* & Donatum in Terent. Adel. *Lupus est in fabula.* (9) Ex *Aristophane* & illius interprete hoc adagium enarratum est ab authore, quod scilicet olim apud Atticos lex fuerat de interficiendis lupis, quæ præmio etiam invitaret ad hanc feram persequendam. Et hæc quidem interpres Comici. (10) Hoc *Plinius* tradit libr. 32. cap. 1. De Pantheris & Hyenis eadem docet. Hoc tamen, quòd ait hyenam cum pantheram pugnare, non ea de causa fit, quòd hyena erga hominem benè affecta sit. Nam *Aristot.* lib. 6. historiæ animalium, mirificè insidias moliri hyenam hominibus tradit, & sepulchra quoq; effodere: tantam illi feræ aviditatem

humanæ

humanæ carnis ineſſe. (11) Hoc ipſum *Plinius* ſcribit lib. 10. cap. 47. (12) Aiunt aliquando monachum (eſt enim hoc hominum genus admodum curioſum) in araneum & bufonem concertantes incidiſſe, & dum eventum certaminis expectat, ictum bufonem vehementer fuiſſe tumidum: ſed mox plantagine guſtatâ, quæ tum in buſtuario creſcebat, veluti reſumptis viribus, certamen redintegraſſe. Admiratus inſolitum ſpectaculum monachus, diligentiùs hos pugiles obſervabat, & quod paulò antè de bufone cognoverat, id iterum conſpicatus, quàm poteſt ocyſſimè plantaginem omnem, quæ de proximo creſcebat, radicitùs extirpat, & apud ſe condit, interea bufo, acceptâ tertiâ plagâ, dum ad ſolitum medicamentum accurrens, auxilio herbæ deſtitueretur, in tantum intumuit, ut non priùs tumorem quàm vitam ſimul finiret. Inde compertum habuit, plantaginem contra venena, & venenatorum ictus multum facere. (13) Simius non alia re metum indicat, quàm proiectis excrementis: hinc vulgare noſtratium proverbium. *Verendum ne præ metu te commacules inſtar ſimii:* cum in meticuloſum ludunt. (14) Id *Plinius* Ægytho avi adſcribit: Aſinus inquit ſpinetis ſe ſcabendi cauſa atterens, nidos Ægythi diſſipat, quod ille adeò pavet, ut voce omninò rudentis auditâ ova eiiciat, pulli ipſi metu cadant. Igitur advolans, ulcera eius roſtro excavat. Deinde teſtatur & anthida ea de cauſa aſino inimicam. (15) Quoniam, inquit Plinius, altera alterius catulis inſidiatur. (16) Ariſt. hanc avem inter accipitres refert. (17) Fortaſſis non alia de cauſa, quàm quòd cygni ſibi de aquila metuunt, ut hoſtis ab hoſte ſibi cavet. (18) Chlorium Theodorus Viritum à viridi colore interpretatus eſt, avis tota viridis quod ex voce liquet: hyene non videtur, ſed teſte Ariſt. per æſtatem volat, idque maximè ſolſtitialibus horis: ſed tamen difficulter volat, quum alioqui ingenioſus habeatur. (19) Trochilus à mobilitate & curſando nomen habet. Ariſt. cap. 11. lib. 9. aquilam cum trochilo pugnare ſcri-

bit, quòd Trochilus senator & rex vocetur. (20) De his omnibus *lege Plinium* lib. 10. cap. 74. unde hæc desumpta sunt. (21) Hanc esse Latinam avem, Græcorum docent Lexica. In quorum etiam commentariis proditum est, hanc avem, quoties veneno icta fuerit, sibi hederâ succurrere. (22) Triorchys & Triorches avis à numero testium nomen habet: est de genere accipitrum. Plinius. (23) Hoc quoque *Plinius*. Sed *Oppianus* meminit lib. 3. (24) *Plinius* libr. 10. cap. 74. (25) Lege *Ammianum* libr. 22. *Diodorum Siculum*, & *Aristotelem*, lib. 9. cap. 6. Histor. (26) Vide de *Anthi & Ægisthi sanguine Plinium*, & de sequentibus quoque. (27) Hanc rem ita *Columel.* libr. 8. tradit. Tam fastidiosa columba est, ut sepè sedes suas perosa, si detur evolandi potestas, relinquat, quod frequenter in his regionibus, ubi liberos habent egressus, accidere solet. Id ne fiat, vetus est Democriti præceptum, Genus accipitris, tinnuculum vocant rustici, qui ferè in ædificiis nidos facit. Ejus pulli singuli fictilibus ollis conduntur, stipatísque opercula supponuntur, & gypso lita vasa in angulis columbarii suspenduntur, quæ res avibus amorem loci sic conciliat, ne unquam deserant. (28) Hoc *Plinius* habet, & *Plutarchus* in commentario de differentia inter odium & invidiam. *Divus Ambrosius* libr. 6. cap. 4. hexameron dicit utique, quòd leo vereatur gallum, sed præcipuè album. *Lucretius* quoque poëta causam odii investigat, libr. 4. (29) συμπαθῶν Græcis significat compati: non tamen est, quod vulgò accipiunt indocti, permoveri malis alterius, sed socium esse & imitatorem, atque æmulum affectionum alicujus. Eum autem affectum atque impulsum συμπάθειαν appellant, hoc est, mutuam quandam rerum cognationem, & voluntatem: ad verbum sonat compassionem ἀντιπάθεια vero contra repugnantem affectum & rerum inter se, vel potiùs contra se differentiam significat, quasi tu dicas contrapassionem. (30) Hoc *Plinius* se expertum dicit. (31) Cæsos in hoc loquendi genere non tantum

tum percussos, sed cæsos, id est, otiosos notat: ferrum generale pro omnibus armis ferreis, quibus corpus vulneratur. (32) Hic post *Pythag* philosophum magiam professus, mirabiles commentationes reliquit, in quibus de naturæ secretioribus fabulosissima descripsit. Hinc fabulæ Democriticæ videntur dictæ, de naturalibus rebus traditæ, sed quæ ob insignem vanitatem, fidem non merentur. Scripsit hic artem, quo pacto avium garritus ab homine possit intelligi. Item non exiguum volumen de illis, quæ apud inferos contingerent, ut Athenæus refert: prodigiosis, ut coniectandum est, fabulis refertum. (33) De his omnibus sequentibus recurre ad indices Plin. (34) Causam fabulosam fingunt Græci, quam recenset Aristoph. interpres. Licurgus fuit homo sceleſtus, qui omnes vites falce demetere in animum induxerat: hunc comprehensum Bacchus vitibus alligavit, ut supplicium de illo sumeret, sed is dum vitibus alligatus, lachrymas effunderet, ex illis brassica enata est: atque hinc esse aiunt, quod etiam male conveniat viti & brassicæ hostis sui reliquiis. Hanc autem fabulam rusticorum filios credere dicit: quia si quis brassicæ radice vitem contingat, vitique alliget, nullos vitem fructus edituram: unde etiam illam primo loco in sympositis proponi & Ægyptii ante omnia fercula coctas brassicas degustabant, ne possent vino inebriari. (35) Nec hoc mirandum, quin illa sit omnium herbarum & fortè etiam venenorum frigidissima: vinum verò egregie calidum à physicis proditur. Lege de his Plinium. (36) Omnia apud *Plinium* & *Solinum* Versus Homeri sunt:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅστις ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.
Non aliter flagrans odio est mihi tanua ditis.
Atq; hi qui celant aliud quàm lingua loquatur.

PROBLEMA. (a)

CVRIO, ALPHIVS.

CVR. *Lubens ex te, rerum plurimarum perito, discerem quiddam, si tibi non sit molestum.* AL. *Age, Curio, percontare quod voles, ne non respondeas tuo nomini.* CV. *Equidem non gravabor dici Curio, modò ne addas animal illud monosyllabum (b) Veneri iuxta ac Minervæ invisum.* AL. *Dic igitur quod velis.* CV. *Scire cupio quid sit, quod appellamus grave & leve.* AL. *Eâdem operâ roga, quid sit frigidum & calidum. Quin tu istud problema baiulis proponis potius, quàm mihi, aut si mavis, asinis, qui gravitatem oneris demissis auriculis indicant.* CVR. *At ego non asininam, sed philosophicam responsionem expecto, præsertim ab Alphio.* AL. *Grave est, quod suapte naturâ fertur deorsum, leve quod sursum.* CVR. *Cur igitur Antipodes, qui infra nos sunt, non decidunt in subiectum cœlum?* ALPH. *Pariter illi mirantur, quamobrem tu non decidas in cœlum, non subiectum, sed imminens. Cœlum enim est supra omnia quæ intus complectitur: nec Antipodes sunt infra te, nihilo magis, quàm tu supra illos: contra nos esse possunt, infra nos non possunt. Alioqui iustius admirareris, cur rupes, quas sustinet Antipodum terra, non decidant, cœlumque perrumpant.* CVR. *Quæ est igitur nativa sedes gravium, quæ contra levium?* ALPH. *Ad terram nativo motu deferuntur omnia gravia, ad cœlum levia: de motu violento aut animali iam non loquimur.* CVR. *Est igitur motus aliquis, qui dicitur animalis?*

ALPH.

ALPH. Est. CVR. *Quisnam?* ALPH. *Is fertur iuxta quatuor corporis situs, prorsum, retrorsum, ad dextram, ac lævam, & in circulum, & in principio ac fine celerior est, in medio lentior. Nam initio vigor addit alacritatem: in fine propinquo spes perveniendi quò tendit animal.* CVR. *Nescio quid aliis accidat animalibus: sed habeo famulam, quæ lassa est priùs, quàm incipiat, delassata priusquàm opus absolvat. Verùm redi ad id, quod agere cœpisti.* AL. *Nativo, inquã, motu, quæ gravia sunt feruntur deorsum. Et quò quidq; gravius est, hoc celeriore motu fertur ad terram: quò levius, hoc maiore impetu rapitur in cælum. Contra fit in motu violento, qui celeriòr in initio, paulatim segnescit, quum contra fiat in motu naturali, veluti sagitta in altum missa, & saxum ex alto decidens.* CVR. *Atqui ego putabam homines sic per orbem terræ discurrere, quemadmodum minutissimæ formicæ cursitant in prægrandi sphæra, hærent undiq;, nec ulla decidit.* ALPH. *In causa sunt, sphæræ superficies nonnihil habens asperum, tum scabricies quædam, in formicarum pedibus, quam habent insecta ferè omnia: postremò corpusculorum levitas: id si non credis, fac sphæram vitream bene lævem & glabram: videbis solas formicas non decidere, quæ in summo versantur orbe.* CVR. *Si quis Deus orbem terræ medium perterebret, hinc usque ad Antipodes perpendiculo per centrum demisso, quemadmodum solent Cosmographi, terræ totius situm in globis ligneis repræsentantes, tum si saxum*

coniicias in foramen, quò perferetur? ALPH. *Vsque ad terræ centrum, ibi est quies omnium grauium.* CV. *Quid? si antipodes quoque ex aduerso mittant lapidem.* ALPH. *Tunc lapis occurret lapidi circa centrum, ibi conquiescet uterque.* CV. *Agè, si verum est, quod dixisti, motum nativum progressu magis ac magis incitari, si nihil obstet: lapis aut plumbum coniectum in foramen, ob motus vehementiam, prætercurret centrum, iamq; prætermisso centro rursum motus erit violentus.* AL. *Plumbum nunquam perveniret ad centrum, nisi liquefactum: sed lapis si prætereat centrum motu tam violento primùm segniùs feretur, nec aliter redibit in centrum, quàm lapis vi in altum proiectus redit in terram.* CVR. *Sed recurrens nativo motu, rursus concitato impetu prætervehetur centrum: itaque fiet, ut nunquam quiescat lapis.* CV. *Conquiescet tandem, prætercurrens ac recurrens, donec perventum fuerit ad (c) æquilibrium.* CVR. *At si nihil est in rerum natura vacuum, oportet foramen illud aëre plenum esse.* AL. *Esto.* CV. *Pendebit igitur in aëre corpus naturâ grave? Quid ni? quemadmodum chalybs in aëre pendet, undique librantibus magnetibus. Quid autem prodidigii: si unicum saxum pendeat in meditullio aëris, quum tota terra tot rupibus onusta ad istum pendeat modum?* CVR. *Sed ubi est terræ centrum?* ALPH. *Vbi est circuli centrum?* CVR. *Id quidem est punctum indiuisibile. Si tantillum est terræ centrum, quisquis perforaverit mediam terram,*

terram, auferet centrum, nec habebunt gravia, quo ferantur. ALPH. Næ tu satis otiosè nugaris. CVR. Ne quæso succenseas: discendi studio loquor, quicquid loquor. Si quis terræ sphæram perterebret non per ipsum centrum, sed à latere, puta ut absit à centro centum stadiis, quò tum feretur conjectus lapis? AL. Non feretur rectà per foramen, imò potius rectà, sed ad centrum: ita priùs, quàm perveniet ad medium, iam conquiescet in terra, quæ ad lævam est, si centrum est ad lævam. CVR. Sed quid est hoc, quod reddit corpus grave aut leve? ALPH. Ad istud respondeat tibi Deus: cur ignem fecerit omnium levissimum, aërem proximâ levitate, terram gravissimam, proximâ gravitate aquam. CVR. Cur igitur nubes aquæ pendent in sublimi aëre? ALPH. Quoniam à sole attrahente concipiunt naturam igneam, quemadmodum fumus è lignis humentibus violento calore excussus. CVR. Cur igitur tanto ponderi decidunt, ut interdum montes in planiciem redigant? Concretio densitasque addit pondus. Alioqui possunt sic videri sustineri ab aëre subiecto, quemadmodum tenuis ferri lamina sustinetur summâ aquâ. CVR. Sic igitur putas, quod plurimum habet igneæ naturæ, esse levissimum: quod terrenæ, gravissimum? ALP. Haud procul abes à scopo. CV. Atqui nec quivis aër pariter levis est, nec quævis terra pariter gravis, idem de aqua fortasse sentiendum. ALPH. Nec mirum, quum ista quæ nominasti, non sint elementa pura, sed ex variis elementis temperata.

Itaque

Itaque probabile est, eam terram esse levissimam, quæ plurimum habet ignis aut aëris admixtum: eam aquam esse gravissimam, quæ graviorem terram habet admixtam, qualem arbitror esse marinam, & eam unde conficitur sal. Itidem aër aquæ terræve proximus, gravior est, aut certè minus levis est, eo, qui procul abest à terra. CVR. *Vtrum habet plus terrenæ naturæ, lapis, an plumbum?* ALPH. *Lapis.* CVR. *Et tamen plumbum lapide gravius est, pro ratione portionis.* ALPH. *In causa est densitas: Lapis enim rarior est, eoq; plus habet aëris, quàm plumbum. Hinc est quod videmus quoddam terræ genus desiccatum, si coniiciatur in aquam, non subsidere, sed natare: eadem de causa videmus totos agros natantes: sustinentur enim cavis radicibus arundinum aliarumq; palustrium herbarum inter se connexis.* CV. *Hinc fortassis & pumicum levitas.* ALPH. *Quia pleni cavernis sunt: præterea multo igni decocti: submittuntur enim è locis ardentibus.* CVR. *Vnde tanta suberis levitas?* ALPH. *Jam dictum est. Raritas enim in causa est.* CVR. *Vtrum est gravius, plumbum an aurum?* ALPH. *Aurum, opinor.* CVR. *Aurum tamen videtur habere plus igneæ naturæ.* ALPH. *Quia noctu velut ignis lucet, ut ait Pindarus.* CVR. *Scilicet.* ALPH. *Sed densitas in auro maior.* CVR. *Vnde id deprehenditur.* AL. *Respondebunt aurifices, nec argentum, nec plumbum, nec æs Cyprium, nec ullum simile genus latius diducitur malleo, quàm aurum. Eadem ratione*

philoso-

philosophi deprehenderunt, nihil esse liquidius melle & oleo: quòd si quis hæc inunctione dilatet, & latissimè diffunditur humor, & siccescit serius. CVR. Sed utrum gravius est, oleum an aqua? ALPH. Si de oleo lini loqueris, arbitror oleum esse gravius. CVR. Cur igitur aquæ supernatat oleum? ALPH. Levitas non est in causa, sed ignea olei natura, tum peculiaris omnium pinguium vis ab aqua abhorrens, quæ est in herba, quæ dicitur (d) ἄλιπα. CV. Cur igitur non natat ferrum igni candens? ALP. Quia non est calor nativus: Et ideò citiùs penetrat aquam, quod caloris magnitudo dispellat obstantem liquorem. Sic cuneus ferreus citiùs petit ima, quàm lamina. CVR. Vtrum intolerabilius est ferrum candens, an frigidum? ALPH. Candens. CVR. Gravius igitur. ALPH. Est, si commodius est gestare manu paleam incensam, quàm silicem frigidum. CVR. Quid est in causa, quòd lignum ligno levius aut gravius est? ALPH. Densitas ac raritas. CVR. At ipse novi quendam è familia regis Britanniæ, qui in convivio ostendit nobis lignum eius, ut aiebat, arboris, quæ fert aloen: adeò solidum erat, ut lapis videri posset, adeò manibus librati leve, ut arundo videri posset, & si quid sicca arundine levius: impositum vino (putabat enim ita depelli venena) mox properabat ad fundum, ut vix plumbum celerius. ALPH. Nec densitas, nec raritas semper in causa est, sed peculiaris & occulta in rebus cognatio, quæ facit ut quædam sese amplectantur, aut refugiant, veluti magnes attrahit chaly-

chalybem, vitis refugit brassicam, & flamma etiam è longinquo ad naphtham transvolat, aliquanto inferiore loco positam, quum naphtha sit naturâ gravis, flamma levis. CVR. Omne genus æris innatat argento vivo, solum aurum subsidit & circumvolvitur, quum argentum vivum sit materia liquidissima. ALPH. Non habeo, quod respondeam, nisi peculiarem naturæ cognationem: ad hoc enim natum est argentum vivum, ut purget aurum. CVR. Cur Arethusa fluvius, subter mare Sicanum transit, ac non potius innatat, quum antea dixeris, marinam aquam fluviatili esse graviorem? ALPH. Naturale dissidium est in causa, sed arcanum. CVR. Cur natant cygni, quum homines eandem aquam ingressi pessum eant? ALPH. In causa est non tantum pennarum concavitas levitasq́, verumetiam siccitas, quàm aqua refugit: hinc est quod est in panno linóve vehementer siccò, si ponas aquam aut vinum, in globum se contrahit: sin in humidum, mox spargitur. Itidem si infundas liquorem in cyathum siccum, aut marginibus pingui oblitis, & infundas aliquantò plus, quàm cyathus capit, liquor circa medium citius colligit sese in rotundum, quàm transeat margines. CVR. Cur in fluminibus naves minus sustinent oneris, quàm in mari. ALPH. Quia subtilior est fluviatilis aqua. Eadem de causa volucres facilius sese librant in aëre crassiore, quàm vehementer subtili. CVR. Cur non subsidunt (e) Flotæ? ALPH. Quoniam cutis sole desiccata & levior facta est, & humo-

humorem respuens. CVR. Cur ferrum ductum in amplam laminam natat, quum idem contractum sidat? ALPH. Partim siccitas est in causa, partim aër inter aquam & laminam mixtus. CVR. Vtra res gravior, aqua an vinum? ALPH. Arbitror vinum non cedere aquæ. CVR. Quamobrem ergò qui ab œnopolis emunt vinum, aquam pro vino reperiunt in imo dolio? ALPH. Quia vinum habet pingue quiddam, quod aquæ refugit liquorem, non aliter quàm oleum. Argumentum in promptu est: Quo vinum est generosius, hoc & difficiliùs admiscetur aquæ, & incensum ardet vehementiùs. CVR. Cur in Asphaltite lacu nullum corpus animalis vivum mergitur? ALPH. Non est meum ad omnia naturæ miracula respondere. Habet illa quædam arcana, quæ nos mirari voluit, scire noluit. CVR. Cur homo macilentus obeso gravior est, si cætera sint paria? ALPH. Quoniam ossa densiora sunt carne, & ideò graviora. CVR. Cur idem homo ieiunus gravior est seipso pransо cùm corpori onus accesserit? ALPH. Cibo potúque spiritus augentur, & ii addunt corpori levitatem. Vnde & hilaris levior est mœrente, & mortuus vivo longè gravior. CVR. Sed qui fit, ut idem homo, cùm vult, faciat se graviorem aut leviorem? ALPH. Contento spiritu reddit se leviorem, emisso graviorem. Sic natat vesica inflata & clausa, pertusa sidit. Sed quando Curio desinet nobis occinere Cur? CVR. Desinam si mihi pauca etiam dixeris, cœlum

utrum

utrum grave sit, an leve. ALPH. An leve sit, nescio: certè grave non potest esse: cùm sit naturæ igneæ. CVR. Quid igitur sibi vult vetus proverbium. Quid si cœlum ruat? ALH. Quia rudis antiquitas Homerum sequuta, credidit cœlum esse ferreum. Sed Homerus à coloris similitudine ferreum dixit, non à pondere: quemadmodum nos cinericeum dicimus, quòd cineris colorem præ se fert. CVR. Et igitur cœlum coloratum? ALPH. Non verè, sed tale nobis videtur, propter aerem & liquorem medium: quemadmodum sol nobis nunc rubet, nunc fulvet, nunc candicat, quum is nihil talium mutationum recipiat. Itidem & Iridis pictura non in cœlo est, sed in aëre humido. CVR. Verùm, ut finiam, fateris cœlo nihil esse sublimius, quacunque tegit orbem terræ? ALPH. Fateor. CVR. Et centro terræ nihil esse profundius? AL. Scilicet. CVR. Inter omnes rerum species quid est gravissimum? ALPH. Aurum, opinor. CVR. Hic abs te vehementer dissentio. ALPH. An scis aliquid auro gravius? CVR. Scio, & quidem multis partibus. ALPH. Proinde me vicissim doce, quando scis, quod me nescire profiteor. CVR. Quod igneos illos spiritus è summo cœli vertice depressit in ima tartari (nam ea collocant in centro terræ) nónne oportuit omnium esse gravissimum? ALPH. Fateor: sed quid nam fuit illud? CVR. Peccatum quod hominum animas, quas Maro vocat aurai simplicis ignes, eodem demergit. AL. Si libet ad istud philosophiæ genus demigrare, fa-

teor

teor & aurum & plumbum esse plumeæ levitatis, si cum peccato conferatur. CVR. *Quî fiet igitur, ut qui hac sarcinâ sint onusti, subvolent in cœlum?* ALPH. *Profectò non video.* CVR. *At, qui sese parant ad cursum saltúmve, non solum quicquid est oneris abiiciunt, verùm etiam contento spiritu sese reddunt leviusculos: & ad hunc cursum saltúmque, quo ferimur in cœlum, non studemus illud abiicere, quod omni saxo, omni plumbo gravius est.* ALPH. *Faceremus, si vel micam sanæ mentis haberemus.*

(a) *Problema* dictus est hic dialogus, quòd quæstiones quædam in eo proponuntur, quibus responsio mox subjungitur. Est enim problema quæstio proposita cum responsione. Et quamvis hoc vocabulum de naturalibus quæstionibus præcipue dicatur, tamen omni etiam dubitabili quæstioni commune est. Nam & extant Plutarchi problemata de rebus Romanorum, & fertur Alcippus quispiam problemata scripsisse de rebus domesticis. *Curio* interlocutor, nomen habet facile ac apertum, à cura scilicet, & diligentia percontandi: *Alphius* verò à candore respondendi, ἄλφος siquidem Græcè candidum, Latinis est inveniendi & indagandi sententia, quòd ἀλφεῖν invenire & excogitare significet, unde homines Alphestæ dicuntur repertores & excogitatores apud Homerum. (b) Istud animal sus est, quod additum nomini Curio, curiosus erit. Est autem Minervæ odiosa sus, propter immundiciem & indocilitatem (ut ita loquar) quum Minerva omnium artium præses habeatur. Lege proverbium. *Sus Minervam.* Quòd verò Venus hanc bestiam prosequatur odio, in causâ est Adonitis amati ab illa interitus. Nam dum incautiùs per sylvas vagatur Adonis, à porco sylvestri interemptus est, ut refert Theocritus. (c) Hoc est, ad eam partem medii ubi æquo

pondere suspendatur & libretur, ubi nec huc nec illuc cadat, sed in aquæ medio & quasi trutina consistat. (d) Herba abaptos sonat, quæ immergi aquę non potest. (e) Flotæ pisces sunt, qui & flutæ, à Græcis πλῶτυ & πλῶτις appellati, à continua natatione. Nunquam enim submerguntur. Murenas esse volunt in freto Siculo.

EPICVREVS.

HEDONIVS, SPVDÆVS.

HED. *Quid venatur meus Spudæus, quòd sic totus incumbit libro, nescio quid secum murmurans?* SPV. *Planè venor, Hedoni, sed nihil aliud quàm venor.* HE. *Quid voluminis est, quod habes in sinu?* SP. *Dialogi Ciceronis de finibus bonorum.* HE. *At quantò satius esset, quærere bonorum initia, quàm fines?* SPV. *Sed M. Tullius finem boni appellat, bonum omnibus numeris absolutum, quod qui sit assequutus, præterea nihil desideret.* HED. *Opus cumprimis eruditum ac eloquens: sed num tibi videris aliquod operæ precium feciſſe; quod ad veri cognitionem attinet?* SPV. *Hoc mihi videor feciſſe lucri, quod nunc magis etiam ambigam de finibus, quàm antea.* HEDO. *Agricolarum est ambigere de finibus.* SPV. *Nec satis queo mirari, de re tanta, inter tantos viros, tantam fuisse sententiarum pugnam.* HEDON. *Nimirum quia fœcundus est error, quum simplex sit veritas. Quoniam totius negotii caput ac fontem ignorant, divinant ac delirant omnes. sed quæ sententia tibi videtur esse scopo vicinior?* SPVD. *Cùm audio impugnantem M. Tullium, displicent singulæ:*

singulæ: rursus cùm audio defendentem, sio prorsùs (a) ἐφεκτικός. Mihi tamen Stoici videntur minus aberrare à vero, quibus proximum locum tribuo Peripateticis. HEDO. At mihi nulla secta magis arridet, quàm Epicureorum. SPVD. Atqui inter omnes nulla damnatior omnium suffragiis. HED. Missam faciamus nominum invidiam: fuerit Epicurus, qualem quisque velit: rem per se consideremus. Ille felicitatem hominis collocat in voluptate, eámque vitam iudicat beatissimam, quæ plurimum habeat voluptatis, tristitiæ quàm minimum. SPV. Sic est. HEDON. Quid dici potuit hac sententiâ sanctius? SPVD. Imò clamitant omnes, hanc esse vocem pecudis, non hominis. HEDON. Scio, sed isti errant in rerum vocabulis. Quod si de veris loquamur, nulli magis sunt Epicurei, quàm Christiani piè viventes. SPVD. Cynicis propiores: nam isti se macerant ieiuniis, deplorant sua commissa, & aut sunt tenues, aut benignitas in egenos conciliat illis inopiam: opprimuntur à potentioribus, deridentur à plerisque. Si voluptas adfert felicitatem, hoc vitæ genus à voluptatibus quàm longissimè videtur abesse. HED. Admittisne authoritatem Plautinam? SPV. Si quid rectè dicat. HED. Accipe igitur nequissimi servi dictum, omnibus Stoicorum paradoxis sapientius. SPV. Expecto. HE. Nihil est miserius, quàm animus sibi malè conscius. SP. Non reiicio dictum, sed quid hinc colligis? HE. Si nihil miserius animo sibi malè conscio: conse-

Plaud. ad Choragium. act. 3. sc. 1.

quitur nihil esse felicius animo sibi benè conscio. SPV. Rectè quidem colligis: sed in quatandem regione invenies istum animum, nullius mali sibi conscium. HED. Malum appello quod dirimit amicitiam inter Deum & hominem. SPV. Et ab hoc mali genere puto perpaucos esse puros. HED. Ego verò & purgatos habeo pro puris. Qui lixivio lacrymarum, ac pœnitentiæ nitro, aut charitatis igni, maculas absterserunt, eis non solùm nihil nocent peccata, verùm etiam frequenter in maioris boni materiam cedunt. SPV. Equidem nitrum & lixivium novi: igni purgari maculas, nunquam audivi, Hedoni. HED. Si adeas argentarias officinas, videbis aurum igni purgari. Quanquam & (b) lini genus est, quod coniectum in ignem non exuritur, sed nitidiùs splendescit, quàm ulla possit aqua, eoq; vivum appellant. SPVD. Næ tu nobis adfers paradoxum, omnibus Stoicorum paradoxis παραδοξότερον. Vivunt illi vitam voluptuariam, quos Christus appellavit ob id beatos, quòd lugeant? HEDO. Mundo videntur lugere: sed reverâ deliciantur, ac, quod dici solet, toti melle perunctli suaviter vivunt, adeò ut cum his collati (c) Sardanapalus, Philoxenus, Apicius, aut si quis alius est voluptatum studio nobilitatus, tristem ac miseram peregerint vitam. SP. Nova narras, sed vix credenda. HED. Experire, & omnia terq; quaterq; dices vera fuisse mea. Efficiam tamen, ut arbitror, ne videatur usque adeò veri dissimile. SPV. Accingere. HED. Faciam, si mihi prius

qua-

quædam conceſſeris. SPV. *Modò tu æqua poſtules.* HED. *Lucrum adnumerabo, ſi ſortem dederis.* SP. *Age.* HED. *Primùm illud, opinor, dabis, nonnihil intereſſe inter animam & corpus.* SPV. *Quantum inter cœlum & terram, inter immortale & mortale.* HE. *Deinde falſa bona non eſſe ponenda in bonis.* SPV. *Nihilo magis, quàm umbræ habendæ ſunt pro corporibus, aut præſtigiæ magorum, ſomniorúmve ludibria ducenda ſunt pro veris.* HED. *Hactenus commodè reſpondes. Dabis, opinor, & illud, veram voluptatem non cadere, niſi in animum ſanum.* SPV. *Quid ni? Nullus enim ſole delectatur, ſi lippiant oculi: aut vino, ſi febris palatum infecerit.* HED. *Nec ipſe, ni fallor, Epicurus amplecteretur voluptatem, quæ longè maiorem cruciatum, multoq; diuturniorem ſecum adduceret.* SPV. *Non arbitror, ſi quis modò ſapiat.* HE. *Nec illud negabis, Deum eſſe ſummum bonum, quo nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil dulcius.* SPV. *Iſtud nullus iverit inficias, niſi Cyclopibus immanior: quid tum poſtea?* HE. *Jam mihi donaſti nullos ſuaviùs vivere, quàm qui piè vivunt: nullos miſeriùs & afflictiùs, quàm qui vivunt impiè.* SP. *Plus igitur largitus ſum, quàm putabã.* HE. *Sed quod rectè datũ eſt, ut ait Plato, non oportet repoſcere.* SP. *Agè.* HE. *Catella, quæ habetur in delitiis, paſcitur lautiſſimè, cubat molliter, ludit ac laſcivit iugiter: an non vivit ſuaviter?* SP. *Vivit.* HE. *Optares tibi talem vitã:* SP. *Bona verba, niſi pro homine eſſe velim canis.* HE. *Fateris igitur, præcipuas voluptates ab animo*

proficiſci, velut à fonte. Spv. Apparet. He. Tanta enim animi vis eſt, ut ſæpe doloris externi ſenſum adimat: Nonnunquam, quod per ſe eſt amarum, reddat iucundum. Spv. Iſtuc quotidie videmus in amantibus, quibus dulce eſt pervigilium, & hybernis noctibus excubare ad amicæ fores. He. Iam illud reputa: ſi tantam vim habet amor humanus, qui nobis cum tauris & canibus eſt communis, quantò plus valeat amor ille cœleſtis, à Chriſti ſpiritu profectus, cuius tanta vis eſt, ut mortem quoq;, quâ nihil terribilius, reddat amabilem. Sp. Quid alii ſentiant intus, neſcio: certè carẽt multis voluptatibus, qui adhærent veræ pietati. He. Quibus? Sp. Non diteſcunt, nõ adſequuntur honores, non convivantur, non ſaltant, non canunt, non olent unguenta, non rident, non ludunt. Hed. De divitiis & honoribus nulla erat hîc facienda mentio: quæ non adferunt vitam iucundam, ſed ſolicitam potiùs & anxiam: de cæteris agamus, quæ cumprimis venantur, quibus ſtudio eſt ſuaviter vivere. Nónne quotidie vides ebrios fatuos & inſanos ridentes ac ſaltantes? Spv. Video. He d. Num putas illos ſuaviter vivere? Sp. Hoſtibus contingat illa ſuavitas. He. Quamobrem? Spv. Quia non adeſt ſana mens. He. Tu igitur malles ieiunus incumbere libro, quàm ad eum modum delectari? Sp. Planè mallem vel agrum fodere. Hed. Nam inter divitem ac temulentum nihil intereſt, niſi quod huic inſaniæ medetur ſomnus, illi vix medicorum cura ſuccurrit. Natura fatuus nihil differt ab animante bruto, præter

formam

formam corporis: sed leviùs miseri sunt, quos natura genuit brutos, quàm qui beluinis cupiditatibus obbrutuerunt. SPV. Fateor. HED. Jam num tibi sobrii videntur, aut sani, qui propter præstigias umbrasq; voluptatum, & veras animi voluptates negligunt, & veros sibi cruciatus accersunt. SPV. Non videntur. HED. Non sunt illi quidem temulenti vino, sed amore, sed irâ, sed avaritiâ, sed ambitione, aliisque pravis cupiditatibus, quæ longè pernicioſior est ebrietas, quàm quæ vino contrahitur. Syrus ille in comœdia posteaquam edormiverat villum, quod biberat, sobria loquitur: at animus vitiosâ cupiditate ebrius, quàm gravatè redit ad sese! quot annis urget mentem amor, ira, odium, libido, luxus & ambitio? quàm multos videmus ab adolescentia ad decrepitam usque ætatem, ab ambitionis, avaritiæ, libidinis luxúsque temulentia nunquam expergisci ac resipiscere. SPVD. Istiusmodi novi nimium multos. HE. Largitus es falsa bona non esse in bonis ducenda. SP. Nec reposco. HE. Nec est vera voluptas, nisi quæ ex veris nascitur. SP. Fateor. HE. Non sunt igitur vera bona, quæ vulgus hominum per fas nefasq; venatur. SP. Non arbitror. HE. Si vera essent bona, non contingerent nisi bonis, & beatos redderent, quibus obveniunt. Quid autem voluptas: num vera videtur, quæ non ex veris bonis, sed ex falsis bonorum umbris nascitur? SPV. Nequaquam. HE. At voluptas efficit: ut suaviter vivamus? SP. Maximè. HE. Nullus igitur verè vivit suaviter, nisi qui piè vivit, hoc est, qui

veris fruitur bonis, sola autem pietas reddit hominem beatum, quæ Deum summi boni fontem homini sola conciliat. SPV. Propemodùm adsentior. HE. Nunc mihi vide, quot parasangis absint à voluptate qui vulgò videntur præter voluptates nihil sequi: primùm animus illorum impurus est, & cupiditatum fermento vitiatus, ut etiamsi quid incidat dulcè, protinùs amarescat, quemadmodum fonte vitiato non potest non esse liquor insipidus. Deinde non est vera voluptas, nisi quæ sano percipitur animo. Nam irato nihil vindictâ iucundius: sed ea voluptas vertitur in dolorem, simulatque morbus animum reliquerit. SP. Non refragor. HE. Postremò, voluptates illæ sumuntur ex falsis bonis, unde consequitur, & illas esse præstigias. Quid porrò diceres, si videres hominem magicis artibus delusum, vesci, bibere, saltare, ridere, plaudere, quum nihil earum rerum verè adesset, quas se videre credit? SPV. Equidem & insanum dicerem & miserum. HE. Simili spectaculo ipse nonnunquam interfui. Sacerdos erat, qui callebat artem præstigiatoriam. SPV. Eam non didicerat è literis sacris. HE. Imò è sacerrimis, hoc est, execratissimis: hunc aliquot aulicæ fœminæ frequenter appellabant, ut acciperentur ab eo convivio, sordes & parsimoniam opprobrantes: annuit, invitavit: Venerunt ieiunæ, quò libentiùs epularentur. Accubuerunt: nihil aberat, ut videbatur, lautitiarum, explerunt sese affatim. Peracto convivio egerunt convivatori gratias, ac discesserunt suam quæque domum:

At mox cœpit oblatrare stomachus: demirantur, quid esset hoc monstri, statim à prandio tam splendido esurire ac sitire. Res tandem erumpit & in risum abiit. SPVD. *Et meritò: præstiterat domi lenticulâ placare stomachum, quàm inanibus spectris deliciari.* HED. *At mihi videtur multò magis esse ridiculum, vulgus hominum pro veris bonis inanes honorum umbras amplecti, & his præstigiis delectari, quæ non exeunt in risum, sed in luctus sempiternos.* SPVD. *Quò propiùs intueor, hoc mihi vidêre minus absurda loqui.* HED. *Age largiamur, ut interim in nomen voluptatis veniant, quæ revera non sunt, appellares ne mulsum dulce, cui longè plus esset admixtum aloës quàm mellis?* SPVD. *Non dicerem, si vel triens aloes esset admixtus.* HED. *An optares tibi malam scabiem, quòd scalpendi esset aliqua voluptas?* SPVD. *Non, si compos sim mentis.* HED. *Fac igitur tecum subducas rationem, quantum amaritudinis admixtum sit istis falsò nomine voluptatibus, quas gignit amor impudicus, libido illicita, comessatio ac temulentia. Omitto nunc, quod est omnium caput, conscientiæ cruciatus, inimicitiam cum Deo, expectationem æterni supplicii. Quod, obsecro, in his voluptatis genus est, quod non ingens externorum etiam malorum agmen secum adducat?* SPVD. *Quænam?* HED. *Rursus omittamus avaritiam, ambitionem, iram, superbiam, invidiam, quæ per se tristia sunt mala, cõferamus illa quæ præcipuè delectationis nomine commendantur. Cum largiori potationi succedit febris, capitis dolor, alvi*

tormina, ingenii stupor, famæ macula, memoriæ detrimentum, vomitus & ruina stomachi, tremor corporis, num vel Epicurus existimaret eam voluptatem expetendam? SPVD. Fugiendam diceret: HED. Cùm adolescentes è scortatione novam lepram, quam nunc ὑποχοϊζοντες quidam Neapolitanam scabiem appellant, sibi, ut ferè fit, contrahunt, per quam toties sit illis in vita moriendum, semperq; vivum cadaver circumferendum, nónne belle videntur (d) ὀπυιοχοϊζειν? SPVD. Imò (e) ὀπι κυρεῖα θεῖν. HED. Jam finge delectationis ac doloris æquilibrium, optares ne tam diu cruciari dolore dentium, quamdiu duravit potationis aut scortationis voluptas? SPVD. Equidem mallem utroque carere: nam voluptatem emere dolore, non est lucrum: sed pensatio. Hîc sanè potior est ἀναλγησία, quam Cicero ausus est indolentiam appellare. HED. At nunc voluptatis illicitæ titillatio præterquam quod longè minor est cruciatu, quem adducit, temporis etiam exigui est. Lepra verò contracta per omnem vitam miserè discrutiat, totiesq; mori cogit prius, quàm mori liceat. SPVD. Tales discipulos non agnosceret, Epicurus. HE. Luxuriæ comes plerunq; est egestas, onus & miserum & grave: libidinis immodicæ paralysis, tremor nervorum, lippitudo ac cæcutientia, lepra: at non hæc tantum. An non egregia negotiatio, nec veram, nec synceram, adhæc brevem delectationem, tot tanto gravioribus ac diuturnioribus commutare malis? SPVD. Vt non accedat cruciatus, mihi stultissimus negociator esse videatur,

qui

qui gemmas vitro permutet. HED. Illud dicis, qui vera animi bona obfucatas corporis voluptates amittat. SPVD. Ita sentio. HED. Nunc redeamus ad exactiorem supputationem: nec febris aut egestas semper comitatur luxum, nec nova lepra, aut paralysis semper comitatur Veneris immodicum usum: sed conscientiæ cruciatus, quo nihil esse miserius iam inter nos convenit. semper comes est illicitæ voluptatis. SPVD. Imò præcurrit interdum, & in ipsa voluptate fodicat animum. Sunt tamen quos dicas hoc sensu carere. HED. Iam hoc ipso infeliciores. Quis enim non malit sentire dolorem, quàm corpus habere stupidum & sensus expers? Verùm ut nonnullis vel cupiditatum intemperantia, velut ebrietas quædam, vel vitiorum assuetudo, ceu callus quidam, mali sensum adimat in iuventa, cum ad senectutem perventum fuerit, ac præter innumera incommoda, quorum thesaurum superioris vitæ commissa reposuerunt, de propinquo terret mors nulli mortalium evitabilis, tantò gravius discrutiat conscientia, quantò magis per omnem vitam stupuit. Tum enim velit nolit expergiscitur animus. Senectus autem, quum per se sit tristis, quippe multis naturæ incommodis obnoxia: quantò miserior est, atque etiam turpior, si urgeat animus sibi malè conscius? Convivia, comessationes, amores, choreæ, cantilenæ, cæteráque quæ iuveni videbantur suavia, seni sunt amara, nec aliud habet ætas illa, quo se fulciat, nisi si adsit vitæ innocenter actæ recordatio, ac spes vitæ melioris. Hi sunt

duo

duo scipiones, quibus nititur senecta: quod si pro his subductis imponas geminam sarcinam: vitæ perperam actæ memoriam, & futuræ felicitatis desperationem, obsecro quod animal fingi potest afflictius aut miserius? SPVD. Equidem non video, etiamsi quis τὸ ἵππον γῆρας obiiciat. HED. Tum denique serò sapiunt Phryges, & illud verissimè dictum: Extrema gaudii luctus occupat: & Prv. 14. 13. Siz. 30. 16. Non est oblectamentum super cordis gaudium, &: Animus gaudens floridam ætatem facit, spiritus tristis exsiccat Prv. 17. 22. ossa: item illud: Omnes dies pauperis mali, hoc est, afflicti ac miseri: secura mens quasi iuge convivium. Prv. 15. 15. SPVD. Sapiunt igitur, qui maturè rem faciunt, & colligunt viaticum venturæ senectuti. HE. Scriptura mystica non tam humi repit, ut fortunæ bonis metiatur hominis felicitatem: is demùm eximiè pauper est, qui nudus est in omni virtute, & animam simul cum corpore debet Orco. SPVD. Is quidem exactor est implacabilis. HED. Is verè dives est, qui Deum habet propitium. Quid autem metuat, qui talem habeat protectorem? num homines? minus potest universorum hominum potestas adversus Deum, quàm culex adversus elephantem Indicum. Num mortem? ea piis transitus est ad æternam beatitudinem: num inferos? sed confidenter Deo loquitur vir pius: Et si ambulavero in umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Cur metuat dæmones in pectore gerens eum, quem tremunt dæmones? nam hominis pii mentem templum esse Dei, non uno in loco prædicat scriptura, Psl. 23.

verè

verè (f) ἀναντίῤῥητον. SPVD. *Equidem non video, quibus rationibus ista queant refelli, quanquam videntur plurimum abesse à sensu communi.* HED. *Quî sic?* SPVD. *Nam ad tuam rationem quivis Franciscanus vitam ageret magis voluptuariam, quàm alius opibus, honoribus, breviter, omni genere deliciarum adfluens.* HED. *Adde monarchæ sceptrum, si libet: adde pontificiam coronam, eámque è triplici fac centuplicem, modò detrahas animum sibi benè conscium, audacter dicam, hunc Franciscanum nudipedem nodoso fune cinctum, tenuiter ac viliter amictum, ieiuniis, vigiliis, ac laboribus attenuatum, qui teruncium non habet in orbe, modò adsit bona mens, delicioſiùs vivere, quàm si in unum hominem sexcentos confles Sardanapalos.* SPVD. *Vnde igitur est, quod pauperes ferè conspicimus tristiores divitibus?* HED. *Quia bis pauperes sunt plerique. Alioqui morbus, inedia, vigilia, labores, nuditas extenuant quidem corporis habitum: sed tamen non in his tantum, sed etiam in ipsa morte sese exerit mentis alacritas. Animus enim quanquam alligatus est mortali corpori, tamen quoniam naturæ potentioris est, corpus ipsum quodammodo transformat in sese: præsertim si ad vehementem naturæ impetum accedat ἐνέργεια spiritus. Hinc est quod sæpenumerò videmus homines verè pios maiore cum alacritate morientes, quàm alios convivantes.* SPVD. *Istud profectò non rarò sum admiratus.* HED. *Atqui non est admirandum, illîc esse invincibile gaudium, ubi adest omnis lætitiæ*

fons

fons Deus. Quid autem novi est animum verè piè hominis gaudere iugiter in mortali corpore: quum idem, si ad intima tartari demergatur, nullum felicitatis detrimentum facturus sit: ubicunque pura mens est, ibi Deus est: ubicunque Deus est, ibi Paradisus est: ubi cœlum est, ibi felicitas est: ubi felicitas est, ibi gaudium est verum, & alacritas syncera. SPVD. Attamen suaviùs viverent, si absint incommoda quædam, & adessent oblectamenta, quæ vel negligunt, vel non assequuntur. HED. Quæ verò mihi narras incommoda? Quæ lege communi comitantur conditionem humanam? Famem, sitim, morbum, lassitudinem, senectutem, mortem, fulmina, terræ motus, inundationes, bella? SPVD. Et ista quoq; HED. At nos de mortalibus interim agimus, non de immortalibus. Et tamen in his quoq; malis, longè tolerabilior est piorum conditio, quàm voluptates corporis per fas nefasq; venantium. SPVD. Quî sic? HED. In primis, quoniam animos habent ad temperantiam ac tolerantiam exercitatos: cæteris moderatiùs ferunt ea, quæ vitari non possunt. Dein' quoniam intelligunt illa omnia à Deo immitti, vel ad purgationem criminum, vel ad exercitationem virtutis: non modò patienter, verumetiam gaudenter, tanquam obedientes filii, illa de manu propitii patris accipiunt, atque etiam gratias agunt vel pro clementi correctione, vel pro inæstimabili lucro. SPVD. Sed multi sibi accersunt corporis molestias. HED. Sed plures adhibent medicorum remedia, quò corporis sanitatem vel tueantur,

tur, vel recuperent: cæterùm accersere molestias, hoc est, inopiam, adversam valetudinem, persecutionem, infamiam, nisi cùm huc impellit Christiana charitas, non est pietatis, sed stultitiæ. Cæterùm quoties infliguntur ob Christum & ob iustitiam, quis ausit eos vocare miseros, quum ipse Dominus appellet eos beatos, & horum gratiâ gaudere iubeat? SPVD. Habent tamen interim & ista sensum cruciabilem. HED. Habent, sed quem facilè absorbet hinc metus gehennæ, illinc spes æternæ beatitudinis. Age, si tibi persuasum esset, te nunquam ægrotaturum, aut ullam corporis molestiam sensurum in omni vita, si semel patiaris cuspide aciculæ tibi summam pungi cutem: nónne lubens & gaudens acciperes tantillum dolorem? SPVD. Maximè. Imò si certò sciam mihi nunquam in vita dolituros dentes, æquo animo patiar, vel altius infigi acum, atque etiam ambas aures subula perforari. HED. Atqui quicquid in hac vita accidit afflictionis, levius ac brevius est ad æternos cruciatus, quàm momentaneum acus vulnusculum ad hominis vitam, quamvis longam: nulla enim analogia rei finitæ ad infinitam. SPVD. Verissima prædicas. HED. Jam si quis tibi persuadeat, te per omnem vitam omni molestiâ carituram, si semel manu flammam dividas, quod fieri vetuit Pythagoras: nónne lubens id faceres? SPVD. Ego sanè vel centies, modò ne me fallat promissor. HED. Deus ne potest quidem fallere: sed illa flammæ sensus diuturnior est, ad totam hominis vitam collatus, quàm tota vita collata

lata ad cœlestem beatitudinem, etiam si quis trium Nestorum excedat annos. Siquidem illa, quantumlibet brevis, manus iniectio, nonnulla huius vitæ portio est: sed tota hominis vita nonnulla portio est æternitatis. SPVD. *Non habeo quod contra dicam.* HED. *Ad hanc igitur qui toto pectore, certáque spe properant, cum tam brevis sit transcursus: an credis eos huius vitæ molestiis discrutiari?* SPVD. *Non arbitror, modò adsit certa persuasio firmáque spes adsequendi.* HED. *Venio nunc ad oblectamenta, quæ obiiciebas. Abstinent à choreis, à comessationibus, à spectaculis: hæc nimirum ita contemnunt, ut fruantur multò iucundioribus, nec minùs oblectentur sed aliter.* SP. *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ solatia Deus paraverit diligentibus ipsum.* HED. *Beatus Paulus agnovit, quæ sint cantica, quæ choreæ, quæ tripudia, quæ comessationes piarum mentium, etiam in hac vita.* SPVD. *At sunt quædam voluptates licitæ, quas isti sibi ipsis interdicunt.* HED. *Etiam licitarum voluptatum immodicus usus est illicitus: hunc si excipias, in cæteris omnibus superant, qui videntur asperã vitam degere. Quod potest esse magnificentius spectaculum, quàm huius mundi contemplatio? Ex eo longè plus capiunt voluptatis homines Deo chari, quàm cæteri. Siquidem hi, dum curiosis oculis contemplantur admirandum hoc opus, anguntur animo: quòd multarum rerum causas non adsequantur. In quibusdam etiam ceu Momi quidam obmurmurant opifici, neq; rarò naturam*

turam pro matre novercam appellant: quod convitium verbotenus quidem naturam ferit, sed revera in eum redundat, qui naturam condidit, si qua est omninò natura. At homo pius religiosis ac simplicibus oculis magnâ cum animi voluptate spectat opera domini patrisque sui, demirans singula, nihil reprehendens, sed pro cunctis gratias agens, cùm reputat, hæc omnia propter hominem esse condita: atque adeò in singulis rebus adorat omnipotentiam, sapientiam, ac bonitatem conditoris, quarum vestigia perspicit in rebus conditis. Jam finge mihi esse aliquod palatium revera tale, quale Psychæ fingit Apuleius, aut si quod potes magnificentius elegantiúsque: huc adhibe duos spectatores, alterum peregrinum, qui tantùm visendi causâ venerit: alterum servum, aut filium eius, qui construxit hoc ædificium: uter impensiùs delectabitur, hospes ille, ad quem ea domus nihil attinet, an filius, qui charissimi patris ingenium, opes ac magnificentiam in ædificio magnâ cum voluptate speculatur, præsertim, cum cogitat, totum hoc opus ipsius gratiâ factum esse? SPVD. Percontatio tua non eget responso: sed plerique non piis moribus, sciunt cœlum & quæ cœlo clauduntur, hominis causâ esse condita. HED. Sciunt plerique omnes, sed non omnibus hoc venit in mentem, & si venit in mentem, plus tamen capit voluptatis, qui magis amat opificem: quemadmodum alacriùs intuetur cœlum, qui ad vitam cœlestem adspirat. SPVD. Verisimilia dicis. HED. Jam conviviorum suavitas non est sita

in lautitiis palati, aut coquorum condituris, sed in prospera corporis valetudine, & stomachi appetentia. Cave igitur putes ullum Lucullum cœnare iucundiùs appositis perdicibus, phasianis, turturibus, leporinis, scaris, siluris, aut murenis, quàm vir pius cibario pane, holeribus, aut leguminibus, potu vel aquæ, vel cereuisiæ tenuis, vel vini probè diluti, propterea, quòd hæc accipit tanquam missus à benigno patre datos: omnia condit oratio, omnia sanctificat precatio præcedens, sacra lectio comes, magis animum reficiens, quàm esca corpus, & gratiarum actio succedens: postremò surgit à mensa non distentus, sed recreatus: non onustus, sed refectus: & refectus mente pariter & corpore. An tu putas, ullum istarum vulgarium cupediarum architectum conuivari iucundiùs? SPVD. *Sed in Venere summa est delectatio, si quid Aristoteli credimus.* HED. *Et hac in parte vincit homo pius, non minùs quàm in convivio. rem sic accipe. Quò vehementior est erga uxorem charitas hoc congressus ille connubialis est iucundior. Nulli porrò vehementiùs amant uxores suas, quàm qui eas sic diligunt, sicut Christus dilexit Ecclesiam: nam qui eas voluptatis gratiâ diligunt, ne diligunt quidem. Adde, quòd quò rarior est cum uxore congressus, hoc est suavior. quæ res nec impium poetam latuit, qui scripsit: Voluptates commendat rarior usus. Quanquam minima voluptatis pars in coitu sita est. Longè maior est in perpetuo convictu, qui inter nullos potest esse iucundior, quàm inter eos, qui se*

Christia-

Christianâ charitate sinceriter amant, & amant pariter mutuò. In aliis frequẽter cum senescente voluptate senescit amor. Christiana charitas hoc magis viresci, quò magis delectatio carnis decrescit. An nondum tibi persuasi, nullos vivere iucundius, quàm qui cum pietate degunt? SPVD. Vtinam itidem sit persuasum omnibus! HED. Quòd si Epicurei sunt, qui suaviter vivunt: nulli verius sunt Epicurei, quàm qui sanctè piéq; vivunt. Et si nos tangit cura nominum, nemo magis promeretur cognomen Epicuri, quàm adorandus ille Christianæ philosophiæ princeps. Græcis enim ἐπίκουρος auxiliatorem declarat. Cùm naturæ lex esset vitiis tantùm non obliterata, cùm Mosi lex magis irritaret cupiditates, quàm sanaret, cùm impunè regnaret in mundo tyrannus Satanas: solus ille pereunti humano generi præsentaneam attulit opem. Proinde vehementer falluntur quidam, qui blaterant Christum naturâ fuisse tristem quempiam ac melancholicum, nosq; ad inamœnum vitæ genus invitasse. Imò is unus ostenditvitam omnium suavissimam, veraq; voluptatis plenissimam, tantùm absit lapis ille Tantaleus. SP. Quid istuc œnigmatis est? HE. Ridebis fabulam, sed hic iocus seria ducit. SP. Expecto iocum serium. HE. Narrant ii, quibus olim studio fuit, philosophiæ præcepta fabularum involucris tegere, Tantalum quendam adhibitum fuisse deorum mensæ, quam volunt esse lautissimam. Cùm hospes esset dimittendus, Iupiter hoc suæ dapsilitatis esse ratus, ne conviva discederet

absque xenio, permittit, ut quod vellet, peteret, accepturus quicquid petiisset. Tantalus autem stolidus, ut qui beatitudinem hominis ventris & gulæ delectatione metiretur, optavit, ut sibi per omnem vitam liceret tali mensâ accumbere. Annuit Iupiter, & ratum erat votum. Tantalus adsidet mensæ omni genere deliciarum instructæ, appositum est nectar, nec desunt rosæ, nec odores, qualibus Deorum nares possint oblectari, adstat pocillator Ganymedes, aut Ganymedi similis, circumstant Musæ suaviter canentes, saltat ridiculus Silenus, nec absunt moriones: breviter, quicquid ullum hominis sensum posset oblectare. Sed inter hæc omnia, ille sedet tristis, suspirans & anxius, nec hilarescens risu, nec attingens apposita. SPVD. *Quid in causa?* HED. *Quoniam supra caput accumbentis de pilo pendet ingens saxum, iamiam casuro simile.* SPVD. *Ego me à tali mensa subducerem.* HED. *Sed illi votum transiit in necessitatem. Neq; enim Iupiter tam placabilis est, quàm noster Deus, qui perniciosa vota mortalium rescindit, si modò pœniteat. Quanquam & alioqui, ne se Tantalus subducat, vetat idem lapis, qui prohibet vesci. Metuit enim, ne, si se commoverit illicò saxi ruinâ conteratur.* SPVD. *Ridiculam fabulam.* HED. *At nunc audi quod non rideas: vulgus à rebus externis petit vitam iucundam, quum eam non præstet, nisi mens secura. Nam sibi malè conscius saxum multò gravius impendet, quam impendet Tantalo: imò non impendet, sed urget premitq; mentem, nec inani metu discru-*

discrutiatur animus, sed in singulas horas expectat, ut coniiciatur in gehennam. Obsecro quid est tam suave in rebus humanis, quod mētem tali saxo pressam possit verè exhilarare? SPVD. Nulla profectò res, nisi vel dementia, vel incredulitas. HED. Hæc si perpenderent adolescentes, qui voluptatibus ceu poculo Circeo dementati, pro verè iucundis amplectuntur mellita venena, quanto studio caverint, ne quid per incogitantiam admitterent, quod in omnem vitam mordeat animum! Quid non facerent, ut hoc viaticum pararent senectuti venturæ, mentem sibi bene cōsciam, & famam nulla labe contaminatam? Quid autē illâ senectute miserius, quæ cum respicit in tergum, magno cum horrore videt, quàm speciosa sint quæ neglexit, quàm fœda, quæ amplexa est? Rursus cùm à fronte prospicit, cernit imminere diem supremum, & ab hoc protinus æternæ gehennæ supplicia. SPVD. Felicissimos arbitror, qui primam ætatem servarunt incontaminatam, & in pietatis studio semper proficientes, pervenerunt usque ad senectutis metam. HED. Proximus locus debetur iis, qui à iuvenili temulentia maturè resipuerint. SPVD. Sed quid consilii das illi misero seni? HED. Nulli desperandum, quàm diu spirat, iubebo ad Domini clementiam confugere. SPVD. Sed quo fuit vita longior, hoc magis adcrevit scelerum cumulus, iam harenam exuperans, quæ est in littore maris. HED. Sed eas harenas longè superat misericordia Domini: harena, tametsi non est homini numerabilis, finito tamen est numero: at Do-

mini clementia, nec modum, nec finem novit. SPVD. *Sed non est spatium brevi morituro.* HED. *Quò minus est spatii, hoc clamet ardentius. Apud Deum satis longum est, quod à terris ad cœlum valeat pertingere. Penetrat autem & brevis precatio cœlum, modò vehementi spiritus impetu eiaculetur. Evangelica peccatrix fertur per omnem vitam egisse pœnitentiam. Sed latro in ipsa morte, quàm paucis verbis impetravit à Christo paradisum? Si toto pectore clamaverit: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, Dominus tollet saxum Tantaleum, dabit auditui illius gaudium & lætitiam, & exsultabunt de condonatis peccatis ossa per contritionem humiliata.*

(a) Hoc est dubitans & suspensus in opinione. Tractum à Philosophis Academicis, qui ἐφεκτικοὶ dicebantur, hoc est de nulla re pronuntiantes, sed semper hærentes. (b) Lege *Plinium*, qui de hoc lino admiranda prodit: ἀσβέστινον vocant, à natura, quòd sit in extinctum & flammis non obnoxium. (c) *Sardanapalus & Apitius* luxu perditissimi fuêre, ut passim scriptum est. Sed *Philoxenus* gulosissimus fuit, utpote qui quasi mucum in catinum emungere solitus fit, quò reliquis cõvivis deterritis, ipse solus cibis appositis frueretur. Narrat ex Plutar. *Hermo. Barbarus* in præfatione Themistii. (d) Id est, Epicurum agere, hoc est voluptatibus studere. (e) Hoc est, rectà ad tonstrinas currere. Nostra tempestate qui tonsores sunt, simul Chirurgicen exercent: posuit itáque tonstrinam pro Chirurgi domo, in qua ejusmodi pustulæ curantur. Allusit ad etymologiam, τοῦ ἐπιτηδεύειν, id est, puellis conversari. (f) Id est, authentica, cui nequit contradici.

DES.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS DE VTILITATE COLloquiorum ad Lectorem.

ADEÒ *nunc in omnes & in omnia per universum orbem grassatur comitata Furiis ἡ διακολὴ, ut tutum non sit ullum emittere librum, nisi satellitio munitum. Quãquam quid satis esse tutum possit adversus sycophantæ morsum, qui velut aspis ad vocem incantantis ita ad omnem purgationem, quamvis iustissimam, obturat aures? Prima pars huius operis, quæ mea fuit & non mea, temeriate cuiusdam erat edita. Quam cum ingenti applausu viderem exceptam à studiosis, abusus sum affectu vulgari ad profectum studiorum. Quandoquidem nec medici semper ægrotis ministrant saluberrima, sed illis nonnihil concedunt ob hoc ipsum, quod vehementer appetant. Itidem mihi visum est, hoc genus illecebris inescare teneram ætatem, quæ iucundis facilius ducitur, quàm seriis aut exactis. Itaque quo editum erat repurgavi, deinde adieci, quæ moribus etiam formandis conducerent, veluti irrepens in animos adolescentum, quos rectè scripsit Aristoteles in idoneos auditores Ethicæ philosophiæ, duntaxat eius, quæ seriis præceptis traditur. Quòd si quis clamet, indecorum homini seni sic pueriliter ludere, nihil moror, quàm pueriliter, modò utiliter. Et si laudantur literatores ætate profecti, qui pueritiæ crustulis blandiuntur, elementa velint ut discere prima: mihi non arbitror vitio verti debere, quòd simili studio iuventutem illecto, vel ad e-*

legantiam Latini sermonis, vel ad pietatem. Adde quod bona prudentiæ pars est, nosse stultas vulgi cupiditates & absurdas opiniones. Eas arbitror satius ex hoc libello discere, quàm experientiâ, stultorum magistrâ. Multis amara sunt Grammatices præcepta. Aristotelis Ethica non est apta pueris. Theologia Scoti minus, ne viris quidem admodum utilis, ad parandam bonam mentem: & plurimum habet momenti, gustum optimarum rerum protinùs insevisse teneris animis. Et haud scio an quicquam discitur felicius, quàm quod ludendo discitur. Est hoc nimirum sanctissimum fallendi genus, per imposturam dare beneficium. Laudantur enim medici, qui sic fallunt ægrotos. Et tamen si nihil aliud hîc quàm nugatus fuissem, videbantur laturi nunc, quoniam præter linguæ politiam insperſi quædam, quæ mentem instruant ad religionem, calumniantur, ac perinde, quasi dogmata Christianæ professionis hîc seriò pronuncientur, ita syllabas etiam ad vivum excutiunt. Id quàm faciant iniquè, magis erit perspicuum, ubi declarâro colloquiorũ aliquot non vulgarem utilitatem. Vt enim omittam tot serias sententias mediis iocis admixtas, tot fabulas, tot historias, tot rerum naturas dignas cognitu: In colloquio de visendo loca sacra, cohibetur superstitiosius & immodicus quorundam affectus, qui summam pietatem esse ducunt, vidisse Hierosolimam, & huc per tanta terrarum marisq; spacia currunt senes Episcopi, relicto grege, qui curandus erat: huc viri principes, relictâ familiâ ac ditione: huc mariti,

riti, relictis domi liberis & uxore, quorum moribus ac pudicitiæ necessarius erat custos: huc adolescentes ac fœminæ, non sine gravi discrimine morum & integritatis. Quidam etiam iterum atque iterum recurrunt, nec aliud faciunt per omnem vitam, & interim superstitioni, inconstantiæ, stultitiæ, temeritati prætexitur religionis titulus, ac desertor suorum, contra doctrinam Pauli, sanctimoniæ laudem aufert: ac sibi quoque pietatis omnes numeros expleſſe videtur. Paul. 1. Timoth. 2. intrepidè pronunciat: Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegavit, & est infideli deterior. Atqui hic paulus loqui videtur de viduis, quæ liberos atque nepotes negligunt, idque prætextu religionis, dum sese mancipent obsequiis Ecclesiæ. Quid dicturus de maritis, qui destitutis teneris liberis, uxore iuvenculâ, idq; in re tenui proficiscuntur Hierosolymam? Ex multis unicum exemplum proferam, nec tam recens, ut metuenda sit invidia: nec tam vetus quin nepotes supersint, quos damni magnitudo non sinit oblivisci rei gestæ. Vir quidam prepotens decreverat ante mortem invisere Hierosolymam, pio quidem animo, sed parùm felici consilio. Rebus igitur ordinatis, facultatum omniũ, uxoris, quàm gravidam reliquit, oppidorum & arcium curam, tutelamq; commisit Archiepiscopo, ceu parenti. Vbi rumor allatus est, hominem in ea peregrinatione periisse. Archiepiscopus pro parente gessit prædonem, occupavit possessiones omnes defuncti: denique &

arcem munitiorem, in quam gravida confugerat, vi expugnavit: & ne supereſſet ultor atrociſſimi facti, gravida confoſſa ſimul cum fœtu periit. Nónne pium erat, tali viro diſſuadere periculoſam, & non neceſſariam profectionem: Huius generis quàm multa reperiantur exempla, ceteris æſtimãdum relinquo. Ne quid interim dicam de ſumtibus, quos, ut fateamur non omninò perire, tamen nemo prudens non fatebitur in uſus longè meliores expendi potuiſſe. Quod autem ad religionem attinet, D. Hieronymus laudat Hilarionem, quòd cùm eſſet Palæſtinus & in Palæſtina viveret, tamẽ ſemel duntaxat viſerit Hieroſolymam, ob loci viciniam, ne videretur contemnere loca ſacra. Si meritò laudatus eſt Hilarion, quod abſtinuit ab Hieroſolyma, tam vicinus, ne Deum anguſto loco claudere videretur: ſemel tantum adierit, ob loci propinquitatem, ne quos offenderet: quid dicendum de his, qui ex Anglia & Scotia, tantis impendiis, per tot diſcrimina petunt Hieroſolymam, præſertim domi relictis chariſſimis, quibus iuxta doctrinam Apoſtoli debent perpetuam curam? Clamat ſanctus Hieronymus: Non magnum eſt Hieroſolymis fuiſſe, ſed benè vixiſſe magnum eſt. Et tamen ætate Hieronymi probabile eſt, evidentiora veſtigia veterum monumentorum extitiſſe, quàm nunc extant. De votis diſputationem aliis relinquo, tantùm hoc agit colloquium, ne quis temerè talia vota ſuſcipiat: id eſſe verum declarant hæc mea verba: Præſertim quum domi haberem uxorem, integra adhuc ætate, liberos &

beros & familiam, quæ pendebat ex me, & operâ meâ quotidianâ alebatur: & cætera, quæ sequuntur. De votis igitur susceptis nihil dicam, nisi quod si summus essem pontifex, non admodùm gravatè relaxarem obstrictos. In suscipiendis, quemadmodum fateor fieri posse, ut aliquis cum fructu pietatis eat Hierosolymam: ita nõ dubitarem, multis, ex rerum circumstantiis, dare consilium, ut eas impensas temporis & operam insumerent in alia, quæ propiùs conducunt ad veram pietatem. Hæc arbitror esse pia, eoq; considerata multorum vel levitate, vel ignorantiâ, vel superstitione, visum est super ea re monere iuventutem: neq; video, quos offendere debeat hæc admonitio, nisi fortè quosdam istos, quibus charior est quæstus, quàm pietas.

Nec illîc damno pontificias indulgentias, aut diplomata, sed taxo nugacissimum nugatorem, qui ne cogitans quidem de corrigenda vita, totam spem collocarit in condonationibus humanis. Hic si quis mihi consideret, quanta iactura pietatis nata sit inter mortales, partim eorum vitio, qui prostituunt pontificias indulgentias, partim eorum culpâ, qui illas secus quàm oportet accipiunt, fatebitur operæ precium, iuventutem super hac re commonitam esse. Verùm hoc modo parùm consultum est commissionariis? Audi ô bone, si viri boni sunt, gaudebunt esse monitos simplices: sin potior est illis quæstus quàm pietas, valeant.

In colloquio de captandis sacerdotiis, taxo eos, qui Romam cursitant, venantúrq; sacerdotia, crebro

brò gravi iacturâ tum morum, tum pecuniæ: eoq; deduco sermonem, ut sacerdos pro concubina lectione bonorum authorum semet oblectet.

In militis confessione, taxo facinora militum, & impiam militum confessionem, ut adolescentes ab eiusmodi moribus abhorreant.

In monitis pædagogicis doceo puerum verecundiam, ac mores ætati decoros.

In pietate puerili, nónne piis præceptis imbuo puerilem animum ad studium pietatis? Nam quod quidam arrodebant de confessione, mera fuit calumnia, cui iampridem respondi. Doceo confessionem esse suscipiendam, perinde quasi nobis esset instituta à Christo. Cæterùm an id sit factum, nec refellere est animus nec adseverare, quod nec mihi satis persuasum est, nec aliis probare possim. Quod autem admoneo de genere vitæ seriò deligendo, déque seligendo sacerdote, cui committas arcana tua, iudicabam adolescentibus esse necessarium: nec video cur me debeat pœnitere. At sic erunt pauciores monachi & sacerdotes? Fortassis erunt, sed meliores. Idem probabit quisquis verè monachus est. Porrò qui venantur proselytos vel ad prædam vel ad superstitionem, dignissimi sunt, qui omnibus omnium scriptis traducantur, quò resipiscant.

In convivio profano non damno constitutiones ecclesiæ de ieiuniis, ac delectu ciborum, sed indico superstitionem quorundam, qui his plus tribuunt, quàm oportet, negligentes eorum, quæ magis faciunt

ciunt ad pietatem, damnóque eorum crudelitatem, qui hæc exigant ab his, à quibus ecclesiæ mens non exigit: item eorum præposteram sanctimoniam, qui ex huiusmodi rebus contemnant proximum. Hîc si quis reputet quanta veræ pietatis lues hinc nata sit inter mortales, fatebitur vix aliam admonitionem esse magis necessariam: sed hac de re copiosiùs alias respondebimus.

In convivio religioso quum omnes faciam alienos à sacris, omnes coniugatos satis doceo, quale debeat esse convivium omnium Christianorum. Ad quam formam si sacerdotes quidam & monachi conferant sua convivia, intelligent quantum absint ab ea perfectione, qua conveniebat illos laicis antecellere.

In apotheosi doceo quantum honoris debeatur egregiis viris, qui suis vigiliis benè meriti sunt de liberalibus studiis.

Sunt inepti, quibus colloquium proci & puellæ videatur lascivum, quum nihil fingi possit castius. Si res honesta est matrimonium, & procum agere honestum est. Atqui utinam omnes proci tales essent, qualem hîc fingo, nec aliis colloquiis coirent matrimonia! Quid facias istis ingeniis tetricis, & ab omnibus gratiis alienis, quibus impudicum videtur, quicquid amicum est ac festivum? Hæc puella negat proco discessuro osculum, quò totam virginitatem illi servet illibatam. Quid autem nunc vulgò non dant puellæ procis: Deinde non vident quam multa philosophica sint inspersa iocis de non præci-

præcipitando coniugio, de delectu non solùm corporum, sed multò magis animorum, de firmitate coniugii, de non contrahendo matrimonio sine consensu parentum, de castè colendo matrimonio, de sanctè educandis liberis: postremò puella comprecatur Christum, ut illius auspiciis sit felix connubium. An hæc non convenit scire iuvenes? Et qui hanc lectionem ob lasciviam putant esse noxiam pueris, patiuntur illis prælegi Plautum & facetias Pogii. Præclara iudicia!

In virgine Misogamo detestor eos, qui adolescentes aut puellas invitis parentibus pelliciunt in monasterium, abutentes illorum vel simplicitate, vel superstitione, persuadentes eis nõ esse spem salutis extra monasteria. Nisi talibus piscatoribus plenus est mundus, nisi innumera felicissima ingenia per istos infelicissimè sepeliuntur ac defodiuntur viva, quæ fuissent electa vasa Domini, si iudicio sumpsissent institutum naturæ congruens, non rectè admonui: at si quando cogar in hoc argumento proferre quod sentio, sic depingam, & plagiarios illos, & ipsius mali magnitudinem, ut nullus non fassurus sit, me non sine causa hæc monuisse: quanquam civiliter id quidem à me factum est, ne malis daretur ansa delinquendi. In proximo colloquio non induco virginem, quæ professa mutarit institutum, sed quæ ante peractam professionem redierit ad parentes, quos habebat optimos.

In Mempsigamo quàm multa sunt philosophica, de

de cælandis maritorũ vitiis, de non interrumpenda coniugum benevolentia, de sarciendis offensis, de corrigendis maritorum moribus, de obsequiis erga maritos? Quid aliud docet Plutarchus, Aristoteles, & Xenophon, nisi quòd hic personæ vitam quandam addunt orationi.

In colloquio militis & Carthusiani, simul depingo & insaniam iuvenum, qui procurrunt ad bellum: & pii Carthusiani vitam, quæ sine studiorum amore non potest non esse tristis & inamœna.

In Pseudocheo depingo quorundam ingenia, qui nati sunt ad mentiendum, quo quidem hominum genere nihil execrabilius: utinam esset rarius.

In colloquio adolescentis & scorti, nónne & lupanaria facio casta? Quid autem dici potuit efficacius, vel ad inserendam adolescentum animis puditiæ curam, vel ad revocandas ab instituto, non minus ærumnoso quàm turpi, puellas ad quæstum expositas? Vnica vox commovit quosdam, quòd impudica puella blandiens adolescenti, vocat illum suam mentulam, quum hoc apud nos vulgatissimum sit, etiam honestis matronis. Hoc qui ferre non potest, pro mea mentula scribat mea voluptas, aut si quid aliud mavult.

In convivio poëtico doceo, cuiusmodi debeat esse convivium inter studiosos, parcum, sed festivum & hilare, conditum literatis fabulis sine rixis, sine obtrectatione, sine turpiloquio. In inquisitione doceo, summam Catholicæ professionis, idque aliquantò vividiùs ac liquidiùs, quàm docent

cent Theologi quidam magni nominis, inter quos pono & Gersonem, quem interim honoris causâ nomino. Ideò porrò fingo personam Lutherani, quò facilius redeant in concordiam, inter quos de præcipuis articulis orthodoxæ professionis convenit, etiamsi reliquam inquisitionis partem non addidi, propter hæc exulceratissima tempora.

In senili colloquio, quàm multa velut in speculo exhibentur, quæ vel fugienda sunt in vita, vel vitam reddunt tranquillam? Hæc præstat adolescentes ex festivis colloquiis, quàm experimentis discere. Socrates philosophiam è cœlo deduxit in terras: ego philosophiam etiam in lusus, confabulationes, & compotationes deduxi. Oportet enim & ludicra Christianorum sapere philosophiam.

In Ptochoplusiis quàm multa sunt, ad quæ pastores rusticani, rudes & indocti, nihilq; minus quàm pastores, possint suam vitam corrigere? Prætereaq; ad tollendam stultam gloriam vestium, rursus ad coërcendam illorum insaniam, qui monachorum cultum execrantur, quasi per se mala sit vestis. Et obiter describitur forma, quales esse debeant monachi, qui per vicos obambulant. Neque enim admodùm multi tales sunt, quales hîc describo.

In erudita puella, simul & Paulæ, Eustochii, Marcellæ, vetus exemplum renovo: quæ cum integritate morum coniunxerunt studium literarum: & monachos Abbatesq; sacrorum studiorum osores, luxui, otio, venationibus aleæq; deditos puellæ coniugatæ

iugatæ exemplo extimulo ad aliud studiorum genus ipsis magis congruens.

In spectro detego technas impostorum, qui credulis simplicium animis solent illudere, fingentes apparitiones dæmonum, & animarum, vocesq; divinas. Quantam verò pestem hæ præstigiæ invexerunt pietati Christianæ? Quoniam autem rudis ac simplex ætas, huiusmodi fraudibus potissimùm est obnoxia, visum est exemplo non inamœno depingere modum imposturæ. Sic impositum fuit Celestino pontifici Romano. Sic Bernæ delusus iuvenis à monachis. Sic commentitiis oraculis & hodie plurimi deluduntur.

Nec minima pars humanarum calamitatum, est Alcumistica, quæ doctis etiam & cordatis viris imponit: adeò morbus hic adlubescit, si quem corripuerit. Huic affinis est magia, eodem nomine, sed cognomine blandiens naturalis.

Similes imposturas taxo in Hippoplano, & Ptochologia, rursus in convivio fabuloso Ex his si nihil aliud discerẽt pueri, quàm latinè loqui, quantò plus laudis mea meretur industria, qui per lusum ac voluptatem id facio, quàm illorum, qui miseræ iuventuti Mammethreptos, Brachilogos, Catholicontas, & significandi modos obtrudebant.

In puerpera, præter rerum naturalium cognitionem, quàm multa sunt moralia de cura matrum erga liberos, primùm infantes, mox grandiores.

In peregrinatione religionis ergò, taxo istos qui

per tumultum eiecerunt omnes imagines è templis? rursus eos qui insaniunt in peregrinationes, quæ suscipiuntur prætextu religionis; unde iam & sodalitates inventæ sunt. Qui Hierosolymæ fuerunt, equites aurati vocantur, seq; fratres vocant, & in die palmarum serio rem agunt ridiculam, fune trahentes asinum, ipsi non multum differentes ab asino ligneo, quem trahunt. Idimitati sunt, qui compostellam adierunt. Dentur hæc sanè, dentur affectibus hominum: at non ferendum quod hinc sibi vendicant pietatem. Notantur & ii, qui reliquias incertas pro certis ostendunt, qui his plus tribuunt quàm oportet, qui quæstum ex his sordidè faciunt.

In funere, quoniam mors arguere solet Christianam fiduciam, in duobus idiotis depinxi diversum mortis genus, velut imagine vivâ ponens ob oculos dissimilem excessum eorum, qui fidunt rebus commentitiis, & qui spem salutis fixerunt in misericordia Domini: obiter taxans divitum stultissimam ambitionem, qui luxum ac superbiam suam & ultra mortem proferunt, quam mors saltem debebat auferre: simul eorum perstringens vitium, qui sui compendii gratiâ, stultitiâ locupletum abutuntur, quam ipsi potissimùm debebãt corrigere. Quis enim audebit liberè monere potentes ac divites, si monachi, qui se profitentur mundo mortuos palpantur illorum vitiis? Si nulli tales sunt, quales descripsi, tamen ostensum est exemplum, quod oportet vitari: si vulgo referuntur longè his, quæ

quæ proposuimus, execrabiliora: qui sunt æqui, meam agnoscant civilitatem, suumq; vitium corrigant, & si vitio vacant ipsi, alios peccantes, vel emendent, vel coërceant. Nullum ordinem perstrinximus, nisi fortè totum Christianismum infamat, qui quicquam monendi gratiâ dixerit in corruptos Christianorum mores. Quos tantoperè movet honos ordinis, eos imprimis compescere debebãt qui palàm factis suis dehonestant ordinem. Nunc quum illos ut germanos sodales agnoscant, foveant ac tueantur: quâ fronte causantur à benè monente læsi existimationem ordinis. Quanquam quæ ratio dictat sic habendam huius aut illius humanæ sodalitatis rationem, ut publicam Christianorum utilitatem negligas?

In differentia verborum ac rerum, taxo præpostera quorundam iudicia.

In convivio vario commonstro rem civilitati congruam.

In Charonte detestor bellum inter Christianos.

In synodo grammaticorum rideo studium cuiusdam Carthusiani, suo iudicio doctissimi: qui quum in Græcas literas soleat stultissimè debacchari, nunc libro suo indiderit Græcum titulum, sed ridiculè anticomaritas dicens, quos appellare poterat antimarianos, vel antidicomarianos.

In Cyclope taxo quosdam, qui evangelium semper habent in ore, quum in vita nihil sit evangelicum.

In coniugio impari pono ob oculos vulgi stultitiã, qui in sponsalibus supputant dotis modum, nec ad

rationem vocant sponsi scabiem, leprâ deteriorem. Atq; id hodie fit tam passim, ut nemo miretur, quum nihil sit in liberos crudelius.

In ementita nobilitate depingo genus hominum, qui sub umbra nobilitatis existimant sibi nihil non licere, quæ præcipua pestis est Germaniæ.

In Senatulo traducturus eram vitia quædam mulierum, sed civiliter, ne quis expectet tale quippiam, quale habet Iuvenal.

Verùm hoc agenti, obortus est quidam ὑπερὸς ἄνυπτος, lupus, ut aiunt, in fabula. Reliqua ferè comparata sunt ad voluptatem, sed non illiberalem. Non hoc est dehonestare ordines, sed erudire. Quapropter omnibus ordinibus, & privatim & publicè rectiùs consultum fuerit, si depositâ quidvis calumniandi rabie, candidis animis amplectamur omnes, quicquid pio studio in publicam utilitatem adfertur. Aliis aliæ sunt dotes, & alios alia capiunt, milleq; modis homines trahuntur ad pietatem. Laudatum est Iuvenci studium, qui sacram Evangeliorũ historiam carmine prodidit. Nec suâ laude fraudatus est Arator, qui idẽ fecit in Acta Apostolorũ. Adversus hæreticos tubã intendit Hilarius: argutatur Augustinus: Hieronymus dialogis pugnat: Prudentius vario metri genere dimicat. Thomas & Scotus dialectices ac Philosophiæ præsidiis pugnant. Simile studium omnium, sed dissimilis singulorum ratio. Non reprehenditur diversitas, quæ scopum eundem petit. Prælegitur pueris Petrus Hispan. quò dociliores veniant ad Arist. Multum enim promovit,

movit, qui gustum dedit. Atqui hic libellus si teneræ pubi prælegatur, tradet illos ad multas disciplinas magis habiles, ad poëticen, ad rhetoricen, ad physicen, ad ethicen, demum ad ea quæ sunt pietatis Christianæ. Stulti personam suscepi, factus ipse mearum rerum Encomiastes: sed huc me compulit, partim quorundam improbitas, nihil non calumniantium, partim Christianæ iuventutis utilitas, in quam oportet omnes omnibus studiis incumbere. Hæc ita cum habeant, omnibusq; qui literas didicerunt, perspicua sint: est tamen quoddam hominum genus mire bliteon, deputatos appellant Galli: opinor, quod malè putati sint, aut certè plus satis putati, qui sic pronũtiant de meis colloquiis: Opus esse fugiendum, præsertim monachis, quos illi religiosos appellant, & adolescentibus, eò quòd ieiunia & abstinentiæ Ecclesiæ parvi penderentur B. Virginis & sanctorũ pro ludibrio haberentur suffragia: virginitas, si coniugio conferatur, nullius esse, aut parvi momenti: religionis etiam dissuaderetur omnibus ingressus, quodq; in eo arduæ difficilesq; theologiæ quæstiones, grammaticulis proponãtur, contra statuta per magistros in artibus iurata. Agnoscis, mi lector, Atticã eloquentiam: ut ad postremum primo loco respondeam, quid artium magistri proponant grãmaticulis, nescio: quæ tractantur in colloquiis de symbolo, de missa, de ieiuniis, de votis, de confessione, nihil habent theologicæ difficultatis, sed eius generis sunt, ut non oporteat ea quenquam nescire. Et si pueris præleguntur epistolæ Pauli, quid periculi est, si gu-

ſtus quidam illis præbeatur theologicæ diſputationis. Ad hæc cùm non ignorent, pueris ſophiſtices cãditatis perplexas de perſonis divinis ſtatim quæſtiones ſummæ difficultatis proponi, ne dicã otioſæ ſubtilitatis, cur nolunt pueros hoc diſcere, quod ad communem vitam pertinet? Iam ſi putant nihil referre, quid ſub qua perſona dicatur, intelligunt, opinor, quàm multa comperiãtur in Evangelicis & Apoſtolicis literis, quæ ſecundum hanc legẽ manifeſtã habent blaſphemiam. Multis locis approbo ieiunium, nusquam damno. Qui ſecus adſeverat, eum declarabo impudentiſſimè mentiri. Sed in pietate puerili inquiunt, leguntur hæc verba: Cùm ieiunio mihi nihil eſt negotii. Finge hæc verba dici ſub perſona militis aut temulenti, num protinùs Eraſmus damnat ieiunia? Non opinor. Nunc dicuntur ab adoleſcente nondum adulto quam ætatem lex non obſtringit ad ieiunandum. Et tamen is adoleſcens præparat ſe ad iuſta ieiunia. Sic enim ſubiicit: ſed tamen ſi ſenſero opus, prandio cœnoq; parciùs, quò me præbeam alacriorem ſtudiis pietatis per diem feſtum. Abſtinẽtias verò quàm damnem, declarant hæc verba quæ ſunt, in cõvivio profano: in pleriſq; non res, ſed animus diſcernit nos à Iudæis. Illi manum abſtinebant à certis cibis, velut ab immundis & animum inquinaturis: nos cùm intelligamus omnia munda eſſe mundis, tamẽ carni laſcivienti, velut equo ferocienti, pabulum ſubducimus, quò magis ſit audiens dicto ſpiritui. Nonnunquam immoderatum ſuavium rerũ uſum abſtinentiæ moleſtia caſtigamus. Paulò pòſt reddit rationem, quare Eccleſia interdixerit eſum quorũdam

dam ciborum. Omnibus, inquit, conducet. Nam tenuibus cochleis aut ranis licebit vesci, aut cepas, porrumq; arrodere, mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsoniis: quod si quid divites deliciantur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent ecclesiæ constitutionem. Mox loquor his similia. Rursus aliquantò pòst: Scio medicis magnoperè damnatum esse piscium esum: sed secus visum est maioribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. Inibi protinus doceo, hîc vitandum etiam offendiculum infirmorũ. Æquè falsum est in colloquiis irrideri suffragia beatæ Virginis & aliorum sanctorum: sed illos irrideo, qui petunt à Sanctis, quæ non auderent à bono viro petere, aut hoc animo petunt à certis divis, quasi hoc aut illud, hic, aut ille citiùs velit aut possit præstare quàm alius, aut quàm ipse Christus. Immò in puerili pietate sic loquitur puer: Salutem dixi nonnullis. Quibus? Christo ac divis aliquot. Et aliquantò pòst: Rursus tribus verbis saluto Iesum, ac divos divasq; omnes, sed nominatim Virginem matrem, tum eos, quos habeo mihi peculiares: & infra commemorat nominatim, quos divos salutet quotidie. Mirum verò si procus amans laudat nuptias dicitq; castum coniugium non multum abesse à laude virginitatis, cum August. Patriarcharum polygamiam anteponat nostro cœlibatui. Quod obiiciunt de ingressu religionis, quàm sit manifestæ vanitatis, declarant mea verba in virgine Misogamo. Sic enim loquitur virgo: damnas igitur hoc totũ vitæ institutũ? Respõdet iuvenis: Nequaquã, verùm quemadmodum nemini suadere velim, ut quæ se in

in hoc vitæ genus coniecerit, luctetur emergere: ita nõ dubitem hortari puellas omneis præsertim indolis generosæ, ne se temerè eò præcipitent, unde post sese non possint explicare. Hæc est illius colloquii conclusio, utcunq; certatum est argumentis. Obsecro, an hoc est omnibus dissuadere ingressum religionis? Non damnatur ingressus, sed præceps temeritas damnatur. Hæc igitur malitiosè detorquent ad calumniam. At non perpendunt, quàm multa illìc discunt grammaticuli, quæ pugnant cum decretis Lutheranorum. In puerili pietate traditur ratio benè & utiliter audiendi Missam. Docetur ratio benè & efficaciter confitendi. Admonetur puer, ut antequam sumat Eucharistiam, confessione purget animum. Ibidem docentur grammaticuli, quæ recepta sunt usu populi Christiani, quum tamen in sacris literis non habeantur, hactenus esse conservanda, ne cui simus offendiculo. In prophano convivio docentur magis obtemperandum Pontificum constitutionibus, quàm medicorum consiliis: tantum admonentur, in necessitate cessare vigorem constitutionis humanæ, & mentem legislatoris. Ibidem probat quispiam benignitatem in monachorum collegia, modò detur ad usum, non ad luxum, & potissimum detur religionis disciplinam observantibus. De constitutionibus humanis hæc pronunciantur in colloquio ἰχθυοφαγία. Pugnẽt qui volent, ego censeo leges maiorum reverenter suscipiendas & observandas religiosè, velut à Deo profectas: nec esse tutum, nec esse pium de potestate publica sinistrã concipere aut

ferere

ferere suspicionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem, satius est ferre, quàm seditiosè reluctari. Huiusmodi permulta grãmaticuli discunt ex meis colloquiis, quibus sic obmurmurant isti. Sed indecorum est Theologum iocari? saltem hoc mihi concedant apud pueros quod ipsi permittunt sibi viri apud viros in vesperiis, ut vocant, rem insulsam insulso vocabulo. Insulsas calumnias, quas in Hispaniis obiecêre quidam, ostendi mera esse somnia hominum nec sobriorum, nec latinè scientium. Nec minus indoctum est, quòd quidam pronunciavit hæreticè dictum, quòd in symbolo pater dicitur simpliciter author omnium. Verùm is deceptus insciti â latini sermonis, existimat authorem nihil aliud, quàm creatorem aut fabricatorem significare. Atqui si consulat eos qui callent elegantiam Romani sermonis si evolvat Hilarium, aliósque vetustos authores, comperiet, authoritatem accipi pro eo, quod Scholastici vocant rationem perfectissimam principii, eóque patri peculiariter tribuunt, & authoris nomine sæpè designant patrem, cum personas inter se conferunt. An pater rectè dicatur causa filii, nihil mea refert: quum nunquam eo verbo sim abusus, nisi quod illud est verissimum, nos de Deo non posse loqui, nisi verbis impropriis: nec magis proprium verbum est fons aut principium, aut origo, quàm causa. Iam hinc mihi perpende, Lector, quales sint interdum, qui suis sententiis homines pertrahunt ad incendium. Nihil turpius, quàm reprehendere, quod non intelligas. At ista

quidvis calumniãdi febris, quid aliud gignit, quàm amarulentiam ac dissidia? Quin potiùs aliena candidè interpretemur, nec statim nostra pro oraculis haberi velimus, nec eorum iudicia pro oraculis ducamus, qui quod legunt, non intelligunt. Vbi in consilio est odium, ibi cæcum est iudicium. Pacificator universorum spiritus, qui suis organis variis utitur modis, faciat nos omnes concordes & unanimes in sana doctrina, sanctisq; moribus, quo contingat pariter ad cœlestis Hierosolymæ, quæ nescit ulla dissidia, consortium pervenire, Amen. Anno 1526. 12. Calend. Junias Basileæ.

DES. ERAS. ROTERODAMI VITA.

DEsiderius Erasmus Roterodamus natus est, ad 5. Cal. Novemb. Anno Christi 1465. Roterodami Hollandiæ inferioris Germaniæ, quã olim Battavi incoluerunt. Trajecti primùm in templo Cantor fuit, postea Daventriam venit, ubi præceptore usus est Alexandro Hegio Westphalo, qui cum Rudolpho Agricola, recenter ex Italia reverso, amicitiam contraxerat, & ab eodẽ Græcè docebatur. Orbatus paulò pòst utroq; parente, in Cœnobium Canonicorum, quos Latina interpretatione addita, Regulares appellãt, tutoris improbitate, ex Daventriensi schola detrusus est: ubi Guilielmum Hermannum Goudensem, juvenem diligentissimum in literis sodalẽ aliquot annos habuit. Audita nominis ejus

Vid. Dominic. Baudij Epist. Centúr. 2. fama ubi hæc alia refert Erasmũ à parentibus vocatũ Gerhardum Gerhardi.

fama in aulam suam recepit eum Cameracensis Præsul, qui simul ingenium Erasmi cõtemplans, sumtibus eum instruxit, ut Lutetiam proficisceretur, & illic Theologiæ Scholasticæ daret operam, sicq; Scotista factus est in Collegio Montis agens. Cumq; vitam collegiatam duriorem experiretur, non invitus emigravit ad Anglum quendam generosum, adolescentes duos secum habentem: Atq; hinc cœpit in Anglia innotescere: in quam insulam paulò pòst concessit, à discipulis illis suis, domum regressis, invitatus. Ibi aliquandiu egit. Abiens ex Anglia, bonis ferè omnibus, antequam navem conscenderet est exutus. Demum persuasus ab amicis, quo tandem Italiam videret, cum filiis Baptistæ Boetii Genuensis, Regii in Britannia Medici, Bononiam profectus est. In itinere cum socio Anglo Taurini, in Alpibus Gotiis, Theologiæ Doctor factus est. Bononiæ agens, cultum Canonicorum, quo usus fuerat, impetrato à Julio II. Pontifice diplomate, non levi de causa mutavit, modò veste sacerdotali uteretur. Interim libro Proverbiorum conscripto, Venetias profectus est, ut Aldo Manutio excudendum traderet, ubi ad tempus commoratus, nonnulla scripta exaravit, summorum & doctissimorum virorum consuetudine usus. Sub id tempus Alexander, Jacobi Scotorum Regis filius, Archiepiscopus Ecclesiæ Divi Andreæ in Scotia, Patavi operam literis dabat. Is Erasmum in Rhetoricis sibi præceptorem

rem adsciscit, cum quo postea Senas commigravit, atq; ab eo commeatum impetravit, vicinam Romam invisendi, ubi cum maximo literatorum hominũ gaudio & plausu est exceptus. Oblata est Pœnitentiarii dignitas, si Romæ manere vellet. Sed redeundum fuit ad Archiepiscopum, cum quo posteà Romam denuò adiit, ac ulteriorem simul Italiæ partem, Cumas usque, perlustravit, ac antrum Sybillæ, quod istic ab accolis ostenditur subintravit. Post obitum Archiepiscopi, admodùm præclari juvenis, reditum in patriam instituit. Itaque per Alpes Rheticas, Argentoratum venit, unde secundo Rheno in Hollandiam vectus est. Mox amicis suis Antuerpiæ & Lovanii salutatis, Angliam rursus adiit, ubi inter cæteros, quos per multos eo loco sui studiosissimos habuit, à Waramo Cantuariensi Archiepiscopo, & totius Angliæ Primate, & Cancellario, non pecuniâ solùm, sed etiam Sacerdotio Ecclesiæ Aldingronensis, in agro Cantuariensi, donatus est. Interea cùm cognovisset pleraque sua scripta Basileæ sub prælis Joannis Frobenii esse, motus & typorum ejus officinæ elegantiâ, diligentiâ simul editionis, ipse quoque eò se contulit, simulans iter ad urbem, voti solvendi gratiâ, Receptus in ædes Frobenianas, plurimùm laboris scribendo exhausit, Post in Germaniam inferiorem propter negotia rediit. Mox Coloniæ Ubiorum fuit sub conventum Wormatiensem. Solutis Wormatiensi-

bus

bus Comitiis Basileam, propter librorum aliquorum editionem repetiit. Multorum Regum & Pontificum maximam benignitatem & munificentiam expertus est. Nec solùm à Principibus honoratus est, sed etiam à civitatibus, si quas transiret: Lovanii Trilingue Collegium Erasmi suasu institutum est, ex opibus, quas Arriensis Præpositus, Hieronymus Buslidius, moriens in usus studiosorum destinârat. Atque ex eo instituto motus Franciscus Galliarum Rex Erasmum per literas evocavit, ut simile Collegium Lutetiæ Parisiorum ejus consilio institueretur: verùm caussæ aliquæ intervenerunt, quæ profectionem illam impediêrunt. Friburgi propriam domum emit, quam post septimum annum vendidit, ac Basileam cum universa suppellectile ad Hieronymum Frobenium reversus est, simul ut cœli mutatione reliquias morbi discuteret. Interim articularis morbus, qui aliquandiu conquieverat, rursus eum corripit, ut se loco movere nequiret, frustra cœlo mutato. Sic languentẽ & viribus destitutum, dysenteria fermè mensem integrum vexavit, & paulatim exhaustum in summa æquanimitate & tolerantia tandem in ædibus Hieronymi Frobenii. Id. Jul. Anno Christi 1536. cùm natus esset annos 70. menses 8. dies 15. sub mediam noctem extinxit.

Quum autem vitæ finis instaret, clara Christianæ patientiæ, & animi religiosi documenta edidit,

edidit, quibus in Christum se spem omnem figere, testabatur, assiduè clamans: O Jesu misericordia: Domine libera me: Domine fac finem: Domine miserere mei. Et Germanica lingua, Liuer Gott / hoc est, Chare Deus. Testamentum condidit, in quo clarissimum virum Bonifacium Amerbachium Jureconsultum nominatim hæredem fidei commisso, de bonis suis in pauperes ętate valetudinéve infirmos, in puellas nupturas, ut harum pudicitiæ succurratur, in bonæ spei studiosos adolescentes, ac in quosvis hujusmodi dignos auxilio distribuendis collocandisq;, honoravit: adjunctis eidem duobus executoribus: Hieronymo Frobenio & Nicolao Episcopio Statura fuit infra proceritatem, supra tamen notabilem prorsus humilitatem: corpusculo satis compacto & eleganti; sed quod esset tenerrimæ complexionis, & minimarum etiam rerum mutatione facilè offenderetur. In senio quoq; crebris calculi doloribus obnoxius, Cute corporis & faciei candidâ, capillitio in juventa subflavo, oculis cæsiis, vultu festivo, voce exili, lingua pulchrè explicita, cultu honesto & gravi, memoriâ felicissimâ, ingenio comico, in amicitia constans, in egenos, maximè verò in bonæ spei & indolis adolescentes studiosos, viatico destitutos, liberalis. In convictu comis & suavis, citra omne supercilium: ut non immeritò ἐρασμῶ dictus fuerit.

Vita Erasmi ms. scripta è à Paulo Merula, Profess. Histor. in Acad. Leidens. Lugd. Bat. 1607. in 4to.

INDEX

INDEX INSIGNIVM RERVM ET VOCVM HVIVS operis.

A.

Ἄκαπνος 749
Abdomini impendere 670
Ablactationis periculum 421
Absolut. perversæ for. 43
Acco vomica 347
Accusandi formulæ 119
Achileum argumentum 191
Item 204
Affectatio odiosa 682
Affectus temporarii ibid.
Admonitio qualis 688
Adolescen. favorabilis 617
Adult. acerbè punitum 343
Ἀπαθὴς 679
Æmulationes mulierum 635
Æstimandi formulæ 117
Affinitatum vocabula 81
Agri natantes 748
Alcumistarum fraudes 379
Aleæ scopulus 332
Alienæ prec. & mer. 555
Allium serpentes fugat 654
Amaracus suib. venen. 179
Amphibii monachi 429
Amphyctiones 204
Amor cæcus 171
Amor infœlix 196
Anagnostes 180
Anagyris 585
Ἀναλγησία 762
Anarchia 422
Anatomia cur fiat 485
A natura & honesto non recedendum 683
Angelus & animus quid differunt 410
Anima quid 414
Animæ alæ ibid.
Anima hominis ubi amat est 192
Animalium inimicitiæ 727
Animi vis 758
Animum male habitare 412
Anser animal vigilantiss. 104
Anserinum iecur 105
Antipodum ratio 744
Ant. Lova. historia 387
Apodixis 460
Apophoreta 180
Apuleius inversus 303
Ἀπραξία 316
Aquæ quid supernatet 748
Aquam vino diluere 280
Arborum herbarum inimicitiæ 741
Arborum sensus 416
Areopagitæ 204
Aristidis patientia 647
Aristotelis loci 289
Arithmeticam in bello calere quid 543
Asini one. aures demit. 744
Astages 180

Afoti 95
Aſpergines aquæ 179
Augiæ ſtabulum 277
Auſpicanti quippiam be. 9
B.
Baptiſmi ratio 638
Bacchus cur poët. deus 98
Battologia vetita 603
Bellum arte ducere 543
Beghina 217
Bene precandi forma 8
Beta natatilis 580
Bibliotheca Abbatis 83
Blactiſe 350
Blandiendi nomina 972
Bona vera quę videntur non ſunt 763
Bonorum operum gravamen 549
Bos ad ceroma 656
Boves Cyprii 585
Βωλιμία 42
Britanni Magi & Alcumiſtæ 370
C.
Cacodęmonem evocare 278
Calceus S. Thomæ 456
Calcei feneſtrati 656
Canis 625
Canonici regulares 377
Capero pro galero 670
Capiſtrum coniugii 201
Carcer 156
Catena cœlum pertingens 388
Catiana ſchola 93
Cato. toler. arg. dictum 648
Catoniana dicta 157
Certamen carmine 294
Cavum 722
Cervorum natura 103
Ceſtus veneris 238
Charitatis exempla 348
Charites 110
Choragus 358
Chriſtus 630
Chriſtiani quales 687
Chriſtia. voluptuarii 703
Chriſtianiſmus cæremonialis 161
Chriſtoph. Lutetiæ 443
Chryſippo Meliſſa cibum in os ingeſſit 96
Ciborum delectus 152
Cicada ala correpta 540
Cicer. dictum præclarum 156
Ciceroni quomodo incumbendum 560
Clypeus cum inſignibus fictitiis 579
Cocciſſare 56
Cœlum grave an leve 711
Cœnatica Philoſophia 96
Cœnatio 180
Cui iactus felix 554
Coloſſi 443
Commeatus 552
Commendandi formula 87
Comus 567
Conchæ imbricatæ 459
Concionatores ad bella vocant 574

Condi-

Condicere cœnam 95
Confabulatio pia 59
Confitendi ratio 68
Coniugium impar 586
Coniugia auſpicata 203
Coniugum pacem quæ conſervent 245
Conſcientiæ cruciatus 762
Cõſcientiæ malæ onus 763
Convivatoria ars 562
Convivatoris inſtru. 561
Convivarum numerus 110
Convivii apparatio 562
Convivii triſtitia vel clamores quomodo tollenda 563
Conviviorum clau. caſeus 695
Convivis ben. prec. form. 8
Copiæ præceptio brevis 121
Corœbo ſtultior 569
Coriandrum 409
Cor in genua decidere 437
Cornix 400
Corpus animæ collega 150
Corpus veſtis animæ 410
Corvos hiantes fallere 391
Cors 130
Credere ſanctã Eccleſ. 308
Cretenſes impoſtores 599
Crocodylus hom. infe. 800
Criptoporticus 448
Cultus omnis pendet à conſuetudine 342
Cur non viſis form. 27
Cynanche 576
Cynorhodos 656
Cypriani locus 308

D.

Dæmon pædagogus 356
Debitorum artes 613
Deformis amatoris deſcriptio. 166
Delphinus homini amicus 723
Democharis liber. dictum 649
Deperire aliquam & in aliquam 258
Dextro Hercule 322
Diaphragma 550
Diarium 31
Difficilia quæ pulchra 202
Diluculum diei pars optima 638.641
Diplomata Chriſtianorum 553
Diverſoria 262
Dives verè 364
Divi Iacobi benignitas 424
Divi peculiares 62
Divorum arma 428
Domeſtica confabul. 21
Domi eſſe oportet for. 82
Dominicani Bernę combuſti 711
Domuncula miraculoſe è longinquo delata 431
Domus niteat & benè oleat 176
Donariorum captatores aulici 391
Dormiendi ratio 64

E.

Ea lege promitto, forma 85
Ecclesiæ plaustrum 481
Ecclesiæ preces 554
Emendi & ven. ver. 115
Empusa 58
Eo domum for. 86
Epialus 113
Epicurei qui 94
Epicurei dogma 755
Epiglottis 407
Epimenidis fabula 80
Episcopus quis 673
Epomis 347
Equestre dogma 614
Equi cum urso dissid. 725
Equiti non pediti ius præ-
dandi est 572
Equitis cuiusdam virtutes
590
Equites equuleo digni 572
Equus sophista 371
Eras. pro concione notatus
657
Erostrati celebritas 676
Evangelica pulsatio 482
Evangelici fucati 604
Evangeliophorus 599
Evangelistarum & ordinum
mēdicantiū affinitas 542
Euripus refluus 16

F.

Fabarū è stipu. nectere 540
Fascinum 194
Festis diebus quid geren-
dum 64
Ficus quidā abstulerat 385
Fides iustificat 714
Fidei cosessio 300
Ficus 573
Franciscana cohors 655
Franciscanam vestem dæ-
mon horret 713
Franciscan. nudipedes per
Synech. 649
Francisci sanctę revela. 709
Franciscus aviculis concio-
cionatus est 584
Franciscus mitis 709
Funus ambitiosum 299
Funus seraphicum 704
Fures legislatores 571

G.

Gallica pronunciatio 20
Gallici apparatus 112
Gemmarum varietas 443
Genius fortunā parat 703
Germanica diversor. 264
Germanorum mensa 698
Gersonis 5. veritates 270
Gigantes 672
Gloria citra invidiam 678
Gloria perpetua quæ 683
Gluto & helluo 732
Grammatophorus 661
Gratias agendi form. 3076.
Gratias agendi post men-
sam for. lat. & Græc. 120
Gratiarum actionis for. 30
Gravidæ bene prec. for. 8
Graviora corpora 752
Gravissimum quid 752

H.

Hamaxiæa 443
Hectica 576
Henas repetita fit chilias 585
Hierosolymæ descriptio 32
Hilaritas vera 141
Homo hominis animus est 629
Horatii locus 284
Horti descriptio 221
Hospitibus gratias agendi for. 121
Hybrida 598
Hymnus post mensam 171
Hymni Ecclesiastici locus 287
Hypocrisis quid 602

I.

Iacturam facere 253
Idolothytus 152
In culpa causa mora for. 87
Indignum auditu form. 114
In occursu salutandi form. 88
Insigne diversorii 331
Intellectus organa 409
Invidia pessima fera 610
Invidiæ mitigandæ ratio 611
Irascor tibi for. 89
Iudicium quid 15

L.

Lacenæ puellæ dictum 650
Lac divinæ virginis 434
Lactis naturam pueri indolem vitiare 419
Lactuca sessilis 277
Lararium 630
Larus hians 377
Lassitudo 319
Laverna dea furum 376
Lectus diluendis offensis sacer 252
Leges sumptuariæ 92
Lepores candidi 103
Lepores sine mare gig. 104
Lex Remia 385
Libri suaves confabul. 244
Ligni sacrum fragmen 442
Linum vivum 756
Literæ quibus canibus ven 103
Literas an accepisti for. 77
Liturgia 655
Luculli lautitiæ 627
Ludus saltus 57
Ludus sphæræ per annulum ferreum 56
Lumbricos terra cliciendi ars 73
Lusus globorum 54
Lusus puerilis 50
Lydius lapis 378

M.

Maccus ioculator 384
Magistratus quis 368
Magno constat for. 114
Male valere for. 14
Mammetrectus 580
Mammotreptus ibid.

Mandandi ac pollicendi 28
Mariæ Epistola 425
Maritus commoditate uxoris correctus 249
Mater unde dicatur 420
Matrimonium repetere periculosum 317
Medici multi, mors 538
Medic. exequ. non interf. ibid.
Medicorum cura 537
Memoria dea 87
Mendacium & furtum 570
Mendicabul. senicul. 456
Mendicantes fra. summo pontifici formidabiles 673
Mendicitas regnum 379
Mensæ consec. for. 94
Mercatus tria hominum habet genera 378
Mercurius propitius 695
Mercurii caduceus 278
Meta distillatoria 409
Micare digitis 282
Militaria colloquia 40
Milites fatui 569
Militum misera cond. 243
Misericordia quid 149
Missam audiendi ratio 67
Monach. à buffone liberatus 728
Monachi boni descriptio 241
Monachi mundo quomodo irrepserunt 339
Monach. ac paroch. rixæ 539
Monach. habit. unde 349
Monachorum solitudo 344
Morbi vitandi 137
Moriendi ut & nascendi diversa ratio 537
Mors an horrenda 536
Mors Christia. hominis 552
Mors operosa 551
Mortis acerbitas vitam chariorem reddit 537
Mortis commoda 162
Mortis nova species 551
Mortis sensus quis 551
Morum decentia 47
Mos tyrannus 402. 103
Multitium 348
Mundus 437
Munerum publicorum delectus 315
Mussare 542
Mystagogus 436

N.

Naptha 750
Nasicæ iocus 637
Nasi utilitas 36
Nation. diversi mores 685
Natura artifex 444
Natura undequaq; loquax 129
Naturæ inclinationi concedendum 736
Naturæ miracula 445
Navis galeata 690

Naufragium 251 Nautæ

Nautæ maritimi fures 454
Nemesis 204
Neapolitana scabies 762
Ne fallas me for. 96
Nefastum convivium 381
Ne quid nimis 566
Nil ex omni parte beat. 118
Nobilitatis simulatio 589
Noctuæ volatus ominosus 676
Nolo te præscire, for. 84
Nomen pro debito 251
Nomotheca 108
Non credo, for. 80
Non licet per occup. 28
Non possum permit. form. 83
Non refert quo sit colore form. 95
Nubendum pari 31
Nutricum indiligentia 413
Nuptiæ felices 347
Nutricum usus reprob. 419

O.

Obedientia quid 152
Obedientia parentum 215
Obsequium amicos par. 687
Obsequii form. 87
Oculi vitrei 313
Oculis coniug. delig. 256
Oeconomicus vir 543
Olla oppignorata ipsi cuius erat 397
Oporapolis 386
Oratiuncula ad D. virg. 436
Orbilio plagosior 75
Ordines mendican. 538
Ordo decoctorum 364
Os habere 648
Ossa dea, fama 579
Ostraciſmus 647
Ovatio 145

P.

Palæstrites 299
Pamphagus 41
Panace 195
Pandochæus 268
Pandochæum 263
Pandochæi non bonæ fidei 346
Panis argilla ferm. 697
Partus periculosi 403
Parathalasia diva 429
Pastillus 204
Patria potestas 206
Pauper vere 764
Pauperum habenda ratio 169
Pediculus regi subla. 391
Penia dea 376
Perconctandi form. 12
Periodus conviviorum 85
Pertusum dolium 653
Pestilentia vitanda 593
S. Petri digitus, quasi gygantis 433
Phasides 162
Phasma 353
Philologus 645
Philippi regis precatio 650
Philosophari in cerem. 157

Philtrum 616
Phocionis pium dictum 648
Pia venatio 182
Pietas puerilis 60
Pietatis diversæ viæ 146
Picturæ hypocritæ 332
Picturarum inscriptio 333
Pii adolescent. exemplum 62
Pii vere sunt Epicurei 771
Pilæ lusus 52
Πίναξ 270
Piscium esus noxius 106
Plagium 107
Plenis tibiis 542
Pœnitentiæ nitrum 756
Poëtæ irritabiles 619
Polygamus 314.321
Polyphagiam & polypotiã consuetudinis non necessitatis esse 701
Pompa 337
Pompa funeralis 546
Precatio studiosi 61
Prædii subur descript. 296
Præscire volo form. 84
Πρώτος ὕστερος 441
Psora Dea 587
Pueri unde alantur 418
Pullos excludere 287
Pyrrhi disciplina 563
Pythagoras de anima 411
Pythagorica cœna 81

Q.

Qua causa for. 89
Quæ hominis pars honestissima 368
Quare, formulæ 82
Quia non curas me, for. 89

R.

Rabulæ formidabiles 604
Rationes cæsari præst. 392
Reducem salutandi for. 12
Regula Pandochæorum 333
Religio quid 59.150
Religio simulata 635
Rem attigisti form. 97
repressalia 595
Respicere quid 591
Rex quis 381
Rhamnusiæ litare 29
Rogandi form. 77
Romanæ delitiæ 107
Romulus abstemius 383

S.

Sacerdotiorum captatio 37
Sacrifico pecunia erep. 387
Sacrificium quid 149
Sacrilegum votum 441
Salutandi per alium 11
Salutatio blandior inter amantes 6
Salutatio honoris gratia
Salut. in primo congressu. ibid.
Samius literatus 259
Sapientia 640
Saxa viva 304
Sca. Gal. leprâ nocent. 580
Scribendi libido 612

Scorto-

Scortorum miseria 272
Secreta virginis 442
Senatus fæminarum 629
Senecæ locus 287
Senect.remorandi artes 314
Sepulchri cura 553
Seraphici sodales 633
Sero uxor ducenda 559
Serpentis cum lacerta cer. 652
Servitus religiosorum 215
Sesquihæreticus 274
Sybillæ folium 182
Simius cunic.auxiliat. 662
Simius horret testud. 659
Si nossem,quid oblectaret, ministrarem for. 98
Sodalium delectus 69
Solicitudo de crastino 169
Somnium vel visio 183
Somnia in conviviis non referenda 172
Sophistria 350
Sorbona 109
Sordes insignes 172
Sordibns corrasa male profunduntur 374
Sphæristerium 57
Stationes Romanæ 459
Statuam poscere 375
Sternutanti bene prec. 8
Stipulari 19
Stomachi officia 643
Stoa 100
Stoici qui 93
Studium hominum diversa 612
Studiorum labores quomodo sufferantur 652
Suaviter vivere 348
Subtilis Abbas, sed crassus Philosophus 349
Successus 29
Sudariũ S.Theo. cant. 456
Suizeri alteram tra. 588
Superstitio 344
Susceptor 345
Sybaritica mensa 84.180
Syncretismus 542
Symposiarchus 382
Syphar 620

T.

Tabellæ petaces 436
Talaris tunica 618
Tali quid 619.627
Ταπινοφροσυνη 663
Taurus adulteram notat. 36
Templorum extrũedorum luxus 451
Terentii locus 282
Teruncius 18
Testamentum morienti- 544
Theo.cant.templum 210
Timeo ne possim for. 82
Tranquillitas vera 396
Trophonii antrum 535
Tuo malo optas,for. 84

V.

Vadimonium 355
Valedic.in digressu 9
Veioves 298

Veneris iactus 625
Verba alata 653
Vermicantes armi 426
Vestium delectus 332
Vestium ratio 338
Viclevita 449
Victima 152
Vinum 4. sensibus probatur 95
Vini effectus, usus 97
Vir bonus 334
Virginitas 204
Vitæ commoda 317
Vitæ prolongandæ ratio 942
Vlysses tuberculo agnit. 92
Vltio inimicorum 648
Vmbra asini 386
Votiva tabella 441
Votum 424
Vtilitatis formula 78
Vxor resipiscens 248
Vxoris & liberorum morituri valedictio 556
Vxores malæ nostro vitio 147
Vxorum institutio 121

X.

Xantippe men. subver. 147
Xenia 172

FINIS.

Über Erasmi Tod, in welchem er zu Rotterdam gestorben, setzet nachfolgendes Epigramma:

Fatalis series nobis invidit Erasmum;
Sed desiderium tollere non potuit.

Adolph. Clarmund. Vit. Clariss. in re lit. Vir. Centur. 1. part. 1. p. 19.

Eius Symbolum erat: Cedo nulli. id. ib.

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK KARLSRUHE

Als Erasmus Roterodamus einmahls den
Brüssandan Coelium Rhodiginū zu Gast
ladet, ist ihm von gesicht einer andern
visar, u: ist mit ihm in einen disputz einlasst,
so trift Erasmus mit grosser freudt an, ist
Coelius Rhodiginus adest. Und diesse
verschrieb Erasmus auss dem schönen Latein
dryen sich Coel. Rhodiginy in vrden Carmi-
te. ubi refert Adolph. Clarmund. Vit. Clar.
in re lit. Vir. Centur. 2. part. 3. p. 64.
Hic Coelius vero noie dictꝰ fuit Ludovicus
Coelius Richerius, Rhodiginus ante dictꝰ fuit
ab urbe natali Rhodigio, q̄ hodie dicit Rovi-
go, ubi natꝰ fuit An. 1450. Obiit Patavij
An. 1520. Sepultꝰ ē Rhodigij. Als aber dieser
einmahls ein Passagier, von gebürt ein Teutscher, an
diesen ort kam, in dem Coelij Rhodigini grabstätte
gezeigt worde, so verwunderte er sich so allein, dass
ihm, als einem Teutschen nam kein Epitaphium
aufgerichtet, sonder er zog aus 3 Teutsch sein
Holtz aus, u: schrybte mit 3 Worten in ein Tafel
so auff seinem grab lag, folgender Vorth
Hic jacet barbꝰ Vir. Als dieses Erasmꝰ sah ge-
meine gesellschaft ausdam, so wunderte sie. Bonifa-
cius ein Teutscher J. C. und Historicꝰ gleichfahls
auss Teutsch excitiret, u: bate diesen seinen
Landsmann eine Statuam mit einem Ta-
mument vor sein eigen geld aufrichten mit

folgendem disticho:

At duplici Patria nactus cognomina bina:
Coelius in coelis; hic Rhodiginus eris.

Die inscription aüff d' Statua lautet also

Ludovico Coelio Rhodigino,
ut, cujus animi praeclara monimenta
ubique mortales suspiciunt,
illius etiam gratum corporis monumentum
in patria conspiciant,
jo. Bonifacius, j. u. D. Sebastian. F.
aere proprio P.

Unter seine Scripta sind sonderlich zu zehlen
(1.) Lectionum Antiquarum libri 30.
(2) Annotationes in Ovidij Metamorpho

Gaspar Vsing Velig in Epist. quam ad Era
mu scripta vocat eum virum, quo uno sta Eu
ropa vix tibi hodie quicqm illustrig et san
chig, certè nihil viu professione doctrig. pag
72. a.

Von Erasmi Colloquiis hielt Lutherus gar nichts, er nannte sie ein loses Buch. Ilti refert Clarmund. Vit. Clariss. in re lit. Vir. Centur. 1. part. 1. p. 16.

Erasmi Colloquia majori prudentia, quam vulgo creditur, referta. judice Rechenberg in Libr. Memorial. Praelect. Histor. p. 261.

NB. Hallucinatur Erasmus, quando p. 509. [illegible] charybdim dixit malis exitiabilig. Scyllâ.

Jo. Georg. Walchij Hist. Crit. Lat. Ling. de Erasmi Colloqiis ita judicat Cap. XI. §. VIII. p. 454. Colloqa Erasmi neqs teneris aetati, neqs adultiori commendari merentur: namqs sic supra juniorum captum, q illa haud intelligunt, q in latinitate aliqd praecerunt, tempus male consumunt, quando in hujuscmodi colloqiis et abruptis formulis usus. Vid. Hofmanni Lexic. Univsal. tom. 1. p. 607.

Jo. Gottl. Heinecc. Stil. Cult. Fundament. P. II. C. IV. p. 298. 299. tm Erasmi Colloqa duo religs palmam Scripturae statuit, np. 1. Peregrinationē Religiosam (: Vid. p. 423.) 11. Ixion. Coqvinam (: Vid. p. 471.) idem judicat Hallbauer in s. Einleitung zum Lat. Stilo p. 542.

Erasmus plus jocando, quam Lutherus stomachando Papæ nocuit. Joh. jac. Grynæus.

Erasmus innuit, Lutherus irruit; Erasmus pepedit ova Lutherus pullos exclusit. Vid. Wernsdorff. de Primord. Emend. p. Luth. Relig. p. 50.

Des Erasmi Colloquia sind An. 1735. teutsch herausskommen, unter folgendem titul: des scharfsichtigen Erasmi von Rotterdam ergötzliche: lehrreiche Gespräche, nun: vollständig ins teutsche übersetzt, u: mit nützl. real- und verbal-Noten versehen, der studierenden Jugend u: andern Personen zu vollständig- u: nützlich, sowohl zu vergnügendem Zeitvertreib in 8: mit Kupffern. Nürnberg 1735. 15. xr.

Lutherus Comment. in Genes. fol. 203. a. de Erasmo sic fert judicium: Erasmus hoc ad miraculum usque eruditus et facundus, etsi de justificatione et rebus fidei loquitur miserrime balbutit et ineptit: in aliis rebus expolitis candis felicissimus.

Esaias Pufendorff hat so gar auf seinen Reisen die Colloquia Erasmi Rotterdami zu seiner Lesung zu erwehlen pflegen. Lex. Univers. Dicd. sub hoc tit. p. 274.

IX A 409

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

41.–

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

